36
11 A
7

EPISTOLAE PRINCIPVM, RERVMPVBLICARVM, AC SAPIENTVM VIRORVM.

Ex antiquis & recentioribus, tàm Græcis, quàm Latinis Hiſtorijs & annalibus collectæ.

Opus ad rerum cognitionem, & ad prudentiam comparandam apprime vtile, apophtegmatum & grauium reſponſorum, innumeram & auream copiam continens.

NVNQVAM ANTEA EDITVM.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS,

Apud Iordanum Zilettum. M. D. LXXIIII.

D.PROB.F.SOM.S.J.

Guarini Veronenſis ad Illuſtrem Leonellum, Marchionem Eſtenſem, gratulatio pro equeſtris dignitatis inſignibus.

Eiuſdem Oratio in laudem Regis Angliæ.

Antonij Panormitæ ad Fridericum Imperatorem Oratio, in coronatione habita.

Laurentij Vallæ Oratio ad ſummum Pontificem.

nus pontifex: a quo deinde cæteri omnes,admirabili quodam ordine gradus ita diſpoſiti ſunt ac pendent, ut humani corporis partes ac membra, a ſummo capite nō aptius pendere uideantur. Profanas uerò res ſi intueamur, quis inter omnes magiſtratus, Cæſarem ſummum tenere locum neget? a quo deinde reliqui omnes ſerie quadam plane diuina deducuntur, donec ad infimam plebem res perducatur. Ac ne latius euagemur, aut veterum Reſpublicas commemoremus, inſpiciat vnusquiſque pręſentem rerum humanarū ſtatum, ſingula Imperia, regna ac Reſpublicas: uidebit ſane veriſsimum eſſe, quod prædico: in omni rerum multitudine ordinem plane neceſſarium eſſe, nec ſine illo quidquam recte conſtare, nec magis corpus ſine anima, quàm hominum Rempublicam ſine ordine conſtitui poſſe. In hoc autem uario ac multiplici rerum ordine, admirabile Dei conſilium intueri piam mentem decet. Vt enim inferiora ſuperioribus inſeruiunt, parent, atque obtemperant: ita viciſsim, ab illis ſalubre miniſterium præſtatur, vt quidquid boni in his reperitur, ab illis ceu fontibus deriuari ac pendere facile deprehendatur. Digna ſane homine Chriſtiano conſideratio, ex qua ad magiſtratus ac principum ſuorum imperium atque obedientiam unuſquiſque ſe facilè accommodet: quorum patrocinio tutum ſe eſſę intelligat, om

nemque ſuam ſalutem ac commodum, non aliunde ſuppeditari, magno ſuo beneficio ac emolumento, quotidie experiatur. Quanta animi vigilantia, ſtudio, cura, diligentia, atque ſollicitudine, ſuorum ſubditorum ſalutem procurent Principes, ac populorum gubernatores, veterum ac recētiorum hiſtoriæ teſtantur. Quot periculis expoſita ſit eorū uita, quotidiana experimēta nos docēt. Inuenta quidem ſunt atq; excogitata quàm plurima uoluptatum genera, quibus Principum labores ueluti lenirentur, ne aſsidua Rempublicam adminiſtrandi cura ac ſtudio fracti ac feſsi, de abdicando magiſtratu cogitarent: quod ſane multis eueniſſe, hiſtoriæ narrant. Sed quàm longo interuallo a laboribus, moleſtijs ac negociorum pondere, ſuperentur uoluptates illæ ac curarum lenimenta, ſapientes illi uiri docuerunt, qui in hoc potiſſimum ſtudium incumbentes, de miſeria Principum conſcriptos libros poſteritati ſuæ reliquerunt. In hac ego cogitatione cùm ſuperioribus diebus inſiſterem, atque animaduerterem populos ac ſubditos non admodum egregie animatos eſſe erga ſuos Principes, de moleſtis etiam exactionibus non parum conqueri, ac facilè declarare ſe inuitos ferè, iugum ferre: iudicaui me utiliſsimam Reipublicæ operam præſtiturum, ſi aliquid ederē, quo ſubditorum animi erga ſuos principes, obſequentiores atque obſer-

obſeruantiores redderentur. Cum itaque & ex ueterum ſcriptorum tam Græcorum, quàm Latinorum aſsidua lectione, & ex lõga in multis Principum aulis cõſuetudine, Epiſtolarum uolumen collegiſſem, quæ a ſummis orbis Monarchis ac Principibus uiris conſcriptæ ſunt, ac teſtantur qua fide ac diligentia ad ſuorum ſalutem excubent Pontifices, Imperatores, Reges, ac probi populorum gubernatores omnes: adhibito ſapientum hominum cõſilio, placuit, eas in lucem dare. In eam enim ſpem ueni, futurũ, ut qui eas legent, animos, uolũtates, ac ſtudia ſua libentiſsime flectant ad ſuorum principum obſequia: cum in his Epiſtolis facilè quiuis tanquam in ſpeculo poſsit intueri, quot ſudoribus ac uigilijs in eam curam Reges incumbant, ut ſuorum facultates, tecta, domos, lares ac focos, liberos, parentes, honorem, ac omnem denique ſalutem procurent ac tueantur: ut hac ratione, eorum etiam, qui parum æqui ſunt, animi ad tantam ſuorum in ſe principum beneuolentiam amandam ac amplexandam, non parum permoueri poſsint. Cùm autem malo quodam fato in ea tempora inciderimus, quæ multos habent Zoilos, qui id vnum ſibi laudi eſſe putant, ſi aliorum dicta, facta, conſilia ac voluntates reprehendant, carpant, ac maledictis inſectentur, ſecumque præclare agi exiſtiment, ſi vt Virgilianæ illæ Harpyę ni-

3

hil intactum, nihil non ſuis fœditatibus conſpurcatum ac maculis inquinatum relinquant, rem me non tantùm utilem, ſed plane neceſſariam facturum exiſtimaui ſi magni alicuius ac principis Viri authoritate ac patrocinio, cum opus ipſum alioqui per ſe ſpectatiſsimum, orbi commendatius redderetur: tum verò potiſſimum, ut meum edendi conſilium a male feriatis hominibus propugnaretur. Cùm autem Venetijs edendum eſſet hoc opus, idque ab eo, qui ſub ampliſsimo Venetorum Imperio & natus, & educatus & uoluntate etiam illi addictiſsimus eſſet, ab hac tot ſapientiſsimorum Senatorum Virtute, ſplendore ac potentia, nequaquam mihi diſcedendum eſſe iudicaui. Inter tot autem magnanimos Heroas, ac præclariſsima huius Reipublicæ lumina tua ſingularis atque illuſtris virtus effecit, ut in te unum animi mei oculos figerem, teque illum eſſe uoluerim, ſub cuius nomine lucem hanc experiretur. Etſi enim Illuſtriſsimæ tuæ genti ac familiæ, communis eſt magnanimitas, ac reliquarum uirtutum omnium ueluti regina, animi fortitudo: tu tamen quàm plurimas alias illis addidiſti: ut optimarũ artiũ ſcientiã, æquanimitatem, laborum tolerantiam, pietatem ſingularem, aliaſque innumeras, quæ te meritò omnibus commendatum reddant: ut uere nemo ſit qui non tibi fauſta ac fœlicia omnia à Deo optimo

optimo comprecet ac optet. Adde, quòd liber qui de Reipublicæ adminiſtratione agit, de negociorum momentis, de bello & pace, de regendis populis, qui ſummorum hominum colloquia, conſilia, uoluntates ac ſtudia continet, non alij quàm principi Viro ac tibi, conuenienter dicandus fuit. Non erat itaque hoc officij a me prætermittendum, præſertim cùm peculiaris ac uehemens quædam animi in te mei propēſio, multos iam annos uoluntatem meam ita tibi deuinctam teneat, ut non alia magis ratione de meæ ſortis tenuitate mihi dolendum ſit, quàm quod ea eſt mearum uiriū imbecillitas, ut deſperandum mihi ſit, ullam unquam uoluntatis in te meæ ſignificationē, quæ animum exæquet, ex me proficiſci poſſe. Verùm in eo mens acquieſcit mea, quòd ea te prudentia, humanitate & clementia præditum eſſe ſcio, quæ meum hoc qualecumque animi ſtudium in meliorem partem accipere, ac æqui boniq́ue conſulere poſsit. Vale. Venetijs Kalendis Auguſti. Anno M. D. LXXIIII.

INDEX NOMINVM COPIOSVS

Eorum omnium Procerum, à quibus Epiſtolę in hoc voluminę contentæ, ſunt deſtinatę, ordine alphabetico deſcriptus.

De litera. A.

AETIVS *Patricius, Theodorico Regi.* 69

Aetius Patricius Conſulibus Romanis. 70

Alexander Magnus Illyricis Populis. 142

Alexander, Iouis Hammonis filius, Olympiadi matri. 162

Alexandro. N. 205

Alexander Macedo. N. 205

Alexander Macedo. N. 284

Alexander Pirro Regi. 207

Alexander Dydimo, Bragmanorum Regi. 207

Alexander Rex, Dario, Perſarum Regi. 206

Alexander Rex Lacedemonijs. 206

Alexander Rex, Dario Perſarum Regi. 213

Alfonſo, Aragonum Regi. N. 1

Alfonſo,

Alfonſo, Aragonum Regi. N. 2
Alfonſus, Rex Aragonum, Petro Fregoſio, Duci Ianuæ. 60
Alfonſo, Hiſpaniæ, & Italiæ Regi, Laurentius Valla. 362
Amalaſiunta Atalarico filio, Gothorum Regi. 79
Amaſis, Aegypti Rex, Polycrati Samio Principi. 201
Amazonij Turco. 289
Anacharſis Hermoni. 215
Anaſtaſius, qui & Arthemius, Imperator Conſtantinop. Romano Pontifici. 106
Angelus Politianus Laurentio Medici. 155
Antonij Panormitæ Oratiuncula ad Fridericum Imperatorem. 398
Apolonius Aegiſto. 213
Ariſtagoras Mileſius Cleomeni, Laced. Regi. 204
Ariſtoteles Alexandro. 212
Aritpetrus, Longobardorum Rex, Iouanni. VII. Romano Pontifici. 105
Athenienſes Alexandro Macedoni. 279
Aulo Gelio Peregrinus Philoſophus. 211
Aurelianus Dux, Carolo VIII. Gallorum Regi. 84

De litera. B.

BAIAZETES, *Turcarum Imperator, Selymo filio.* 13
Baiazetes, Turcarum Imperator, Selymo filio.

filio. 116
Balduinus. II. Rex Hieroſolymæ, Caliſto Romano Pontifici. 128
Bartholomæus Iuſtinianus Duci Mediolani. 20
Bartholomæus Georgianus Maximiliano, Boemiæ Regi. 242
Beda ſacerdos Carolo Marcello, Galliarum Regi, & cæteris Regulis. 104
Belliſarius Totilæ. 66
Belliſarius Iuſtiniano Imperatori. 75
Boemundus Rogerio Nortmano fratri. 119
Boemundus Rogerio Nortmano. 125
Boemundus Rogerio Nortmano fratri. 123
Bononienſes Comiti Virtutum. 11
Boſtares, & Hanno, Carthaginenſes, Hannibali. 280

De litera. C.

CAESAR *Auguſtus C. Mecænati. Ex antiquitatibus Deſiderij Lignamenij Patauini.* 210
Caliſto ſummo Pontifici, Petrus Dux, & Conſilium. 332
C. Fabritius, & Aemilius, Conſules, Tyrro Regi. 287
C. Pontius, Samitium Imperator, Herennio, patri optimo. 164
Campſoni Gaurio Sulthano, Selymus Othomanus.

manus. 139
Campſo Sulthanus Selymo Turcarum Regi. 140
Capuani. S. P. Q. R. 161
Cardinalis Aracæli, Duci Venetiarum. 102
Carolus VIII. Rex Galliarum, Aureliano Duci. 85
Carolus Martellus Eudonæ, Aquitaniæ Duci. 107
Carolus, Galliæ Rex, Petro Aragoniæ Regi, 137
Carolus. V. Romanorum Imperator, Philiberto Aurantio, Vgoniq́ue Moncatæ. 257
Carolus V. Romanorum Imperator Auguſtus, Collegio Cardinalium. 318
Cato Cæſari. 211
Clemens. III. Romanus Pontifex, Iſaco Conſtantinop. Imperatori. 131
Comes Virtutum Bononienſibus. fol. 10
Conſtantinus Imperator Benedicto II. Romano Pontifici. 101
Conſtantinus Imperator Gregorio III. Romano Pontifici. 114

De litera. D.

DAMIANVS *Epiſcopus Ticinenſis, Archiepiſcopi Mediolanenſis nomine, Patribus ad. VI. Synodum Conſtantin.* 103
Darius, Perſarum Rex, Idanthyrſo, Scytharum Regi.

Regi. 203
Datys Perſa Delijs. 205
Demoſthenes Senatui, Populoque Athenienſi. 290
Diogenes legatus, Iuſtiniano Imper. 90
Diogenes Alexandro Macedoni. 225
Diogenes Anaxilio. 225
Diogenes Phanomao. 225
Diogenes Græcis. 232
Diogenes Antipatro. 223
Diogenes Ageſilao. 224
Diogenes Epimenidi. 215
Diogenes Lacidæ. 224
Diogenes Olympiadi. 227
Diogenes Alexandro. 227
Diogenes Ariſtoteli philoſopho. 228
Diogenes Sinopenſibus. 229
Diogenes Antipatro. 229
Diogenes Nipponi. 235
Diogenes N. 238
Diuus Auguſtus Caio nepoti. 284
Domini Paduani ad Comitem Virtutum. 7
Duces Mediolani ad Sereniſſimum Regem Ferdinandum. 334
Dux Mediolani Lucenſibus. 369
Dux Mediolani Franciſco Barb. & Opicino de Alzate, Locumtenentibus Reip. Ianuenſium. 34.
Dux Mediolani, Franciſco Barbauaræ, & Opicino, & Antonio de Alzate, locumtenentibus Reipublicæ Ianuenſium. 35

Dux

Dux Mediolani, Franc. Barbauaræ, & Opicino de Alzate, & Officialibus Ianuen. 38

Dux Mediolani Franc. Barb. & Opicino de Alzate, & Ancianis Ianuæ. 39

Dux Mediolani Franciſco Barbauaræ, & Opicino. 40

Dux Mediolani Franciſco Barbauaræ, & Opicino de Alzate. 41

Dux Mediolani Franciſco, & Opicino. 41

Dux Mediolani Iisdem. 42

Dux Mediolani Franc. Barbauaræ Vic. Ducali Saonæ. 45

Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comes, ac Ianuæ Dominus, Ianuenſibus. 44

Dux Mediolani Franciſco Barbauariæ Vic. noſtro, Saonæ, nec non Reuerendiſſimo Epiſcopo, & Ancianis Ciuitatis Ianuæ, ac Saonæ. 45

Dux Mediolani, Franciſco Barbauaræ, & Opicino de Alzate. 23

Dux Mediolani Ianuenſibus. 338

Dux Ianuæ, & Conſilium, Senatui, populoque Mediolanenſi. 43

Dux Ianuę, & Officium Prouiſorum, Baptiſtæ de Bæno, & Collegis legatis apud Mediol. 46

De litera. E.

ESCHINES *Senatui, Populoque Athenienſi.* 92

Fabritius

De litera. F.

FABRITIVS Carrectus, Rhodi Magiſter, Leoni. X. Pontifici Maximo. 120
Fabritius, & Q. Aemilius, Conſules, Pyrro Regi. 205
Faliſci. S.P.Q.R. 161
Ferdinandus Rex Illuſtriſ. Proſpero Adurno, Gubernatori Ianuenſibus, & XII. Capitaneis Populi. 337
Ferdinandus Rex Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Raphaeli Fregoſio Duci, ac Capitaneis Ianuenſium. 339
Ferdinandus Alfonſo, Regi Aragonum, patri. 354
Florentini ad Malateſtas de morte D. Galeoti. 3
Florentini Bononienſibus de Comite Vrbini. 5
Florentini Henrico Lucemburg. Imper. 139
Florentini Franciſco Carrariæ. 305
Florentini Bononienſibus. 306
Florentini Ioanni Galeatio Vicecomiti, Mediolani Duci. 308
Florentini Franciſco Carrariæ. 315
Florentini Lucenſibus. 366
Florentini Duci Venetorum. 368
Franciſcus Cataneus Ianuenſis, Franciſco Foſcaro, Duci Venetiarum. 26

Franci-

Franciſcus Iunior Carraria. N. 212
Franciſcus Carrarienſis, Reipublicæ Florentinæ. 298
Franciſcus de Carraria, Mapheo Memio Veneto. 301
Franciſcus de Carraria, Reip. Florentinæ. 302
Franciſcus de Carraria Bononienſibus. 304
Franciſcus Iunior Carrarienſis Marchioni Ferrariæ. 314
Franciſcus Philelphus Senatui, Populoque Peruſino. 143
Franciſcus Philelphus præclaro Equiti, Domino Pallanti Strozzæ. 379
Franciſcus Philelphus claro equiti, Pallanti Strozzæ. 383
Philelphus Gerardo Leandriano, Cardinali Comenſi. 144
Philelphus Beſſarioni, Cardinali Nicæno. 144
Philelphus Leonello, Marchioni Eſtenſi. 145
Philelphus Petro Medici, Coſmi filio. 146
Philelphus Sfortiæ ſecundo. 147
Philelphus Sfortiæ ſecundo. 147
Philelphus Sfortiæ ſecundo. 148
Philelphus Renato Regi. 149
Philelphus Nicolao V. Romano Pontifici. 150
Philelphus Ludouico Gonzagæ, Mantuano Principi. 150
Philelphus Petro Barbaro, Cardinali Veneto. 151

Philelphus Dominico, Cardinali Firmano. 151
Philelphus Ioanni, Marchioni Montisferrati. 153
Philelphus Dominico, Cardinali Firmano. 153
Philelphus Beſſarioni, Cardinali Nicano. 154
Philelphus Ludouico Cardinali Aquileienſi. 154
Francorum Rex Totilæ. 66

De litera. G.

GALEATIVS, *Comes Virtutum, Reipublicæ Florentinę.* 261
Galeotus de Caretto, Marchio Finarij, Regi Aragonum. 25
Galla Placidia, Honorio, ac Theodoſio Iuniori. 68
Gerardo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Patri Reuerendiſſimo, Laurentius Valla. 352
Gotfredus Boliones Boemundo, Antiochiæ Regi. 126
Gregorius, Pontifex Romanus, Mauritio. 91
Gregorius. II. Romanus Pontifex, Leoni. III. Imperatori. 108
Gregorius III. Romanus Pontifex, Carolo, Galliæ Regi. 109
Gregorio. III. Romano Pontifici, Conſtantinus Imperator. 114
Gregorius III. Romanus Pontifex, Pipino, Francorum Regi. 116

Guarini,

Guarini Veronenſis ad Illuſtrem Leonellum Eſtenſem, gratulatio pro equeſtris dignitatis inſignibus. 386

De litera. H.

HARPAGVS *Medus Cyro Perſæ.* 199
Henricus, Angliæ Rex, Iacobo Stuardo, Scotiæ Regi. 110
Henricus, Comes Niuernienſis, Regi Franciæ. 133
Henricus Lucemburgenſis Imperator, Florentinis. 138
Heraclius Imperator Conſtantino filio Imperatori. 97
Heraclius Imperator Seuerino Pontifici Maximo. 98
Herennius C. Pontio, filio. 165
Honorius, Romanus Imperator, Stilconi. 68
Hormiſda Romanus Pontifex, Iuſtino Imperatori. 77
Hyſmael Sophi Venetis. 110

De litera. I.

IACOBVS *Stuardus, Scotiæ Rex, Henrico, Angliæ Regi.* 99
Ianuenſes Regi Aragonum. 12
Ianuenſes Duci, & Reipublicæ Venetorum. 295
Ianuenſes Papæ Caliſto. 317

Idanthyrſo Scytha Dario Regi. 203
Ioachinus Serralius Ceponio dictatori Floren. 283
Ioannes. VI. Romanus Pontifex, Giſulpho Beneuentano Duci. 104
Ioannes Prochicius Martino IIII. Romano Pontifici. 136
Ioanna, Neapolis Regina, Ludouico, Vngariæ Regi. 14
Ioannes Picus Mirandulanus. N. S. R. E. C. 155
Ioannes de Faba Ducibus Saxoniæ. 297
Ioãnes de Faba Comiti Friderico de Otẽburg. 300
Iſabella Vicecomes Ferdinando auo, Alfonſo patri, Regibus. 87
Iſmael Sophi, Perſarum Rex, Selymo Turcarum Regi. 122
Iſocrates ad Mitylenæorum Principes. 233
Iſocrates Philippo Macedonum Regi. 248
Iſocrates Philippo Regi. 251
Iſocrates Philippo Regi. 257
Iſocrates Philippo Regi. 259
Iſocrates Alexandro Regi. 263
Iſocrates Iaſonis Liberis. 265
Iſocrates Timotheo. 269
Iſocrates Dionyſio. 272
Iulius Cæſar Impator, Marco Tullio Ciceroni. 288
Iulius Feltrius de Ruuere, Sancti Petri ad Vincula S.R.E. Diaconus, Cardinalis Vrbini, &c. 342
Iuſtinianus Imperator Auguſtus, Theodato, Gothorum regi. 75

De litera. L.

LACEDEMONII *Athenienſibus.* 278
Laurentius Valla reuendiſs. *Ludouico S.* R. *E. Cardinali, Camerarioque ſedis Apoſtolicæ.* 346
Laurentius Valla Blondo ſuo, Secretario Apoſtolico. 350
Laurentius Valla reuerendiſſ. *patri, domino Gerardo, Sanctæ* Romanæ *Eccleſiæ Cardinali.* 352
Laurentius Valla Guarino Veronenſi. 356
Laurentius Valla Auriſpæ ſuo. 358
Laurentius Valla Alfonſo, Hiſpaniæ, & Italiæ regi. 362
Laurentius Valla Oratio ad ſummũ Pontificẽ. 409
Leonardus Lauredanus Dux, Hyſmaeli Sophi, Perſarum regi. 110
Leonardus Maruffus, Chij, Præfectus, Ianuenſibus. 341
Leonardus Aretinus ad Cyriacum Anconitanum. 385
Eiuſdem Oratio in Laudæ regis *Angliæ.* 391
Libanius Demetrio. 237
Linus Colutius Salutatus, Innocentio Papæ. 280
Ludouicus, Vngariæ rex, *Ioannæ Neap olis* reginæ. 142
Ludouico S. R. E. Cardinali, Camerarioque Sedis Apoſtolicæ, Laurentius Valla. 346

De litera. M.

MAONENSES *Ciuitatis, & inſulæ Chij, Romano Pontifici.* 55
Marcellus Cõſul. S.P.Q.R. 281
M. Furius Camillus Dictator. S.P.Q.R. 159
M. Furius Camillus, Faliſcis. 160
Marcus Aurelius, Romanorum Imperator, Pyramoni ſuo. 165
Marcus Aurelius, Romanorum Imperator, Torquato exuli. 174
M. Aurelius, Romanorum Imperator, Claudio, Claudinæque ſenioribus, iuuenilia ſectantibus. 182
Mardonius Perſa Athenienſibus. 277
Maricus, Gothorum Rex, Honorio Imperatori Romano. 67
Mauritius Imperator Gregorio, Romano Pont. 91
Mauritius Imperator Gregorio Romano Pontifici. 97
Maximilianus Sfortia, Heluetijs. 132

De litera. N.

N. *Alfonſo Aragonum Regi.* 1
N. Alfonſo Aragonum Regi. 2
N. Alexandro. 205
N. Piſiſtrato. 286

Narſes

Narſes Dux Iuſtiniano Imperatori. 82
Narſes Dux, Iuſtiniano Imperatori. 83
Narſes Albauina, Longobardorum Regi. 85
Neapolitani. S.P.Q.R. 198
Olympia Alexandro Macedoni, filio. 163
Olympia mater Alexandro. 212

De litera. O.

ORETHES *Perſa Polycrati Samyo Principi.* 202
Othanes Perſa, Phedimæ filiæ. 202

De litera. P.

PELAGVS, *Romanus Pontifex, Iuſtiniano Imperatori.* 89
Peregrinus Philoſophus Aulo Gelio. 211
Petrus Fregoſius, Dux Ianuæ, Regi *Aragonum, & vtriuſque Siciliæ.* 57
Petrus, Dux Ianuæ, Regi *Aragonum.* 64
Petrus; Aragoniæ rex, *Carolo Gallorum* regi. 137
Petrus Dux, & Conſilium, Caliſto Papæ. 319
Petrus Dux, & Conſilium, Sacræ Regiæ *Maieſtati Aragonum, & vtriuſque Siciliæ.* 330
Petrus Dux, & Conſilium Sacræ Regiæ Maieſtati Angliæ. 322

Petrus Dux, & Conſilium, Caliſto ſummo Pontifici. 232
Petrus Dux, & Conſilium, Sacræ Aegiæ Maieſtati Angliæ. 323
Petrus Dux, & Conſilium, ſacræ Regiæ *Maieſtati Portugalliæ.* 326
Petrus Dux, & Conſilium, Illuſtriſſimo, & præclariſſimo Principi, domino Philippo, Duci Burgundiæ, Brabanciæ, & Limburgiæ, Comiti Flandriæ, Arthesii, Hannoniæ, Zelandiæ, ac Namurci. &c. 328
Philippus Rex *Ariſtoteli.* 216
Philippus Rex *Athenienſibus.* 216
Phocenſes Theſſalis. 272
Pipinus, Francorum Rex, *Gregorio. III.* Romano *Pontifici.* 117
Piſiſtrato N. 286
Pius II. Pontifex Max. Chriſtophoro Mauro, Duci Veneto. 239
Planetius ad Andronicum. 216
Plato ad propinquos Dionyſij. 215
Plutarchus Traiano Imperatori. 135
Pogius Petro Donato Archiepiſcopo Crenten. 371
Polycrates Samyus Amaſi Aegyptio Regi. 201
Præfectus Vrbis Romæ, *Mauritio Imper.* 87
P. Virgilius Maro Cæſari Auguſto. 210
Pythagoras Hieroni. 237

De litera. Q.

Q. *Fabius Max. Magiſter equitum. S. P. Q. R.* 163

De litera. R.

RAPHAEL *Dux, Conſilium, & Officium, Regi Aragonum.* 13
Raphael Dux Ianuæ, Pontifici Romano. 14
Raphael Dux Nicoto Niciæ, & Prouinciæ Ducali Gubernatori. 22
Raphael Dux, & Conſilium Inuictiſſimo Principi Friderico Rom. Regi, ſemper Auguſto. 23
Raphael Dux, & Conſilium Ianuen. Romano Pontifici. 27
Raphael Dux, Regi Aragonum. 28
Raphael Dux Marchioni Mantuæ, & fratribus. 32
Raphael Dux Ianuæ, Duci Mediolani. 33
Rex Ferdinandus Illuſtriſſimo Proſpero Adurno, Gubernatori, Ianuenſibus, & XII. Capitaneis Populi. 337
Rex Ferdinandus, Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Raphaeli Fregoſio, Duci, ac Capitaneis Ianuenſium. 339
Ricardus, Angliæ Rex, Cæleſtino. III. Romano Pontifici. 127

Rober-

Robertus,Romanorum Rex,Dominio Paduæ. 294
Rodoges Mater Dario filio Regi. 207
Romanus Pontifex Turcarum Regi. 288

De litera. S.

SALADINVS Iſaco Conſtantinop. Imperatori. 129
Saladinus Iſaco Conſtantinop. Imperatori. 130
Scipio Syphaci Regi. 282
Selymus Othomanus Baiazeti Patri. 113
Selymo Turcarum Regi Campſo Sulthanus. 140
Selymus Othomanus, Baiazeti patri Imperatori. 115
Selymus,Turcarum Imperator,Iſmaeli Perſarũ Regi. 123
Selymus Othomanus Campſoni Guario Sulthano. 139
Senatus, Populusque Romanus, Etruſco Regi. 158
Senatus,Populusque Romanus,Equis. 159
Senatus, Pop.Q.R.Marco Claudio Marcello Proconſuli. 280
Senenſes Manfredo,Regi Neapolis. 134
Socrates Theopompo. 212
Solon Lidiæ Regi. 287
Syluerius, Romanus Pontifex,Theodoræ Auguſtæ. 81

Symmachus, Romanus *Pontifex, Theodorico Italiæ* Regi. 76

De litera. T.

TANCREDVS *Nortmanus* Rogerio *Patri.* 126
Tancredus Nortmanus Rogerio *patri.* 128
Tarquinius Rex, *Vitellijs fratribus.* 158
Themiſtocles Ionijs. 239
Theodora Auguſta.Syluerio Romano *Pontifici.* 80
Theodoricus Oſtrogotharum Rex, *Zenoni Imperatori Conſtantinop.* 72
Theodoricus Oſtrog. Rex, *Zenoni Imperatori Conſtantinop.* 72
Theodoricus Oſtrog. Zenoni Imperatori Conſtantinop. 73
Theodoricus Oſtrogot. Italiæque Rex, *Clodoueo, Francorum* Regi. 74
Theodoricus, Italiæ Rex, *Iuſtino Auguſto.* 78
Theſſali Phocenſibus. 276
Tomumbeius Sulthanus, Hyſmaeli, *Perſarum* Regi. 14
Tomyris, Maſſagetarum Regina, *Cyro, Perſarum* Regi. 200
Tomyris Cyro Perſarum Regi. 200
Turcarum Rex Romano *Pontifici.* 288
Turcus Amazonijs. 289
Turcarum Rex *Venetis.* 289

Veneti

De litera. V.

VENETI *Turcarum Regi.* 290

Virgilius Maro, Cæſari Auguſto. 210

Vrbanus II. Romanus Pontifex Alexio Conſtantinop. Imperatori. 118

De litera. Z.

ZACHARIAS, *Romanus Pontifex, Proceribus Francorum.*

EPISTOLAE MVNDI PROCERVM.

hoc eſt,

PONTIFICVM, IMPERATORVM, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum Virorum.

N. Alfonso Aragonum Regi.

QVòd *vincis meritò omnes gaudent; ego verò, & quòd vincis gaudeo, & quòd victoria clementer & moderatè vteris: rectè quidem virtus tibi victoriã peperit. verum hoc ipſum ſibi commune cum multis. Nam & qui ſunt vicerunt, triumpharunt, imperarunt, hique innumerabiles, & interdũ etiam iniuſti, ac penitus indigni; qui verò & victis pepercerint, nihil intemperanter, nihil auarè, nihil crudeliter agentes, ij noſtro atque omni tempore perpauci, ſed & Dijs ſimiles habiti ſunt, & habebuntur.*

Cato tuus aiebat, peſsimum Imperatorem eſſe qui ſibi ipſi imperare non poſſet: ideò, vt arbitror, quoniam abſurdum videretur eum plures vincere, qui vnum non vinceret; Macedo ille magnus armis inuictus laudatur, ita victus vituperatur: Hannibalis gloriæ multum crudelitas detraxit; equidẽ malo tibi victoria laudem inueniat, quàm fortuna victoriam. quicquid in bello accidit fortunæ laus eſt: verùm ſi vincendo benignè leniter caſtè, manſuetè, conſtanter te geſſeris, fortunam ſua laude fraudabis, tuamque prorſus efficies victoriæ laudem. Cùm ergo hoſtes diuiceris, ac temetipſum, iure optimo tibi gratulor, mihi gaudeo: Tibi quia perpetuam ex virtute laudem tibi comparabis, eriſque poſteritati clementiæ & humanitatis exemplum: mihi quia tali Rege, ac domino fortunatus ſum, vbi poßim & viuendo melior fieri, & ſcribendo clarior. Vale, & triumpha.

N. ALFONSO REGI.

DVRVM *eſt amorem cohibere, & ego te perditè amo, ac niſi eloquar, diſrumpar. Fama eſt inclitum Ducem Mediolanenſium Philippum Mariam nuptui dare velle vnicam filiam, eamque locaturum arbitratu tuo. Vide quàm magna ſit hominis illius fides atque obſeruantia erga te, vt ſua viſcera, ſuam omnem iucunditatem, ſuũ cõſilium, ſuam ſpem in te vno reponat: noui ego illum, ex*

animo

animo loquitur. nec minus etiam te noui, qui vir tute ac animi gratitudine vinci non pateris. Videre itaque mihi videor hac in re conſilium tuum graue quidem illud, atque vtiliſſimum, iucundiſsimum fratrem tuum Petrum, niſi vates malè vaticinior, puellæ illi honeſtiſsimæ maritum deligis ac deſtinas. Id ſi ita eſt, quid maximo illi Duci gratius? quid fratri illi fortunatius? quid tibi laudabilius excogitari poteſt? hoc vno beneficio Ducem ex creditore tibi debitorem conſtitues, ex amico amiciſſimum, ex patre filium. Sileo vtilitatem ex ijs nuptijs futuram. & ex patre ipſo Duce qui filius Ducis erit, idẽ & hæres erit; poſtremò nemo eorum erit, qui merita clementiſſimi huius Ducis erga te cognouerint, qui te ex hoc facto laudibus ad cælum non ferat, quiue matrimonium iudicet pro meritis optimi Ducis honorificentiſsimè factum. Hæc ego, humaniſſime Rex amore, ac mea erga te obſeruantia locutus ſum. Vale.

FLORENTINI ad MALATESTAS, De morte D. Galeoti.

MAGNIFICI viri. Lugubres & funeſtas literas veſtras triſtes accepimus, quibus nobis obitum chariſſimi fratris noſtri D. Galeoti noſtro maximo dolore ſcripſiſtis; nos orbati amico, & Duce optimô, quantum in nos fuit dolujmus,

qualem nec poſſe aliquando inuenire ſperamus,& quod etiam ingenuè fatemur, qualem & quantũ adhuc inuenire nequiuimus. dolemus igitur noſtris,& veſtris incommodis, dolemus Sacroſanctę Eccleſiæ cladem, & diſpendium Italiæ, & totius rei publicæ detrimentum. Cecidit igitur fortiſſimus Dux, Auſoniæ decus, Eccleſiæ propugnaculum, conſilij maturitas, rei militaris ſcientia, vnicum noſtri temporis fidei & integritatis exemplum, cecidit republicæ noſtrę verus frater, & ſecundę atque aduerſæ fortunæ noſtrę particeps,& hunc caſum vix ſatis dignè pro magnitudine rei poſſit noſter populus lamentari. Conſolamur tamen in eo quod ſcribitis ipſum dilucida ratione mentis rebus ſuis, vt decebat, bene diſpoſitis in communicatione fideli ſacrorum Eccleſiæ deceſſiſſe; ſpes ſalutis ipſam ſæuitiam doloris aliquantiſper leuat: & vt in iis item conſolari debeatis, vos etiam atque etiam rogamus. Cogitate tũ qualis & quanti viri, quãtæq; gloriæ ſitis hæredes, voſque dignos tantis rebus & fortunis virtute animi ac omni præſtantia exhibeatis. maximum.n. habetis ad amplitudinem & gloriam exemplum, & ſtimulum, quem in tanto paterni luminis ſplendore debeatis & in oculis quaſi theatro Italiæ obſeruare. nos autem perpetuò amorem erga vos noſtrum, ſtudium, opes, fortunas omnes vobis pollicemur. eſtote vnamines, ne aliquãdo imperio excidatis. Valete.

FLO-

FLORENTINI BONONIENSIBVS, De Comite Vrbini.

SI *vobiſcum conquerimur, ſi vobis quæ contra dignitatem noſtram aguntur amicè ac liberè lamentamur, non eſt quod mirari debeatis. Nam cùm nullum in amicitia reperietur officium maius quàm cuncta cum amico, tanquam ſecum tutò impartiri, cumque nos (quæ veſtra eſt humanitas) arctiſſimum vinculum neceſſitudinis ac beneuolentiæ deuinciat, quid magis æquum inter nos agitari poteſt, quàm cuncta viciſſim leniter & quietè conferre, qua forſan alterutri contigerint vel leuia, vel moleſtia? Intellexiſtis quo animo reſpublica noſtra veteres iniurias atq; nouas paſſa ſit, quas Comites de mõte Feretrio noſtræ reip. hoſtili manu intulerunt, obliuioni mãdauerit, Comitẽ Antonium eiuſdem familiæ tunc à patriæ finibus exulantem, nedum inglorium, ſed omnibus ignominijs affectum, ne dum pauperem, ſed & omni ratione miſerrimũ Florentiæ hilari vultu, alacriterque ſuſcepit, noſque ipſum noſtris ſociatum gentibus non modò patriæ reſtituimus, ſed in auitum imperium noſtris ſumptibus & periculis repoſuimus; deinde iteratis officijs etiam contra magnificum fratrem noſtrum D. Galeotum de Malateſtis viribus noſtris tutati ſumus, eumque ad hanc vſque diem in columen florentemque opi-*

bus ſeruauimus; nunc autem cum miſerimam ciuitatem Eugubij inteſtinis bellis æſtuantem dominandi cupiditate cepiſſet, & res ſuæ in ea vrbe longis bellorum incommodis fluctuarent, nos auidi pacis ac tranquillitatis pluries hactenus, & tum demum per oratorem noſtrum ad concordiam cum magnifico milite D. Franciſco de Gabrielibus rationibus honorificentiſſimis deducere conabamur, demumque pacis deſiderio noſter orator eundem D. Franciſcum iuxta petitionem eiuſdem Comitis promiſſa impunitate & tuto acceſſu, ſuo ſe conſpectui præſentauit. Heu, nuſquã tuta fides. his Comes contra ius gentium, affecto etiam oratore noſtro multis contumelijs, violata fide publica, peſſũdatis fœderibus, cepit D. Franciſcum, eumque, vi & metu cedere quibuſcunque iuribus, quæ in caſtris pluribus & vbique locorum habebat, compulit: hæc ſunt ampliſsima grati animi officia, quæ pro tot impenſis, & laboribus à perditiſsimo, homine reportauimus. Veruntamen purgat ſe, quòd hæc omnia facta ſunt in populari tumultu, cui obſiſtere non potuerat: ſed ſi prorſus culpa vacabit, id planè ſciemus, cùm eum ex vinculis & carceribus miſſum faciet; nos autem in vltionem tantæ iniuriæ bellum aduerſus Comitem, Eugubinumque populum paramus, in quo Deum, homineſque teſtamur, non imperij cupiditate, non lædendi conſilio, ſed vlciſcendæ iniuriæ gratia bellum iſtud

iuſtiſſi-

iuſtiſsimũ inchoare; expectaturi tamen aliquantiſper, an Comitem aliquãdo pudeat, vel pœniteat perfidiæ ac improbitatis ſuæ.

D. PADVANI
Ad Comitem Virtutum.

TVA *te fallit opinio, ſi quæ in depreſſionem & excidium rerum noſtrarum non in Italia ſolùm, ſed in Germania & Gallia pluribus iam menſibus, non vna tantùm, ſed & multis rationibus occurratiſſimè procuras, me latere exiſtimas. Senſimus quidem, & ſi non omnia, tamen plurima ſceleſtiſſima, quæ ne a vobis quidem excogitari poſſe animum induxiſſemus, cum talia ſint, qualia hoſtis in hoſtem, non niſi ſæuiſsimis laceſsitus iniurijs moliri deberet. Nos autem quibus iniuirijs affecerimus queis contumelijs penitus ignoramus, niſi forſan labentes corruenteſque fortunas veſtras bello quo cum Antonio della Scala concurrebatis tuendo, voſque etiam in maximo periculo ſeruando iniuriam contumeliamque iudicatis. Satis mihi conſtat quæ & qualia inter vtrunque noſtrum actis temporibus agitata fuerint: quæ quoniam per literam breuiter enarrari nõ poſſunt, quàm breuiſſimè potero dicã. Satius, & tutius eſt me te apertum hoſtem & publicum, quàm occultum ſub amici nomine habere, & bellum apertum paci fictæ & doloſæ anteferendum;*

rendum; nihil.n. aliud doli & fraudes quàm vim & iniurias paritura ſunt. Proinde vobis bellum elapſa die XXX. huius menſis Iunij per has literas indicimus, ſperantes, auxilio & copijs Illuſtriſſimorum Venetorum quibus cũ nuper fęderati ſumus, vos improbitatis ingratique animi veſtri pœnas daturos, & clamantium ad cœlum oppreſſorum a vobis voces Deus optimus maximusq́. aliquando audiet. Intendimus quod omni iure datum eſt, vim vi repellere, & armis paratas nobis iniurias propulſare.

N[illegible], VIRO IACOBO de CAMPO FRIGOSIO, Cardinalis de Petra Mala.

SVADENT *multa, vir nobilis, vt ad te quamuis minus cognitum aliquid ſcribam, & tecum quæ communia ſunt partiar; ſolent animum leuare moleſtijs, impartita alijs conſilia, & plerunque mens mœror confecta inſtauratur; primò ſuadet virtus, optima, efficaxque animorum conciliatrix, qua te plurimũ præſtare intellexi. quid.n. virtute prædito impertiri conſiliorum non licet? ſuadet communis eademque voluntas, quæ neſcio quo pacto ignotos præponit notis, & peregrinos vicinis. Horum igitur fretus præſidio, ſcribere auſus ſum. Vides vir optime partem, immo remp. noſtram quantum immutata ſit? vides quantum imminuta ſit, quantunque Italiæ vrbes aquilæ nomen*

nomen aborreant, vt vix præter vrbem hanc alium poſſit incolere locum? O inſtabilis, velox, præcepſque fortuna; O mutabilia fata, & variabile mundi decus. O momento durabilis honor. Fuit nãque ſic illuſtre ſic clarum aquilæ nomen, vt poſt conditam vrbem, (ne ab antiquiſſimis exordiar) nihil memorabile, nihil dignum, quod ipſa non viderit à patribus noſtri traditum geſtumque ſit, quorum aliqua præſtantiora recenſebo. luctus qui ex horum memoratione tam fœlicium me aggreditur, me etiam excuſet. Aquila duce Camillum occupatam à Gallis vrbem patria exulem liberatorem vrbis vidit. ſub ſe militare glorioſiſſimum Fabriciũ inſpexit: Decios ſe pro patria immolaſſe admirata eſt: Africanos ante ſe mortuos deplorauit: Fabij maximi conſtantiam aduerſus Hannibalem: Carthaginem euerti vidit Scipione authore: Philippum Macedonem reduxit: Anthiochi Aſiæ regis vires domuit: Cæſarem Auguſtum imperio primum decorauit, cum eo cæteriſque Imperatoribus orbem vniuerſum peragrauit, & eidem iuſtiſſimis legibus imperauit: Vnde igitur nunc ſic abhorrendum, ſic exoſum aquilæ nomen? niſi quòd opera mortalium docet eſſe mortalia, præfectorum & præſidum ignauia hoc effecit, qui nihil minus curat quàm potius expillant vrbes, ac voluptatibus inſeruiunt. reliquum eſt, vt quod horum præſidum impudentia omiſit, ſuppleat Iuppiter optimus maximus

mus, qui eam è cælo miſit in terras, eamque ad bonores priſtinos reſtituat. Vale.

COMES VIRTVTVM
Bononienſibus.

DOLEMVS, *& compatimur, Ciues egregij, quòd aliorum demeritis cõtra ciuitatem veſtram quam ſemper perditè amauit pater, quamque nos paterna veſtigia ſectantes inter amiciſſimas habebamus, nunc bellica arma mouere, quæ in ſolos authores pertinaciſſimos tanti mali, ſalua re veſtra publica, ſi fieri poſſet, verteremus, Archiguelphos videlicet Florẽtinos paucos numero, qui ciuitatis Florentiæ regimem ſub ſpecie libertatis vſurpant, qui non contenti demoliri vrbem in qua nati ſunt, nunquam ceſſant quouſque ſeminatis odijs, ſuſpitionibuſque ſubdolis, vos non ſolùm ad imitandam ipſorum voluntatem, ſed ad quandam ſeruitutem ſecum ſeduxere. Sed vos caliditatibus ipſorum illaqueati permiſiſtis, vt neceſſe ſit, per ſe vt propoſuimus, contra ſtatum ipſorum pro vltione condigna magnificis filijs noſtris Senenſibus, & Peruſinis violatis per eos capitulis vniuerſalis fœderis agere armis contra vos & Imperium veſtrum, ne quieſcentibus, intactiſque rebus veſtris, poſſitis eos vllis fauoribus vel præſidijs ſuſtinere; proinde non vt vlciſcamur iniurias aliquas vel offenſas: nullas.n.huсuſque internos interceſ-*

interceſſiſſe fatemur, cum tamen multa interceſſerint beneficia, quæ ne videamur exprobare, ſilentio prætermittemus: Sed vt Archiguelfos auxilia veſtra deficiant, vos, & imperiū veſtrum à die harum noſtrarum literarum coacti potius quàm ſponte vobis bellum incidimus Papiæ, Die XXII. Aprilis. 1390.

BONONIENSES COMITI VIRTVTVM.

BELLICAM *indictionem veſtram lætis ſuſcepimus animis, & iucundis illam tanquam fœliciſſimum nuncium: nulla enim, vt literæ veſtræ teſtantur, à nobis vnquam iniuria affecti fuiſtis; ex quo fit vt bene ac fœliciter de victoria ſperemus. Nam illa ſemper iuſtiorem cauſam conſequitur, & iuxta illud Lucani: Omnia dat, qui iuſta negat, nec numina deſunt. Adde etiam, quòd inuictiſſimi Caroli Francorum præſidium nunquam nobis deerit, cui & toti orbi palàm fiet, bellum iſtud quod ſuper induxiſtis fuiſſe parū dignum forti virtute prædito principe, vt veſtrum nomen vos prędicat, ac vos veſtriſmet literis mendacÿ, ac doli arguendos, quippe qui ante prefixum tempus agrum noſtrum multis maximiſque incurſionibus veſtari iuſſiſtis. Datum Bononiæ, II. Maÿ.* 1360.

GENVEN-

IANVENSES REGI Aragonum S.

QVANQVAM, *Sereniſſime, & Præclariſſime Rex, quàm exploratum habuimus amplitudinem veſtram pacis & quietis conſilia incertis bellorum euentibus anteferre, nihil prætermiſcrimus, quod pro contrahenda pace, & concilianda cum veſtra ſublimitate gratia, vos facere æquum fuerit: vbi tamen regijs literis ac reſponſis planè cognouimus exitum eius rei in aſſenſu Illuſtriſſimi D. Ducis Mediolani poſitum eſſe, differendam duximus legationem noſtram quo ad vſque id impedimentum ſublatum eſſet. Et cùm perſpectum haberemus animum illius clariſſimi Principis eſſe nobis propenſum, ad pacis fœdera, cum amplitudine ſua magna animorū ſynceritate peruenimus, ducentes id fœdus Maieſtati veſtræ haud mediocriter gratum fore; quippe qui videremus nunquam de pace noſtra ſermonem habitum fuiſſe, quin mox, & de aſſenſu illius principis mentio adijceretur. Cùm igitur id, quod obſtabat, ſublatum ſit, ad vos properare iuſsimus egregium virum Bartholomæum Facium, vt & literas Ducis Mediolani Maieſtati veſtræ reddat, & in ſublatione offenſionum, cæteriſque eam rem reſpicientibus, regiam voluntatem exploret: cui quoniam in eo negotio, & arbitrium & mandata*

dedimus

dedimus, ſupereſt amplitudinem veſtram orare, vt habita relationibus illius indubitata fide, iubeat eum & benignè & quàm citiſſimè expediri. Datum Ianuæ. X. Sept. 1444.

EIDEM RAPHAEL DVX, Conſilium, & Officium.

NIHIL *eſt, ampliſſime Princeps, quod tantopere vnquam concupierim, & nunc etiam mirum immodum exoptem, quàm appetere tempus, quo hanc rempu. cum ſublimitate veſtra vero amore coniunctam videre. Nam cùm dudum cognouerim quàm ingentia, quàmq; immortalia ſint in domum noſtram beneficia M. V. cumque hoc ipſum iudicium meum ampliſſimis verbis firmauerit affinis meus Obertus Iuſtinianus à conſpectu Serenitatis veſtrę nuper regreſſus, qui de ſumm.is virtutibus, veraq; in nos beneuolentia ſua multa non ſine maxima laude diſſeruit, arbitratus ſum, ſi quando optati dies veniant, facile dari poſſe occaſionem, qua non ſolùm E. V. gratias agere liceat, ſed etiam obſeruantiæ, ac ſtudij mei magnitudinem aliquo inſigni teſtimonio declararem. Verùm quanto gaudio affectus ſum, dum Obertum audio præconia regiarum virtutum recenſentem, tanto item mœrore confectus ſum, quòd ex ſcripto illi dato, cognoui ad inducias veniendum eſſe, & exigi aſſenſum illuſtriſſimi D. Ducis*

Medio-

Mediolani. Nam conditionem illam reddendarum pecuniarum cùm ex ipſis cōtractibus Celſitudo veſtra veritatem proſpexerit, nullo labore tolli poſſe confido: in qua ſententia ſi Serenitas veſtra diutius perſiſtit, quid aliud id eſt quàm quod petebatur negare? & cum & maxima Prudentia veſtra congnoſcat, & Obertus ipſe plurimis verbis egiſſe confirmet, quo conſilio princeps ille obſtiterit, ne ad concordiam cum M. V. deueniremus. Cùm igitur eam conditionem difficillimam, & quæ nulla ratione impleri poſsit, ab omnibus refelli, ita vt ne vnus quidem, ſuaſerit legationem, ea ſtante, mittendam fore: ſtatuti hoc ipſum Celſitudini veſtræ literis nunciare, ne fortè miraretur legatum ad ſe decretum non fuiſſe; quamquam.n. aduerſus ſim & quãtum licebit, adnitar, vt legati ad M. V. deligãtur. cognoſco tamen eos qui contra nituatur argumentis & ratione prævalere. Reliquum eſt, vt Amplitudo voſtra hoc ſaltem obſeruantiæ & ſtudio meo tribuat, vt aut difficillimè conditionis conditionem tollat, aut aperte confirmet id fieri non poſſe quod petitur, quam etiam atque etiam rogo: & ſi quid mea opera illi opus ſit, in quibuſcunque rebus me vtatur. Ianuæ. Vale.

RAPHAEL DVX IANVAE.
Pontifici Romano.

Multa *ſunt, Santiſſime ac Beatiſſime pater, quæ ad*

ad nos ſæpiſſimè in dies afferuntur prodigijs ſimillima, ex-beneficijs, quæ plerique mortalium ope beati Bernardini ſe conſecutos eſſe arbitrantur, longe tamen ea certiora eſſe non dubitamus, quæ ad Beatitudinem veſtram perferantur, vt quę locorum, temporum, teſtium, nominatione fulciuntur. Quæcunque autem ea ſint, magna in populis opinio diſſeminata eſt, hunc virum concionibus, doctrina, abſtinentia, vitæ puritate quondam admirabilem, Sanctorum catalogo aſcribendum eſſe. quæ ſpes multos erexit eorum qui vel concionantem illum, vel conſuetudine, conſilijſque ſuis oblectati ſunt, gratulaturos tandem huic æuo noſtro, ſi inter fluctus & erumnas quas multas & varias noſtra ætas perpeſſa eſt, ea nobis fœlicitas contingat. tuliſſe noſtra ſecula hominem cœlo dignum, & æternę memoriæ conſecratū. Quam ob cauſam ſtatui & ego multis verbis. S. V. orare, vt ſi ea conueniunt quæ poſtulātur, inter Sanctos referatur, dignetur & ad id ſe non præbere difficilē. lætitia totus afficietur orbis. multæ Deo optimo maximo habebuntur gratiæ, quòd non vſque adeò ſceleribus noſtris a nobis auerſus eſt, vt mitiſſimi ingenij ſui oblitus ſit, qui hunc virum ex inquinato cœtu noſtro ſibi deſumpſit, doctorem præconemque ſæculo noſtro dedit. Id cùm B. V. edixerit, erit quòd nos omnes gloriemur. Me autem, meaq; omnia benignitati veſtrę ſupplex commendo. Datū. Ianuę M C C C C X L V. Die X X. Septem.

RAPHA-

RAPHAEL DVX, & CONSILIVM
Ianuę. Duci Burgundię.

SCIMVS *non oportere, Illuſtriſsime & præclariſſime Princeps, vt hoc loco dicamus quo ſtudio ac obſeruantia omni tempore coluerimus clariſsimos parentes, auos, cæteroſq; maiores veſtros, ac deinde ſublimitatem tuam: quã ſi hæc vt ſunt, Excell. V. nota ſunt, non eſt cur hæc ipſa nunc recenſeamus. hoc vnum dicimus, quàm primùm innotuit nobis triremes veſtras contra Imp. Turcarum Helleſpontum petere, mandata dedimus non modò prætori noſtro Peræ, ſed cæteri inſuper Rectoribus noſtris tranſmarinarum vrbium, vt earum præfectos, trierarcosque omni humanitate ac beneuolentia ſouerent, portaſque illis vrbium pateſacerent, portus, commeatusque præberent, & demum nullum prætermitterent benignitatis officium, quo non in illos vterentur. Hæc illis à noſtris an præſtita ſint Excell. V. curioſiùs exquirat. nobis à præfectis noſtris illarum vrbium renunciatum eſt, fuiſſe à ſe præceptis noſtris enixè obtemperatum, veſtroſque non ſecus omni commoditate earum vrbium vſos fuiſſe, quàm ſi ciuitates illæ ſub nomine amplitudinis veſtræ gererentur; nam præter portus, cõmeatuſque amicè præſtitos præterque fores confidentiſsimè patefactas, & ſe ueſtris conuiuia præbuiſſe, & ſua omnia*

nia

nia liberaliter detuliſſe, inter quæ nec illud obſcurum eſt, magnificum D. Gotefredum præfectum triremium cùm non longè à Phaſide fluuio in regione Colcorum in terram armatus deſcendiſſet, captuſque ac vinctus fuiſſet, opera viri nobilis Hieronymi de Nigro ciuis noſtri ſeruatum, & vinculis ſolutum. hæc autem à nobis ita contexta ſunt, vt Amplitudo veſtra intelligat quàm indignè ab ijs triremibus noſtri poſtea læſi ſint. Nuper nobis à rectoribus noſtris Caphæ redditæ ſunt literæ, quibus nunciant has veſtras triremes ſub auſpicijs D. Gotefredi mare Ponticum ingreſſas, multas cepiſſe noſtrorum naues; qui licèt vel infideles, vel ſchiſmatici forent ſubditi, tamen noſtri ſunt: & ſi cum infidelibus bellum geritur, non aduerſus illos ſaltem geratur, qui in Chriſtianorum oppidis habitant, quique ſe vitam & opes fidei noſtræ commiſerunt. Eſt præterea hoc iniuria maior, quòd vniuerſum mare Ponticum tutelæ defenſionique Ianuenſium ſupra annos centum commendatum eſt; quibus ſæculis ita eſt à nobis cuſtoditum, vt vel nunquam vel raro admodum piratæ vlli illò vſque penetrare auſi fuerint. Si quis in eo mari iniuria afficitur, noſtrum eſt ſubuenire læſo, & eum ab iniuria tueri. Cùm autem ij noſtri direpti ac ſpoliati ad noſtros præſides querelas detuliſſent, & ipſi apud D. Gotefredum pro reddendis ablatis agerent, reſpondiſſe dicitur, eſſe ſibi bellum cum omnibus infidelibus. nec profuit memoraſſe, tutelam

nos illius maris gerere, & quod efficatius eſt, illos eſſe ſubditos noſtros & intra mœnia oppidorum noſtrorum habitare. quoniam perpauca admodum fuere, quæ reddita illis ſunt; & quod etiam auget iniuriam, quidam leui parte ablatorum accepta coacti ſunt chirographo, aut alio ſcripto fateri ſibi cumulatiſsimè ſatisfactum. Quæ omnia adacti neceſsitate Sublimitati ueſtræ nunciamus, non tantùm vt contra D. Gotefredum querelas deferamus, id enim quàm inuiti facimus, & alioqui virtutes eius admiramur, quàm vt Excell. V. re cognita, iubeat quæ iniquè ablata ſunt, reddi. & ſi qui captiui ex noſtris detinentur, ſiue infideles, ſiue alio errore impliciti ſunt, protinus exolui. Nam ſi contra Regem Turcarum arma capta ſunt, quid meruit Perſa, quid Armenus, aut Sarmata, qui maluit in noſtris vrbibus habitare, cur diripiantur, aut capiantur? Oramus præterea Iuſtitiam veſtram, vt ſiue hæ vel aliæ triremes tranſmaria redituræ forent, vel vllæ ibi remanſuræ, dignetur ea illis dare præcepta, quibus ſe ſe a damnis noſtrorum obſtineant. Ianuæ, Die XXIIII. *Sept.* 1445.

RAPHAEL DVX IANVAE, & conſilium, Regi Aragonum.

SVPPVDET *nos, Præclariſsime Princeps, adeò ſerò cognouiſſe recondita vitia Ioannis de Fridericis, vt ſit opus nobis poſt multa fidei ſuæ commiſſa,*

commiſſa, de perfidia hominis hoc tempore queri. quàm multa,quamq́ue ingentia ſint ea, quæ ipſo ſuadẽte ſibi credidimus,nec Maieſtas quidẽ veſtra ignorare poteſt, ad quem illum ſæpenumero miſimus,nec pauca, nec leuia tractaturum. vir autem iſte totus venalis, vbi & Maieſtatis V. & pectoris noſtri arcana nouit, in eas ſe cogitationes conuertere cœpit, quibus poſſet hæc ipſa ſui lucri facere, & de illis quaſi negociari. Fidei igitur vel oblitus vel neſcius multa quotidie nobis proponere,multa polliceri,multa etiam diuinare:inter quę tandem nouum conſilium aperuit,quo nos à veneratione Maieſtatis Veſtræ in viam diuerſam traduceret. Sed vbi conſtantiam noſtram concuti non poſſe cognouit, alia rurſus conſilia ingreſſus, curauit,vt ab Illuſtriſsimo D. Mediolani accerſeretur, à quo cum eius impudentia contemptui habita fuiſſet, poſtremò ad eandem Maieſtatem veſtram,quam proderet non erubuit, iteratò reuerſus eſt. Peruenerunt autem nunc nuper ad manus noſtras eius literæ, quæ indicant eum machinari, vt triremes aliquot rebellibus noſtris conciliet, quarum ope poſsit mare nobis infeſtum reddere, & quietem publicam perturbare. & iam frater eius ad montana profugiens,rebellibus noſtris ſe ipſe coniunxit:nec ſumus dubij,ortum,mores,conditiones huius viri Sublimitati veſtræ nota eſſe, vt qui ſingulari natus,nec paterna fortuna contẽtus, in id crimen miſerum patrem præcipitauit, cuius

damnatus, ſecuri poſtea percuſſus eſt. ſed non huius loci, ac temporis eſt ſcelera eius enumerare, quæ ſerò nimium, vt diximus, ſed tandem tamen deprehendimus. Verùm quoniam aliquando illum & quidem enixius benignitati veſtræ commendauimus, nec dubitamus cōmendationes huiuſcemodi apud Eccell. V. illi maximo adiumento fuiſſe, nunc cognita ſeditioſi ac turbulenti hominis malignitate, viſum nobis eſt hæc ipſa Sublimitati V. nota facere, vt poßit ſibi ab illius fraudibus cauere: & ſi quid preces noſtræ apud ipſum illi proderant, nunc ſciat nos, detecta eius nequitia, ſententiam mutaſſe, omnemque eius ſublimationem horrere. hæc, quia ſtudium & obſeruantiam noſtram ita decuit, nuncianda duximus Serenitati veſtræ, ne forſam commendationes pro illo noſtræ falſum de homine iudicium, & præterea incommodorum aliquid afferret. Quod reliquum eſt, ad omnem gloriam ueſtram ſciat M. V. nos, fortunaſque noſtras præſto eſſe. Ianuæ, ij Octobris. 1445.

BARTHOLOMAEVS IVSTINIANVS
Duci Mediolani.

ET *ſi vera ſunt, Illuſt. Princeps, quæ de ſtudio obſeruantia mea ad Celſitudinem veſtram ſcripta fuere, ego tamen nihilominus ab Excell. V. expectandum putaui aliquas gratiarum actiones. Nam cùm memoria repeto veterea recentaque benefi-*

beneficia, quibus familia noſtra à præclariſs. maioribus veſtris ſæpenumero aucta exornataque eſt, inter quę nec illud in poſtremis habẽdum puto, quòd celeberrimæ quondam memoriæ D. parens veſter patrem meum Ant. non ſolùm aurata militia donauit, ſed inter potiores ac chariores amicos ſemper habuit; intelligo poſſe nullis meis viribus, nec ſi ſupra vires etiam enitar, vel minimam meritorum veſtrorum partem æquare. His accedit, id quod literæ Sublimitatis veſtræ pulchrè loquuntur. ꝙ cùm ea fœdera, ad quę contrahenda incumbitur, & decus & commoda huius reip. haud dubiè reſpiciant, ſuperuacanea profectò eſt gratiarum actio, cùm ea curans & meam & patriæ vtilitatem curem. Ago quinimmo humanitati veſtræ gratias & quidem ingentes ac immortales ꝙ inter maximas curas tantarumq; rerũ molem recordata eſt ſtudij ac obſeruãtiæ meæ. Ego ampliſs. Princeps, & quia id debeo, & quia eſſe vtile haud dubito, & quia poſtremò ita velle Sublimit. V. intelligo, eum me profectò præſtabo, vt votis Excell. V. non diligentia, non ſtudio, non ardore vnquam defuiſſe videar. cuius benignitati me mirum in modum commendo, ac dedo. hæc breuiùs ſcripſi, quòd negocia Orientalis Ripariæ nondum ſatis pacatæ, me extra vrbem detinuerunt. Ianuæ, XII Auguſti. 1443.

RAPHAEL DVX NICOTO NICIÆ & Prouinciæ Ducali Gubernatori.

VENIT nuper ad nos egregius Secretarius veſter, Petremetus de Leone, quem & læti vidimus: qui nobis retulit Magnificentiam veſtram cum Illuſtriſſimo illo Principe non modò ſermonem habuiſſe, ſed efficacem operam dediſſe Aragonenſibus rebus, quas vobis Decembri ſuperiore propoſueramus; petijtque à nobis, vt conditiones ſcripto mandaremus, tam eas, ſ. quas Illuſtriſſimo Duci offerimus, quàm eas quas ęquum putamus nobis præſtari. Quo circa, vt ipſe amicitiæ veſtræ vobis latius referre poterit reſpondimus ei, nos tunc cum ea de re ſermonem fecimus, vehementer optaſſe, vt perficeretur; arbitrantes magnam animorum ſecuritatem, multaq; non leuia commoda ex huiuſcemodi ſocietate partibus ipſis comparari poſſe. Verùm ne ignoretis poſtea quàm Sereniſſimus ille Rex triremes ſuas, & in eis celebrem legationem miſit huc ad nos, & pacis conditiones agitatæ ſunt, remiſſimus ad Magnificentiam ſuam legatos noſtros cum authoritate latoque arbitrio pacis conciliandæ, quæ forſam, & iam contracta eſt. & cum à die profectionis legatorum iam menſis completus ſit, certam eius rei notitiam ſingulis horis expectamus. Itaque qui tunc liberi exolutique eramus, nihil nunc

certi

certi promittere poſſumus, vt qui arbitrium noſtrum, & huius reipublicæ in legatos ipſos transfudimus. Hoc tamen dicimus & affirmamus, ſi re infecta legatio noſtra redeat, id quod tunc nobis placebat iterum placiturum fore. neque enim videmus aliquid ſuperueniſſe, quo conſilium mutare debeamus. Verùm quo ad conditiones pertinet, non poſſunt in hoc rerum ambiguo, ſicut prudentia veſtra probè intelligit, conditiones, vel efferri, vel peti: æquum tamen nobis videtur ſic à longè iudicantibus, vt quot pedites excellentiſſimus ille Princeps ad ſecuritatem præſidiumque noſtrum præſtaret, totidem nos Celſitudini ſuæ præſtaremus; quotcunque ille triremes armaret, nos totidem numero educeremus, multaque alia eiuſmodi, quę adueniente caſu res ipſa, tempusq́; docebit. Hæc tamen breuis dicimus, ſi ad pacem non deueniatur; & auguſtiſſ. Dux à re conficienda abalienatus non ſit, nos ab æquis honeſtisque conditionibus non eſſe receſſuros. 10. Martij.

RAPHAEL DVX ET CONS.
INVICTISSIMO PRINCIPI
Friderico Ro. regi ſemper Auguſto.

LITERAS *regias, inuictiſſimæ Princeps, vi ceſimaquarta Iunij ſuperioris die; Viennæ datas, ſerò quidem, ſed debita veneratione accepimus; vt quos ſacrum Imperium in peculiares fi-*

lios ſemper habuit, honoribusque ingentibus, ſæpe beneficijs exornauit: & quanquam exploratiſſimum haberemus animum Sublimitatis V. ad vniuerſale bonum Eccleſiæ maximo ſtudio, & ſumma ui anhellare, iuuit tamen nos vix dum lecto literarum initio hoc ipſum earum etiam teſtimonio cognouiſſe. in quo quidem Maieſtatis veſtrę propoſito dignè collaudando, quanquam nullas vires, nulla hominum ingenia ſatis eſſe arbitremur, nos tamen quantum datur, illud laudamus, prædicamus, & omni genere laudum extollendum ducimus. Neque enim videmus quid ſit aliud quod æquè poſsit nomen veſtrum æternitatis gloriæ conſecrare, quàm pro Dei ſponſa Eccleſia, eiusque incrementis ac vera tranquillitate, excellentiam veſtram nullas curas, nullas vigilias, nullos demum labores effugiſſe. Quod autem ipſis iiſdem literis Maieſtas veſtra nos hortatur prælatos legationemque die ſtata ad eam vrbem mittere, vbi nouum haberi concilium decretum fuerit; dicimus non ignorare rem, de qua agitur, maximam & ſummam omnium eſſe, in cuius rationem omnes mortalium res paruæ tenueſque iudicandæ ſunt, cùm præſertim ipſius Dei cauſam directè aſpiciat, cui & animorum ſimplicitas, & rectitudo conſilij maximè debeantur. Itaque, ne quid ex properatione peccemus, curabimus, quid nos deceat, intelligere, ita vt cùm ſtatuta dies aduenerit, iis quæ dignitatem, amplitudinem, veram tranquilitatem

quillitatem Eccleſiæ intueantur, nequaquam pro virili deſeramus; qui nos, noſtraque omnia Benignitati V. ſemper commendamus ac dedimus. datum XVIII. Sep. 1443.

GALEOTVS DE CARECTO MARCHIO Finarij, Regi Aragonum.

NON dubito Maieſtatem veſtram cognouiſſe nauem vnam Ianuenſium, cuius erat ductor Caſanus Gentilis nuper à magnifico D. Embaſtita captam, & Maioricam deductam fuiſſe. hæc nauis cùm oppugnaretur, & prælium anceps videretur, deditionem tandem fecit, vt viri omnes ſalui eſſent. Inter hos eſt adoleſcens quidem nomine Nicolaus natus Franciſcũ Regis, cui ego iampridẽ omni genere familiaritatis & amicitię deuinctiſſimus ſum, ita quidem, vt ſecunda aduerſaque omnia quæcumque illi eueniant, ſemper duxerim mihi eſſe communia. Is adoleſcens amiſſis ferè omnibus fortunis adhuc retineri videtur, nec, vt fidei datæ conuenit, liberatus eſt. His adductus ſum, vt orarim Maieſt. veſtram, vt per fidem, quæ Barbaris etiam ſeruanda eſt, & quia patrem & filium ita diligo, vt eos inter maximè coniunctos ſemper enumerauerim, dignetur Sereniſ. D. Reginæ ſcribere, vt mox iubeat hunc adoleſcentem liberari: id quidem, humaniſſime Princeps, & nominis gloriaque veſtræ vtile erit, & ego id bene-

ficij

ficij mihimet ipſi collatum exiſtimabo: Maieſt. autem veſtræ me, meaque omnia defero. Vale.

FRANCISCVS CATANEVS IANVENSIS, Franciſco Foſcari Duci Venetiarum.

ALIIS *literis, Illuſtriß. Princeps, certiorem feci vos, me propter integritatem ſanctitatemque illius ueſtri imperij, & veterem beneuolentiam, quæ mihi cum pleriſque ciuibus veſtris intercedit, illuc me conferre ſtatuiſſe, ibique multos annos mercatorio more manſurum; eamque oraui, vt quamquã rarò ſoleat, veniam, & ſaluos cõductus peregrinis concedere, dignetur me inter paucos enumerare; nõ quia ego uibi metuã, aut pecunijs, ſed potius, vt qui merces & bona ſua Venetias diuerſuri erunt, maiore fiducia res ſuas mihi committant, ſi ſciant me mihi & quæ in cõmiſſa ſunt, fide publica tuta eſſe. Huic petitioni meæ, Excell. Princeps, nec repulſa nec aſſenſus datus eſt. Sed in aliud tempus reiecta eſt. Quæ dilatio ita me diſtrahit, ita incertum ſuſpenſumque habet, vt nequeam conſilium capere, niſi ab Excell. V. id impetrem, quod conſiliorum meorum fundamentum eſt; ex quibus ſtatui rurſus ſublimitati veſtræ ſupplicare, vt pro mea erga vos obſeruãtia, ac ſtudio, dignetur voto huic meo reſpondere, & hanc ſyngrapham liberi acceſſus decernere, quo mea omnia, & quæcumque meæ curæ committentur, in omni*

omni euentu tuta maximè ſint: quod mihi erit mirum immodum gratum. Vale.

RAPHAEL DVX, ET CONSILIVM Ianuen. Romano Pontifici.

NON *dubitamus, Sãtiſſime pater, cognitam eſſe Sanctitati veſtræ veterem egeſtatem Ianuenſium ſacerdotum, de qua ſi quod eſſet operæ pretium, multa paruo labore afferri poſſent teſtimonia, quibus liqueret quàm ſibi etiam lege naturæ parcè viuentibus res anguſtæ ſint. Verùm quoniam de hac Sacerdotum egeſtate, quæ nota eſt, nunc minimè loquimur, eam tantummodo attingemus, quæ huius temporis eſt. Annonæ caritate quæ multos annos hanc regionem vexauit, & item externis bellis terra marique circum tonantibus, diu fortunæ populorũ noſtrorum attritæ ſunt, & effectum eſt, vt neque ab agreſtibus, neque à ciuibus tenuioribus exigi pecuniæ poſſint; & cum pars maxima reddituũ ſacerdotaliũ ex annuis penſionibus conſtet: egeſtate conducentium neceſſe eſt res anguſtiores locatoribus fieri. Accedunt & onera publicorum munerũ, quorum partem haud leuem iamdudum Sacerdotes pertulerunt. Nam cum infœlicitas temporum coegerit nos pro ſalute patriæ ac libertatis noſtræ vndique pecunias corradere, pars propè quarta fructuum, quos ex locis communis noſtri percepturi fuiſſent, ſibi quotãnis, eripitur*

eripitur, & in ſumptus publicos erogatur; quæ ſic, vt ſunt, ſi ſumma ſapientia veſtra cogitare voluerit, facilè cognoſcet horum Sacerdotum egeſtatem. Cùm verò inotuerit nobis liberas Apoſtolicas perlatas eſſe, quæ iubet hos Sacerdotes contribuere in claſſem contra Turcas parandam, non potuimus non miſerari erumnas eorum, qui cùm naturæ deſideria ægrè poßit explere, ad eiuſmodi ſumptus inuitentur; propter quæ B. V. oramus mirandum in modum, vt ad ea, quę diximus, animaduertens, dignetur id onus ijs Sacerdotibus remittere, cui etiam, ſi velit, obtemperare non poßit. quod quamquam per ſe ita æquum eſt, vt vix æquius quid haberi poßit; nos tamen loco beneficij accipiemus, qui nos noſtraque omnia. S. V. deferimus. Ianuæ, Die XXVI. *Oct.* 1443.

IDEM, REGI ARAGONVM.

PROFECTO, *Regum Illuſtriß. quorumdam tuorum audacia diutiùs ferri non poteſt, nec temeritas tolerari, dum nimis quidem vel lenitate abutuntur, vel ſæueritatem non formidant, & dum ſub inuidia Maieſtatis tuæ regnare ſe putant, aut quòd alius ſit prægustator, aut alius architriclinus, aut à cubiculis, dici non poteſt dum prouincijs aut vrbibus præſunt, quanta ſibi licere exiſtiment, quàm ſe omnia impunè facturos putent, vel quantam humanitati tuæ dedecoris notam &*

maculam

maculam inurant, vt nihil ex eorum iniurijs ad Maieſtatem tuam, niſi dedecus, ad ſe prȩda, ad miſeros dolor perueniat. atque vtinam contenti ij forent in tuos tantùm hæc genera iniquitatis exercere, nec in peregrinos etiam ſæuirent & audaciæ ſuȩ atque immanitatis furorem extenderent. Si quidem de gloria tua tantum detrahunt, vt cùm tu ſis humaniſsimus, ij quidē ſint immanes & ſæuiſsimus, Vrbanus Teſta, Princeps humaniſs. ciuis noſter, quintus iā agitur annus, quum in Sardinia ſub fide pub. captus fuit, quā is, qui vicem tuā illic gerebat, ſibi dederat, nec ſolùm bonis omnibus & fortunis ſpoliatus eſt, & cōtra iuſgentium turpiter vexatus, verùm etiam in carcerem coniectus tetrùm adeò & horrendum, vt qui eum illuc coniecerint, nihil videretur niſi de morte eius cogitare. Tandem cùm multos menſes in ijs tenebris multa & maxima paſſus fuiſſet, prȩter omniū ſpem ſemiuiuus eductus eſt, nec putauit alium eſſe, ad quem iniurias ſuas, querelas citius deferret niſi ad Maieſt. tuam, cui hæc non minus quàm ſibi futura grauia exiſtimabat, ſuummo cum dolore te vſque in Brutios eſt proſecutus, qui cùm cauſam ſuam humanitati tuæ aperuiſſet, graueſque iniurias expoſuiſſet, ita commotus fuiſti, vt planè id liqueret, has tuorum iniurias minimè tibi placere. nec magis te cupere, quàm vt omnes æquo ſub te iure continerentur. Itaque literas ad præfectum Sardiniæ dediſti plenas certè & minarum & indignatio-

dignationis; quibus ſignificabas de huiuſmodi rebus quis ſenſus tuus foret, & quàm ex animo tuo non eſſet, eiuſmodi iniurias à purpuratis tuis tenuioribus afferri. Verùm homo ille non ſolùm rapax & inhumanus, ſed quem audacia & confidentia cæcum & præcipitem ageret, ita Maieſtatis tuæ literas contempſit, ita illatæ iniuriæ non pœnituit, vt ciuis noſter nihil ab eo conſequi ſuarum rerum potuerit, verùm etiam quinque totos menſes ludibrio habitus ſit. Itaque nihil ad ſuos retulit niſi iniuriam & inopiam, nihilque ex literis tuis conſequeretur præter labores & ſumptus grauiſſimos. Hæc nos cùm fieri à tuis videremus, ut qui nullo metu, nec minis literarũ tuarum terreãtur, & quos nullos Maieſtatis tuæ pudet, detineat, dolendum admodum duximus, ſi in hac tanta tua fortuna hominibus inhumanis & prædonibus audaciæ tantum & loci daretur, aut ſi tanta Maieſtati tuæ moderatorum & continentium virorum eſt penuria, ut eos prouinciis aut vrbibus præficias, qui non modò nulla ſint humanitate prediti, verùm immanes atque maximè cupidi, qui quia procul ab oculis tuis abſunt, aut quia non potes omnia reſpicere, ſub hac ſiue ignoratione ſiue vmbra latentes, nullum eſt crudelitatis & auaritiæ genus, quod non exerceant. Dicam enim liberè, dicam audacter, niſi ſæueritas tua, aut ſapientia hos cohibuerit, niſi terror, quando æquitas eos non poteſt, in magnum

multa-

multarum gentium & luctum & dolorem hæc Amplitudo tua redundaret, ij ſolùm poſſunt immanes & agreſtes tantum de gloria tua detrahere, quantum vix tua vel humanitatis vel virtus queat adijcere, dum, quia de te aliquid ſe meritos putant, credunt hoc quaſi munimento ad omne iniuriarum genus poſſe vti. Itaque Maieſtatem tuam oramus, vt omnem curam poſteriorem ducat præſit, quàm modeſtos & continentes huiuſmodi curis præponat, ne ue tam eos, qui benè de ſe meriti, quàm qui honore digni ſunt præficiat. Verùm noſtra ſiue amor, ſiue ſtudium longius fortaſſe nos deduxit, ad Vrbani cauſam veni mus; rogamus te mirũ immodũ quando his omnibus bonis ſpoliatus uenire iſtuc non poteſt, vt cuiuſmodi literas ad pro regẽ dederat, eaſdẽ ad vrbem Sateris & prætorẽ ſcribat. Hoc itaq; modo facilius ciuem noſtrum ius ſuum conſecuturum ſperamus, & vrbi illi non futurum ingratum: nam ob hanc cauſam tota Sardinia quatuor iam annos vrbis huius commercio caruit, à qua ſpiritum ferè ac uitam ducit. Lege enim cautum eſt, ut nemo Sardus niſi fide Vrbani poſſit huc uenire. decet itaque Maieſtatem tuam non ſolùm ciuis noſtri commodo & æquitati conſulere: ver ùm prouinciæ Sardiniæ commertia reſpicere, quæ cum tamdiu urbe hac caruerit, tanto affecta eſt incom modo, quãtus iſte tuus præſes pirata nũquam poſſet reſtituere. Ianuæ 18. Iunij. 1445.

RAPHAEL

RAPHAEL DVX MARCHIONI Mantuæ, & fratribus.

Ex literis veſtris, & ex ipſa rei natura facile nobis fuit coniecturam facere, quanto in luctu eſſetis amiſſo parente Clariſſ. viro, ob eius egregias ſingulareſq; virtutes omnibus populis cognitas. quo nos, qui priuati eum coluimus, principatum verò adepti, ſumma beneuolentia complexi ſumus; accepto lugubri nuncio ita conſternati ſumus, vt neque animum continere potuerimus, neque lachrymis temperare. Nam quo pacto ſiccis oculis audiamus illius viri obitum, quem merito tota Italia lugere debuiſſet? Quam ob cauſam, nolumus amicitiæ veſtræ hoc tempore à nobis expeterent conſolationis officium, cùm ægritudinis expertem eſſe oporteat eum quicumque ſe conſolatorem profitetur. Neque ignoramus ſolere in leniendo dolore multa memorari: nihil magis quotidie auditi quàm hominũ funera: interire quandoque vrbes, regna, imperia, nedum humana corpuſcula; fuiſſe aliquando populos, qui natalem hominis diem fletu exciperent, exitum conuiuijs, ac lætitia celebrarent, quęque alia ſapientis in remedia lachrymarum pulchra excogitarunt. At nos ſummam neque vlli calamitati comparandam iacturam ſemper arbitrati ſumus, quotiens aliquis nobis eripitur ex illis ſummis ac

propè

prope diuinis hominibus, quorum prudentia, integritas, innocentia multos ab iniurijs, & interitu eripuiſſet, quorumque beneficio multi adiuti fuiſſent, multi etiam ſeruandi fuerint. Verùm præclaras optimi parentis virtutes, & nos ſæpe laudauimus viuentis, & nunc defuncti non minus prædicabimus, digni profectò, qui primum fulgorem illum Marchionatus in ſuam domum tranſtulerit. Quod reliquum eſt, vos, vt Imperij; ita virtutum hæredes eritis, viuæque parentis optimi imagines, nobis, amicis, affinibus tantæ iacturæ ſolatium: illudque memineritis, eſſe vobis præter vrbes, Imperium, opes, gratiam, amplam quoque ab illo hæreditatem amicorum relictam, de quibus tantum vobis ipſi polliceri poteritis, quantum intelligetis à nobis poſſe præſtari. 1449. Primo Octobris.

RAPHAEL DVX IANVAE, Duci Mediolani.

SI, Illuſtriſſ. Princeps, amplitudinem tuam metiri voluerimus, nihil inuenietur apud nos, quod ſit tanto faſtigio dignum munus. at ſi contrà, ſummam illam humanitatem veſtram intueri potius licebit, quæ non rem, ſed animum æſtimare ſolet, ſcimus nihil ei tenue viſum iri, quod libētiſſimo, & gratiſſimo animo datum ſit. Propterea dilectū familiarem noſtrum Valerianum Borlaſcam cum

exiguis muneribus ad te mittendum duximus: quem precamur, vt animum noſtrum, non rerum tenuitatem metiatur, illoque accipiat vultu & animo, quo data ſunt; cùm etiam ſciamus, magni viri eſſe magna contemnere, & vilia plerunque maximi æſtimare, XI. *Decembris.* 1545.

DVX MEDIOLANI, FRANCISCO BARBAVARÆ & OPICINO de ALZATE Locumtenentib. Reip. Ianueſium.

DILECTISSIMI *noſtri, vidimus omnia quæ ſcripſiſtis de eligendo nouæ claſſis præfecto: ſatis ſuperque animaduertimus id quod innuitis, quòd electio Aurienſis Ducis vniuerſis longè magis probaretur. Breui igitur reſpondentes dicimus, quòd ſi in familia illorum de Auria aliquis eſt in maritimis rebus peritus, qui nobis inimicus non fuerit, neque ſit, ita gerere debetis, non attentis maculis, & iniuſtis notis in ea familia aliquando compertis, vt in illam cadat electio. Nobis enim Aurienſis Imperator multò magis probaretur, ſi talis eſſet qualẽ dicimus. Prꝗterea exinde ſatisfiet nobilibus illis, in quos iure optimo munus Imperatoriũ peruenire debet. ſi verò in ipſis Aurienſibus vir ex præſtantia & partibus, quas dicebamus, prꝗditus non ſit: volumus quòd eo caſu operam detis, vt alter illorum duorum deligatur, in quos etiam propenſi videmini. Nicolaus. ſ. de*

Nigrono

Nigrono, et Otobonus Imperialis. Sed animaduertite, quòd in eo potius electio & ſors cadat, qui maritimarum rerum peritiam maiorem & longiorem habuerit, non habita ad alias eorum conditiones ratione ulla. habetis mentem noſtrã ſuper electione; vos datè operam, vt quàmprimum totum negocium conficiatur. Mediolani, Die XXV *Aprilis* .1433.

DVX MEDIOLANI, FRANCISCO BARBAVARAE, & OPICINO, & ANTONIO de Alzate, locumtenentib. reip. Ianuenſ.

EX *literis veſtris intelleximus difficultates quas adducunt ciues illi noſtri in muniendis oppidis & arcibus noſtrarũ partiũ Ianuen. & imprimis in muniendo Bulzanetũ & Põtem docimum, de quib. tibi Ant. præcipuã curã, mandatumq; dedimus. vidimus etiam quæ ipſi ciues nobis ſuper iiſdem rebus ſcripſerunt: qui & ſi nonnullas rationes deducant ad luendam ſententiam ſuam, tales tamen non ſunt, vt videatur ab ipſis rebus procurandis & muniendis deſiſtendum. Nec poſſumus non mirari quòd nobis ita ex corde vos, Franc. & Opicinus ſcribatis pro iis munimentis non agendis, attenta opportunitate & vſu eorundem. Licèt enim partes veſtræ ſint pro Ianuenſibus intercedere, atque id etiam nobis placet; non tamen in rebus tam neceſſariis & vtilibus ita lo-*

qui & agere deberetis. non ſunt quidem illa munimenta & propugnacula inutilia, vt inquiunt Ianuenſes; imò pro euentibus aliàs & ſępe ſecutis, qui etiam futuris temporibus euenire poſſunt, ne dum uidentur vtilia, ſed apprimè neceſſaria: & quamuis olim propugnacula Bulzaneti diruta fuerint, id temere & inconſultò potius quàm prudenter factum fuit, nec longum tempus prӕteriјt, quòd nos eiuſmodi facti pœnituit. Quis neget Pulciferēſes & alios malè affectos, ac nouarū rerū cupidos in officio manſuros & pacatiores futuros, ſi arces & propugnacula in caput eorū muniantur? quis neſciat ciuitatem meliùs ac tutiùs cuſtodiri ducentis peditibus ſtantibus caſtris & arce egregiè munita, quàm cum mille, ipſis non extantibus, & exinde impenſam pro cuſtodia ciuitatis ibi diminui, non augeri? Hӕc cùm ita ſint, omnino diſponimus atq; volumus, vt fiant exordia & initia horum munimentorum ſine aliqua exceptione, & omni contradictione reiecta. Quare vos, Franciſce, & Opicine, detis operam vt quàmprimum hęc omnia conficiantur. Mediolani, 22. Iulij. 1433.

PHILIPPVS *Maria Dux Mediolani, &c. Papiӕ, Anglerięque Comes, ac Ianuӕ Dominus. Sicut pro danda nobis & muneribus noſtris tranquillitate & quiete pacem amplexi ſumus: ita omni ſtudio, & exacta diligentia quęrimus & intendimus omnia prorſus abſtergere ac pracidere*

quӕ

quæ generare poſſint in noſtris populis diſſidia. Proprium eſt enim dominorum & Principum ea ſemper animaduertere, quę ad ſalutem & commodum ſociorum & beneuiuendi formam attineant. Sentientes igitur in ciuitatibus ac locis noſtris aliquando fieri conuentus inter plures variasque familias, quæ ſub eorum modis & formulis nouas affinitates ineunt, ac faciunt ſe omnes iiſdem cognominibus nuncupari; & cognoſcentes apertè conuentus huiuſmodi non eſſe laudabiles, licèt umbram quandem boni prę ſe ferant; tandem potius diuiſiones & ciuiles diſcordias, quàm fructum aliquem paritura ſunt. His literis noſtris edicimus, atque decernimus, quòd tales conuentus cuiuſuis generis exiſtant, per, & inter ſubditos noſtros nullo modo, nullaque ratione, vel cauſa fieri debeant, abſque venia noſtra & ſpeciali indulgentia, ſub indignationis noſtrę pœna, nec non ſub mulctis noſtro arbitra tu auferendis. Mandantes vniuerſis & ſingulis officialibus, & ſubditis noſtris, quatenus hoc ipſum decretorum noſtrorum deſcribi faciant. Med. die. XXIII. *Maij.*

DVX MEDIOLANI FRANC. BARBAVARÆ, & Opicino de Alzate.

DILECISSIMI *noſtri, quicquid dicat Leo de Taliacocio, nos de Thoma de Campo fregoſio bene ſentimus; neque perſuadere nobis poſſumus;*

mus, quòd aliter quàm bene debeat operari. Nihilominus laudamus, vt dicta illius quã diligentiſſimè obſeruari faciatis; & ſi præter ꝙ deſperamus, aliquid attentauerit, ex quib. fides eius in dubiũ vocetur, id quod opportunũ fuerit, faciatis, ita vt nihil mali agere poſſit; ſed gerite vos ita cautè & prudẽter, ne ipſe veniat in ſuſpitionem, ꝙ de eo malè ſentiamus, ne poſtmodum in deterius ruat Placet, quòd Reuerend. Cardinalem Rotomagenſem honorificè exceperitis; omnia mihi probata ſunt; benè eſt quod me certiorem feceritis. Mediolani, Die 13. Martij. 1433.

DVX MEDIOLANI FRANC. BARBAVARIAE & Opicino de Alzate, & officialib. Ianuen.

DILECTI *noſtri, ſentimus, quòd in negocio componendæ claſſis ſegniter vos geretis ob ſubortum quendam rumorem firmatæ pacis. Miramur quòd vos incertis rumoribus ab inceptis deſiſtatis, aut minus diligenter agatis, quicquid agendum eſt, cùm certiſſimi eſſe poſſitis, quòd ſi pax confecta eſſet, vobis & quidem imprimis eam notã feciſſemus. Oramus igitur vos iterũ, atq; iterũ, vt omni ſtudio, cura, & diligentia ad exornandam claſſem incumbatis; neque vos deterreat, aut quouis modo retrahat cauſa pacis; quia nec concluſa eſt, nec de concluſione ſpes habetur. Florentini enim, conſilio Baptiſtæ de Campo Fregoſio & Ioannis*

Ioannis Ludouici de Fliſco, nunc innouant, quòd Pontremolum, & omnia quæ illi de Campo Frigoſio & de Fliſco tenere ſolebant, reſtituantur; cui petitioni, cùm inboneſta ſit, tam pro bono noſtro quàm illius Magnifi. vrbis nequaquam aſſenſum præſtare decreuimus. Nullam ergo ſpem in pace ponatis, ſed claſſem amplam & firmam parate quàm maiori properatione fieri poteſt: nullus locus ſit moræ, ne hoſtes nos imparatos offendant. Agite, vt magnanimos & prudentes viros decet; nos maximam ſpem in vobis poſuimus. Mediolani. Die VII *Aprilis.* 1433.

DVX MED. FRANC. BARBAVARIAE. & Opicino de Alzate, & Ancianis Ianuæ.

DILECTISSIMI, *vt ſuperioribus literis ſcripſimus, maximè cupientes, vt Ianuenſes noſtri Venetijs captiui liberarentur; non expecto exitu conſilij iam capti, quod nimis longum videbatur, miſimus ad Illuſtriß. Dominium Venetorum ſolemnes oratores noſtros, D. Andream Barth. Imperialem, & Ioann. Franc. Gallinam, vt cum ipſo Dominio per liberatione omnium captiuorum tam ſuorum quàm noſtrorum ordinem & modum apponant. ipſum D. Andream Barth. ad hanc légationem elegimus, quòd viſus eſt ratione patriæ ad eum optimè conuenire. neque dubitamus, quin in liberatione dictorum captiuorum cum ipſis Vene-*

tis benè conueniunt. habent enim latiſſimas habeans à nobis. & ſi præfatum Dominium ſuos apud nos detentos, in quibus adſunt multi viri preſtantes, charos habuerit, miſſioni noſtrorum conſentiet, maximè quia plures ex ſuis habemus. Conſiderantis igitur, quòd acceſſus Domini Damiani Pallauicini, quem Venetias mittere volebatis, non eſt opportunus, imò poſſet in ſolutione dictorum captiuorum maiores difficultates adducere: quò maior ſit inſtantia, eò minus interdum obtinetur; decreuimus, vt ipſe D. Damianus Ianuam reuertatur, quod vobis ad excuſationem ſui enarrare libuit, vtque intelligeretis, quibus conſilijs adducti cùm domi detinuerimus, vobis pollicentes nihil nobis magis cordi futurum quàm captiuorum ueſtrorum ſolutionem, cum ex ſola occaſione ipſorum liberandorum paci conſenſerimus. Mediolani. Die VIII. *Iulij.* 1433.

DVX MED. FRANC. BARBAVARAE, & Opicino de Alzate.

QVATVOR *à vobis literas habuimus de ornanda claſſe, ſicut etiam Blaſius de Axereto retulit. Mihi gratiſſimum fuit intelligere rationem & diligentiam, quam adhibuiſtis pro inducendis ad vota noſtra ciuibus. Volumus, vt aſſentiatis, quòd ipſi ciues ad nos ſuos oratores mittant, pro vt eos decreuiſſe ſenſimus: illud tamen date operam*

ram, vt qui venturi erunt, fide & beneuolentia erga nos perpenſi ſint, ac tales qui in claſſe comparanda, nequaquàm à voluntatis noſtra diſſentiant. Quò citius ergo id curabitis, eò nobis gratius erit. Datum Mediolani, 1433. Maij. 1433.

DVX MEDIOLANI, FRANC. BAR. & Opicino de Alzate.

OPTIMA *eſt ſententia ciuium illic noſtrorum, de attrahendis & complectendis omnibus receſſuris ex locis Agri Piſani qui reip. Florentinæ ex pace reſtitui debent. Sed, vt prudentiſſimè dicis, non ſunt ea de cauſa edicta publica facienda, ne Florentini propterea conquerantur.. Commiſſis ergo edictis, date operam, vt quicunque ex iis locis illuc venturi ſunt, amicè colligentur & humanè tractentur, cùm in conceſſione immunitatum, tum in aliis quibusvis: ad hæc, eos clam certiores faciatis per nũcios, de propenſo erga eos animo Ianuenſium, vt ad veniendum proniores fiãt. Mediolani,* XVIII, *Maij,* 1433.

DVX MED. FRANC. ET OPICINO.

AVDIVIMVS *Quæcunque ſcripſiſtis de longò colloquio habito cum D. Andrea de Biute: fuitque nobis iucunda lectio literarum veſtra-*

rum,

rum,id officij mihi gratiſſimum fuit. Neque enim melius dici potuiſſet, neque de amico erga regem Aragonum animo tanta referri poterant, quanta ſunt. Vt igitur conſilium ipſius D. Andreæ ſequamur, decreuimus Regi aliqua ſcribere de pace cum Venetis & Florentinis nuper inita, vt intelligat nos erga Maieſt. ſuam eo animo eſſe, quo ſemper fuimus & meliori, ſi tamen melior eſſe poſſit; & præterea ipſum Regem hortari ad præſidia & opem ſacro concilio ferendam, ſicut ipſe D. Andreas laudare videtur: nanque, vt tu probè noſti, poſſet ex ipſo concilio multo fauores cõmodaq; ſentire. Verùm ſi quando contigerit ipſum D. Andream ex Catalonia redire, nomine noſtro ei plurimas gratias habebitis. Mediolani, XXI. *Maij.* 1433.

IISDEM.

QVICQVID *affirmant ij ciues noſtri Ianuenſes, nos prorſus propoſuimus, & volumus, vt non modò naues onerariæ, ſed & triremes exornentur. Cùm ſatis in hoc genere animũ noſtrum proſpicere potueritis: detis igitur operã quibuſcunque rationibus & inſtetis diligentiſſimè, vt negocium ornandæ claſſis abſoluatis. Videtis enim æſtatem imminere, & multum nobis temporis ad conficiendas res deperijt. non ita ſegniter agunt hoſtes noſtri: ij omnia iam in prom-*

ptu

ptu habent. Mediolani. 18. Aprilis. 1433.

IANVAE DVX, & CONSIL. SENATVI populoque Mediolanenſi.

QVAMPRIMVM *nobis nunciatum eſt de obitu Illuſtriſſ. Philippi Mariæ Ducis, cogitare cœpimus quæ coniunctio animorum, & peruetuſta amicitia ſanctè quidem, ac religioſè ſeruata nobis cum Mediolanenſi populo interceſſerit. qui ſecundis rebus noſtris lætari conſueuerat, clades aũt & incommoda quaſi ſua iniquiſſimo animo ferebat: venitque in mentem inſtare tempus, quo de amicorum beneuolentia periculum faciamus, abſq; eo, quòd alios rogamus, cum vltimi amici amicorum commodo omnia deferre debeant, quæ vel vtilitate vel adiumento eſſe poſſint. Itaque, & ſi iure mirari poſſumus, nihil nobis literarum allatum eſſe, eaſque ſumma cupiditate expectamus: tamen optimum duximus vobis conſilia noſtra deferre, & ita quidem omnia, vt nihil prorſus excludamus conſilium, operam, auxilia, demum quæ noſtra ſunt, pro incolumitate ſaluteque veſtra vobis polliceamur; eaque, vt hoc ſibi perſuadeant, etiam atque etiam oramus, erit humanitatis officijque veſtri reſcribere; quid potiſſimum agamus. Nam nos, perſpecto animo veſtro, nihil prætermettimus quod à nobis perfici poſſit; mirũ eſt quãtopere literas expectemus. & quoniã igno-*

tum

tũ nobis, quæ forma imperij illi nobiliſsime vrbi data ſit, id perſuaſum maximè habeatis, quòd quaſcamque rationes reſp. ſibi delegerit, nos id vt prudentiſſimè conſtitutum non modò comprobabimus, ſed & pro tuendis rebus veſtris, tanquã pro ſalute noſtra, laborabimus. Ianuæ. XVI *Auguſti.* 1433.

DVX MEDIOLANI, PAPIÆ ANGLERIAEQVE Comes, ac Ianuæ dominus, Ianuenſibus.

AVDITE *quàm pulchrè Deus Opt. Max. rebus noſtris faueat, quantoq; cauſæ noſtræ iuſtiſsimę ſit adiumento. Heſterna die, matutino tempore, claſſis noſtra potẽs & fœlix contra nauẽ maximã hoſtium prope Padũ prodijt, ſuper q̃ aderat egregius gener, & filius noſter, Franc. Sfortia. Vicecomes, & ſpectabilis Nicolaus Picininus de Peruſio, Imperator noſter, viri profectò magnanimi & fortiſsimi cum nobiliſsima noſtrarũ gentiũ acie, ipſumque hoſtile nauigium ad Cremonam tanto ordine, tantaque vi agreßi ſunt, vt illud quàmprimum euicerint, captis etiam maioribus, quos Galeones appellant, quatuor exceptis, qui miſerè euaſerunt; qui capti ſunt, munitiſſimi erant gentibus & multarum rerum copia; interceptis etiam nauibus minoribus quàm pluribus comeatibus oneratis. Vt igitur glorioſum & triumphale munus nobis Dijs immortalibus primùm, deinde virtutæ noſtrorum acceptum ferimus, voluimuſq;*

vobis

vobis impartiri. Facite in oppidis & vicis veſtris decerni ſupplicationes triduo, animiſque lætis & præſentibus eſtote.

DVX MED. FRANC. BARBAVARÆ
Vic. Ducali Saonæ.

INTELLEXIMVS *Dominicum quendam Grauarium, Alexandrinum ciuem, dudum à locis noſtris abſentem, decedentem ex Monteferrato profectum Venetias, deinde Romam; nunc verò per viam ripariarum Ianuæ Monteferratum iter ſuum direxiſſe, nonnulla inquirens & gerens contra dignitatem & imperium noſtrum. eſt autem vir proceri corporis, macer, habens latos & magnos pedes: quod ad faciem attinet, eſt ruffi & albi coloris, caluus frontem, balbutiens, & naſo aquilino. Cupientes igitur eum in manu habere, damus tibi id oneris, vt in quibuſcunque locis apponas viros diligentiſſimos, qui eum prætereuntem ſiſtant, capiant, ad nosq́; quàmprimum deducāt. Mediolani. Die* XVIII. *Octobris.* 1433.

Dux Med. Franc. Barbauaræ Vic. noſtro, Saonæ; nec non Reuerendiſs. Epiſcopo, & Antianis ciuitatis Ianuæ, ac Saonæ.

NVPER *intelleximus collata fuiſſe ſigna maxima contentione animorū die dominica poſt feſtum*

corporis

corporis Chriſti,bello illato ab Vſſitis hęreticis Boemiæ, quo prælio tredecim millia Vſſitorum ceciderunt, interempto etiam Imperatore eorum,& alijs duobus ſupremis authoribus & principibus factionis. nec non ſemptingentis ex ipſis captis; ex noſtris verò ducenti tantum deſiderati ſunt. Hoc tam fœlici nuncio quicumque de fide noſtra benè ſentiunt, lætari debent. Volumus igitur hoc fœliciſsimo rerum euẽtu decerni triduanas ſuppli cationes. Mediolani, Die XXIII. *Iunij* 1433.

Dux Ianuæ,& Officium prouiſorum Bapt. de Bœno,& collegis legatis apud Mediol.

ACCEPIMVS *priores literas veſtras, Papiæ datas, die* XXII.*menſis; quæ ſignificabãt alias prius literas à vobis ad nos datas fuiſſe, quas nunc intelligimus periſſe dolo, aut incuria tabellarij. Secundæ quoque literæ veſtræ, die* XXIII, *&* XXV. *Mediolani datæ ſignificant etiam alias prius literas ſcriptas, quæ etiam nunquam ad nos perlatæ fuerunt: atq; ita dum ratiocinamur, quot accepimus, tot perierunt. quod ideo à vobis ignorari noluimus, primùm vt literæ poſthac cautius committantur; deinde vt ſi quid erat in literis illis, cuius ignoratio poſſet rebus diſcrimen afferre, curetis id, quicquid erit, literis iterare. Has poſtremas non modò raptim non legimus, imò nulla eſt in eis ſyllaba, quam non ſemel atque iterum verſa-*

verſauerimus. Verum quò magis illas excutimus, eo vehementius miramur tres illas petitiones populi Mediolanenſis. ante omnia mirum eſt, quod prudentia ſua dubitare videatur, oppida, quæ multis ſeculis quietè poſſedimus, noſtra eſſe: deinde quòd quantacumque modeſtia fuerit illius reip. querela, conqueſtaque ſit, quòd terras noſtras receperimus, quaſi alijs licuerit noſtra occupare, & capta detinere, nobis verò non liceat hæc ipſa vindicare. Poſtremò nondum intelligere potuimus, quid Mediolanenſis reſp. interſit exquirere, quo iure has terras receperimus, niſi forte hæredem ſe facit Illuſtriß. Ducis defuncti. quod ſi eſt, teſtamentū proferat. Et tamen, quia de iuribus Nouarum grauiùs dubitare dicuntur, vt ſciant Mag. illi Senatores, nihil ambire, quod noſtrum non ſit, ſi vnquam in huiuſmodi ſermonem incideritis, volumus eos certiores faciatis Nouas huic reip. vendidiſſe Ioannem Marchionem Montisferrati pretio aureorum XVII. *mill. quod oppidum cùm diu poſſeſſum ſine vlla controuerſia fuiſſet, nobis à Ioanne Balcario Duce primo ſubtractum eſt; qui poſt multos annos non modò illud nobis reddidit, ſed de illo liberalem inſuper donationem nobis fecit. Sunt hæc apud nos publica documenta, quæ ideò non mittimus, quia de ſalute ac firmamento illius reip. maior quàm de iuribus Nouarum hoc tēpore nobis cura eſt. Atq; vtinam adeò tranquillæ, & in tuto poſitæ res illæ forent,*

rent, vt eiuſmodi diſputationem tempora exigerent: miſiſſemus ad vos chyrographa, vt ſi quis ex ijs dubitaſſet, omnem prorſus hæſitationem exueret. Sagittariorum petitio rectè à vobis geſta eſt, vt neque aſſenſeritis, neque reptuleritis eam. Si enim cætera parari ac perfici videremus, non recuſaremus pro ſalute ac libertate illius populi aliquid oneris, aliquid etiam impenſarum ſubire: ingens verò illa pecuniarum mutuatio nos profectò vſque ad admirationem commouet: quo enim pacto nobis ageretur, ſi fame macerati, valloque & obſidione cincti, auxilium à Mediolanenſibus peteremus? Nobis, dono Dei Opt. Max. tuta ſunt omnia, nullum terra, nullum mari bellum gerimus: offerimus illi populo amicitiam noſtram, auxilia, opemque; & ita quidem offerrimus, vt hæc nullo pretio vendicemus. Vnde eſt igitur, vt qui nihil petimus, ſed ultrà pollicemur, quaſi redemptioni ſubijciamur? an forſam illud nomen Gallorum, quod aliquando etiam Romanis formidini fuit, nos quoque terrere debuit? Falluntur, qui ex hoc nobis terrorẽ incutere opinantur. Nos Chriſtianiſſimum Francorũ Regem ita quidem & veneramur & colimus, vt non metuamus; neque aliquid eſt, ex quo à preclariſſ. illo Rege lædi mereamur, cùm ſciamus ab eo mirum in modum amari. Quas ob res volumus, vt non expectetis has vobis minas rurſus incuti, ſed vos vltrò dominos auditores veſtros, & præfectos alloquamini, voſque etiã

noſtro nomine certiores redd.itis, ſummam nobis ac propè vnicam eſſe cupiditatem libertatis & amplitudinis ſuę. Ad quam tuendam augẽdamque, ſi arbitrantur tutum eſſe vtileque conſilium cum Rege Excell. fœdus percutere, nulla eos noſtra ratio deterreat. Quicquid enim libertati ſuæ conducet, erit omni tempore iucundiſſimum nobis. Attigimus, vt arbitramur, eas partes literarum veſtrarum, quibus iure reſponſum debebatur. venimus nunc ad eum articulum, qui vel moram, vel aduentum veſtrum reſpicit. Quocirca dicimus, non videri nobis rem minimi ponderi, ſi hoc temporis diſceſſum veſtrum permittamus. Multa ſunt enim, quæ poſſunt quotidie ſuperuenire, quibus prȩſentia illic veſtra prodeſſe plurimum poſſit; digreſſusque veſter, niſi cum ratione fieret, facilè poſſet ſuſpectos rumores non ſine pernicie parere. Rurſus cogitamus, moram illic veſtram non parum obeſſe poſſe, præſertim ſi quæ dona dextra porrigimus, ſiniſtra accipiantur. In hac autem dubitatione poſiti, ad hanc omnes ſententiam inclinauimus: ꝙ ſi vel capitanei, vel alij magiſtratus illi reipub. præſidentes, vel ſi egregij ciues etiã magiſtratum nõ gererẽtes, vel ſi ille Franciſcus Comes morã illic veſtram laudarit, vos inde iniuſſu noſtro nequaquam diſcedatis. Si verò quiſpiam tardationem illic veſtram multi faceret, nec eam vobis ſuaderet, hoc tũc caſu volumus, vt DD. præfectos, & ſaltem XII. ex nobilioribus ciuitatis alloquamini,

 quibus

quibus ſynceritatem animorum veſtrorum ad ſtudium & ſalutem ſuam aperiatis, eamq́; ſolam cauſam fuiſſe profectionis veſtræ: nos in conſilio noſtro optimo perſeueraturos fore; & ſi quid euenit in quo poſſimus rebus ſuis prodeſſe, id nos factorum teſtimonio probaturos. Iisq́ue, & eiuſmodi perſuaſionibus animos eorum impleatis, quibus paratis arbitrio veſtro & moram & reditum relinquimus. Hoc tamen vos iterum, iterumq́; monemus, vt ſi redire ſtatueritis, ita ſanè veniatis, vt intelligamus non deſiderium patriæ, aut liberorum; ſed probabilem rationem vos huc attraxiſſe. ſcitis quanta res agatur, quæ pericula rebus impendeant. Scelus eſſet hoc tpe priuata cõmoda publicę ſaluti ꝑtuliſſe. Nos niſi virtuti veſtræ confideremus, hoc profectò arbitriũ nunq̃ vobis cõmitteremus. Si inde excedere ac regredi decreueritis, relinquite iſtic Franciſcum Vernatiũ, qui omnia quotidie q̃ diligentiſſimè exploret, & eorum, quæ gerentur, nos faciat certiores, quo ad veſtro conſilio adiuti rebus illis aliter conſulemus; vos quantum patriæ debeatis, prius cogitate, quàm de veſtro reditu quicquam ſtatuatis Ianuæ, XXVIII. Auguſti. 1447.

PIVS PONT. II, ad ARCHIEP. IANVAE,

PIVS *epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerando fratri, Paulo archiepiſcopo, et Duci Ianuę, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ducatum patriæ*

patriæ tuæ omnibus ciuium ſuffragijs te aſſecutum ſcribis, eumque per noſtram benedictionem confirmari petis, Admirati ſumus conſilium tuum qui eius ciuitatis temporale imperium acceperis, quæ plures omnibus vrbibus Italiæ tumultus & ſeditiones quotidie mouet, nec vllum diu rectorem, Ducem ve patitur: & tu anno ſuperiore quanta ſit tuorum ciuium conſtantia in te ipſo didiciſti, qui cùm ab eis ad hunc ipſum principatum fuiſſes aſſumptus, non tam citò magiſtratum iniſti, quàm deponere coactus fuiſti. Nobis quidem eodem ferè tempore & aſſumptio tua & depoſitio nunciata fuit. quid nunc futurum ſit, ignoramus. Huc accedit rei nouitas: nunquid idē homo duas gerere perſonas poſſit. an abſit ſanguinis effuſio neſcimus. Tamen quod archiepiſcopus ante te alius, ut inquis, ducatum inierit, maximam eſſe cauſam oportet, quæ hanc nouitatem induxerit, forſam expert ſi ſunt Ianuenſes ſæcularia imperia iniuſta eſſe, & atque inde tot rerum mutationes oriri putantes, ad te confugerunt ſperantes abſte meliùs & mitiùs gubernari. Magna tibi eſt bene agēdi neceſſitas impoſita: niſi rectam iuſtitiæ lancē tenueris, niſi vim prohibueris, niſi paci & ocio conſulueris, niſi modum prauis cupiditatibus impoſueris, niſi te ipſum & tuos ſtipatores in honeſti fræna redegeris, non ſtabit imperium tuum, breui dominaberis vrbi, nec regnum Ianuæ tantùm, ſed & ſacerdotalis muneris honorem non ſin e maximo dedecore amittes.

Si tamen eÿciaris, & non peiora tibi contingã, vt ſunt ante oculos domeſtica exempla. Vide quid agas, non eadem eſt & ſacerdotalis & ſæcularis imperij ratio. Paternam & omni clementia plenam eſſe pontificalem adminiſtrationem oportet, non tyrannidem; multa in ſæculari dignitate ferunt homines, quæ aborrent ab eccleſiaſtica: quæ in laico puſilla & leuia extimabantur delecta, in clerico maxima & grauiſſima iudicantur. Sacerdotes, quorum vita veluti ſpeculum inferioribus eſt, non modò à malis operibus abſtinere, ſed omnia mala declinare oportet, quæ quoquomodo ſuſpitionem mali ferunt. Vide quem gradum aſcenderis. ſi potis es piè & iuſtè imperare, ac non ſubditos ſolùm, ſed & te ipſum coercere, ſi vales virtute iniquitatem euertere, ſi pro commodo communi, non libidinis tuæ explendæ cauſa ducatum accepiſti, ſi ad tutandam religionem aduerſus impios Turcas animũ geris, deuouere ꝓponis, & iniuriam proximi non quæris, confidentes ritu & iuxta leges tuæ ciuitatis, tum demum hoc tibi imperium demandatum eſt. & quòd, vt polliceris, vtiliter populo tuo preeris: illum tibi, & tuis ciuibus, & vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ in nomine Sanctæ Trinitatis benedicimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, pridie Calendas Februarias. 1463. Pont. v. anno.

MORBASANVS *habery yeſſi cum fratribus*

bus ſuis Corali Iusbacchi Imperatores Organi collaterales & in partibus Achaiæ domini, Magno Sacerdoti Romanorum iuxta merita dilecto. Nuper auribus noſtris intonuit, quòd in partibus Italiæ ad preces populi Venetorum in baſilicis veſtris feciſtis edicta; quòd quicunque contra nos, noſtreſque arma capeſſeret, ſuorum in hoc ſeculo remiſſionem peccatorum, eiſque beatam vitam promittitis in futurum. cuius rei veritatem oculata fide perſpeximus per aduentum quorundam peditum cruciferorum, qui nuper in eorum nauibus transfretarũt. Propter quod admirari cogimur vehementer, quia, dato quòd à ſummo Tonante vobis data ſit poteſtas etiam abſoluendi animas & ligandi; tamen ad hoc procedere maturiùs deberetis, neque Chriſtianos, maximè Italos crucis ſignatos inducere ſuper nos, cùm ſecundum quod patres noſtri antè dixerunt nobis, populus noſter Turcarum innocens fuerit mortis & iniuriæ Chriſti veſtri, & terras & loca veſtra Sancta nos non poſſideamus: imò populum Iudæorum ſemper odio habuimus, habemuſq;. & quia in annalibus & cronicis noſtris audiuimus ipſi proditoriè, & per inuidiam eundem Chriſtum veſtrum Hieroſolymis traditum præſidi Romanorum, quem cruci affixit: inſuper miramur noſtro maximo dolore, quòd ſurgat Italia contra nos, cùm latens amor nos ad eos amandos alliciat, & quòd ipſi priſcis illis temporibus à Troianorum ſanguine oriundi ſunt. Scimus

enim Antenorem, & Aeneam, vel de Priami ſanguine genitos, vel Troianos ſaltem, in cuius locum nos etiam ducti ſumus, & Imperium in partibus Europæ tenemus, & iuxta promiſſa quæ à Dijs veſtris patres noſtri habere noſcuntur, Troiam magnam inſtaurare intendimus & vlciſci ſanguinem Neſtoris, ac Ilionis ruinam nobis Græcorum Imperium ſubiugando, & Deæ noſtræ Palladis fatum punire. Inſuper, quia intendimus Cretam & alias maritimas inſulas noſtro Imperio vendicare: iccirco prudentiam veſtram requirimus, quatenus diplomatibus veſtris per Italiam miſſis ad inſtantiam Venetorum ſilentium imponatis, non prouocantes amplius ſub pietatis ſpecie populum Chriſtianum, cùm nos erga ipſum nullum bellum religionis cauſa geramus. Cum enim nihil nobis referat, ſi Chriſtum colitis, quia & nos ipſum credidimus prophetam, neque nos ex lege ipſius, pro vt audiuimus, poteſtis ad credulitatem compellere. Si autem lex, vel diſcordia orta eſt inter nos & populum Venetorum, hoc accidit, quia per vim & nullo iuſtitiæ muniti colore, iamdudum quaſdam inſulas maritimas & alia loca ſuo imperio ſubiugarunt; quod diutiùs perpeti non poſſumus, cum futurum tempus noſtræ promiſſionis inſtet, propter quæ, & alia poteſtis meritò ab inceptis diſiſtere, & imprimis cum audiuerimus ipſum populum fore alienum à moribus & vita Romanorum. Alioquin ſi ab incæptis veſtra pruden-
tia

tia non deſiſtat, ampliare curabimus vires noſtras ſumpto Diui Imperatoris Organi,aliorumq; Orientalium Regum auxilio, qui ſimulant hodie ſe dormire: quorum præſidijs adiuti armatoribus multis millibus non modò cruciferis veſtris reſiſtemus, verùm, ſi contra nos Italiam, Germaniam, Galliamq; concitetis, intendimus vos omnes retundere &c. Anno Mochometi.menſis Calcubij.

MAONENSES CIVITATIS,& INSVLAE Chij, Romano Pontifici.

ET *ſi videmus, Beatiſſime Pater, maximis noſtris periculis nos obiectos furori Mochometi Turcarum regis, qui in omnes Chriſtianos promiſcuè arma ſumpſit, hucuſque tamen quadam animi alacritate ſæuas illius minas, & illata plurima mala ideò perferebamus, quia certam conceperamus ſpem, Chriſtianos clade tam nepharia accepta, pia arma ſumpturos, & ſummo conſenſu ac faciliore euentu hoſtem infidelem atque nimium inſolentem oppreſſuros: cumque in dies grauiora ab ipſo capiti noſtro imminerent, non aliter eadem ſoliti eramus pendere, quàm vt quoddam commune Chriſtianorum incitamentum ad vindictam accelerandam. Quibus rebus ſpem noſtram fouentes, omnibus artibus & præſidijs contra eius vim nos muniebamus. Sed heu nimis longam ſpem, o Chriſtianorum arma nimis dilata; ſi quidem omnibus*

quieſcentibus iam oppugnamur, iam ingens vis, & rabidus furor in nos conuerſus eſt. Nos erimus in eo nunc occupati, Sanctiſſime Pater, vt veſtræ Sanctitati explicemus, emiſſam nuper in nos claſſem, & damna plurima illata; Illud potius eſt præſentis terroris, illud inſtantis, & maximi diſcriminis, quòd inſpecta loci opportunitate, primo proximo vere, eadem claſſis auctis viribus, & comparatis bellicis operibus, quæque ad oppugnationem pertinent, in nos eſt reditura; quod ita fore non vano rumore, ſed certis authoribus comperimus. Contra quos impetus vt perſtare poſſimus, fidelis quidem & conſtans animus non deſperat: ſed quotæ ſunt vires noſtræ, quonam pacto ſine communi Chriſtianorum auxilio tam in dica colonia defendetur? quæ licèt parua, quanti tamen ſit momenti omnibus Chriſtianis tranſmarinis haud ignotũ putamus, cuius ruina plurimos in eandem ſecum traheret calamitatem. In tantis igitur noſtris & aliorum Chriſtianorum periculis ad Veſtram Sanctitatem ſapientiſſimam confugimus, quam non dubitamus diuina prouidentia hoc potiſſimum tempore ad Apoſtolicam ſedem aſſumptam, vt ſuo impulſu & authoritate vniuerſalis fides & Chriſtianorum decus inſtauraretur. Apud eandem, quas præſens neceſſitas expremit, preces fundimus, obſecrantes, vt cauſam noſtrã & Chriſtianorum foueat, cæptũ ortus ne deſerat. Chriſtiani concitẽtur, ſumantur arma, quæ ſi nõ ita ſtatim inferri terra,

mari que

mariq́ue poſſunt; at illud ſaltem maritimi auxlij non denegetur, quo tantiſper hanc paratam vim ferus hoſtis contineat, & nos ſalui eſſe poſſimus. Hæc ita fieri non maximi laboris eſſe putamus, & Apoſtolicæ authoritati non difficile. Conſeruantur autem non Græci, non ſchiſmatici, ſed Italici generis antiquiſſimi Chriſtiani, qui ſemper Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ pio affectu & dediti & obſequentiſſimi fuerunt. in quorum tutela aliorum pericula propulſantur. Quòd ſi ea infelicitas eſſet, vt tam iuſtæ preces apud Chriſtianos deperirent, Ieſum Chriſtum, dominum noſtrum, iudicem inuocamus, veſtram Sanctitatem teſtantes, nos impiè à ſocijs Chriſtianis deſtitutos pro fide tamen vſque ad extrema pericula pugnaturos, paratiſſimi ſemper omnibus obſequijs B. V. cuius pedes humiliter exoſculamur. Ex Chijo. die. XIIII. Aug. 1455.

PETRVS FREGOSIVS, DVX IAN. Regi Aragonum, & utriuſque Siciliæ.

COGITANTES, *quòd bella aduerſus nos ſæpenumero, Sereniſſime ac Excellentiſſime Rex, iniuſtè tamen ſuſcepiſti, magnitudinem animi tui, etiam ſi plura forſitan cupit quàm capere poſſit, admirari & extollere aliquando potuimus. Sed vbi apertè deprehedimus nullam inter nos belli cauſam eſſe, niſi ſi tuos mouet prædæ auiditas, id indignum tanto Rege, nemo eſt qui neſciat. non admirari*

mirari tamen non poſſumus ſapientiam tuam, cùm per ætatem, tum rerum grauiſsimarum vſu tam periculis edoctum totiens aduerſus nos malè expertam fortunam tuam rurſus velle tentare: eò magis, quò nos tot veteribus, totque recentibus iniurijs, quot tua Maieſtas nobis intulit prorſus abiectis, ſummique Pontificis tui coſilio & precibus moti, ſuperiore anno ad inducias ſemeſtres peruenimus; in quo & ſi pro fide tanti Numinis & pro noſtra animi æquitate ac in tuam amplitudinem deuotione iam animum tuum ad tranquillitatem, pacemque confirmatum credidimus: exiſtimauimus pericula Turcorum, quibus ſine tua & noſtra pace tutò ſatis occurri non poterat, non modò ſeruandæ paci, ſed augendæ inter nos beneuolentiæ prodeſſe poſſe. Nam cùm ſciremus hanc animi tui eſſe magnitudinem vt in gerendis bellis vera gloria conſtituta eſſet, oblatum tuæ Maieſtati hoſtem eſſe videbamus, cum quo non humanam modò, ſed celeſtem gloriam poſſes adipiſci: in quo gerendo, & ſi per te potentiſsimus videbare, nos propitios ac omnino obſequentes tibi habere potuiſſes. Quæ igitur, ſapientiſſime Rex, cauſa excitare te, aut compellere potuit, vt rurſus, & tam repentè bellum aduerſus nos in tot Calamitatibus orbis Chriſtiani ſuſciperes, vbi nihil a nobis non modò agi, ſed nec cogitari videres quod tuæ amplitudini, tuæque dignitati obeſſet? At ſaltem ſi tanta nobiſcum pugnandi cupiditas te mouet, quæ

certè

certè mouere non deberet, quomodo fœderis percuſſi inter nos oblitus es, vt priùs triremes ad noſtra damna præmiſeris, quàm id modo aliquo denunciatum nobis fore volueris? Eſt ne hæc fides tanti Regis vt triremes tuæ, quas paulò antè amicas, hoſpitesque, & omni commeatu, ac humanitate plenas à nobis dimiſeremus, vix portu noſtro egreſſę ad noſtra damna diſcurrere non erubuerint? quis eſt inter Chriſtianos Principes qui tam iniuſtè tam repentinè bellum ſuſcepiſſet? Rex es, qui multa per ætatem tuam expertus es ita, vt per fœlicitatem tuam, qui te diligunt & qui te non norunt, plerumque poſſint extollere, qui ve nullius conſilio indigere videare. Sed memento tamen, nihil tam firmum ac ſtabile eſſe cui periculum non ſit ab inualido. Hæc iam laborum vitæ tuorum pars ſupereſt, vt quam pugnando gloriam adeptus es, pace demum & ocio magis quàm diuturnis laboribus ſeruare poßis. Plura Reges pacis artibus iuſtitiaque, quàm armis adepti ſunt; & plures fuere, qui iniuriam inferentes plerumque ſunt ab impari hoſte ſuperati. Si tamen vllam Maieſtas tua querelam deferre velit, habes Pontificem, ſunt Reges; ſunt alij Principes, quorum conſilio omnis noſtra controuerſia derimi poſſit. Quod ſi fugis, tu ipſemet iuſtè an iniuſtè facias, facilè iudicabis. Si nos, vt cœpiſti, laceſſere nō deſines Deū fidei, & cauſæ noſtræ teſtem iudicemque obteſtantes ſalutæ noſtræ ita conſulemus, vt huius ſuſcepti conſilij Maieſtatem

tuam aliquando pœniteat. Ianuæ, die. XVII. *Iulij.* 1455.

ALPHONSVS, REX ARAGONVM, PETRO Fregoſio Duci Ianuæ.

QVI *vos fortaſſe non norunt, ſi modò aliqui ſunt in terris, qui vos non norint, poterunt ij quidem metu, aut aliqua admiratione affici. ego verò qui totiens inſtantiam veſtram, totiens leuitatem atque perfidiam expertus ſum, non ſolùm quod ſcribitis neq; magnifacio, neq; formido: ſed is potius ſum, cui facere videamini quod impudica mulier ſolet: quæ ſi ſemel pudorem ex animo abiecerit, poſtea in caſtasque probasque obiectare adulteria non deſinat. Et ſi vobiſcum verbis contendere animus non ſit, reſpondebo tamen abundè ſatis pro tempore literis veſtris. quò mortales atque immortales omnes intelligant, me nequaquam bellum contra nationem Ianuenſium in præſentia ſuſcitaſſe, cum qua & amicè & benignè viuere perpetuò, niſi nobis publicè fiat iniuria, decreuimus; imò verò pro ciuitate Ianuenſi, id eſt, pro optimatibus, ſummisque viris, ac ciuitatis flore, qui veſtra vi atque opera extorres degunt. Nos contra fœdifragos triremes noſtras immiſiſſe, pro illis, inquam, quos multis ante hac experimentis inſpectos ſciremus firmos ac conſtantes publicè & priuatim in propoſito perſtitiſſe, humanitatem ac iuſtitiam colere*

lere conſuetos, quos haud dubiè ſperamus, ſi noſtris aſpiciis, noſtraque ope in vrbem reſtituti rempu. capeſſant meliùs fidem, gratitudinem, fœdus, pacem, & decus omne nobiſcum ſeruaturos. At primum omnium, ſi qua vobis præteritarum rerum memoria extat, primam & ſecundam inter nos pacem veſtram auaritia atque perfidia violatam inuenietis; ſed vt nimis veram omittamus, & adhæc recentiora, de quibus querela & controuerſia eſt, veniamus, precibus veſtris demum factum eſt, vti Calixtus Pontifex maxime nos ad inducias vobis ineundas compellerit; quæ res tametſi parum duratura pro veſtris moribus mihi videbatur, tamen Pont. D. noſtro potius parens volui, quàm de fide veſtra parum confiſus videri. ſed nec illud præſertim Gotardo dictante iactare debuiſtis, pacem ſcilicet inter nos factam conſilio & precibus Pontificis mei. Aderat Gotardus quidem ipſe, tunc legatus veſter, cùm epiſcopus Atrabatenſis communi omnium legatorum nomine, diſerta quidem oratione me oraret, vt Ianuenſes quoque in generalem pacem ſuſciperem: cumque ego reſponderem, Ianuenſes pro ſua perfidia pœna potiùs quàm pace dignos videri, exclamaſſe Gotardum, Quis non viderit? genibus prouolutum tua nos ſaltem clementia, o Rex humaniſſime, communi hac pace dignos efficiat. Factæ igitur, Gotardi precibus, ſed interuentu Pontificis induciæ, fœdus ictum, cumque Pontificis ſaltem authoritate aliquid dici ſuſten-

tari poſſe exiſtimarem, præſidium, quod in terra Corſica habebã reuocaui; vos interim occaſione oblata, oppida, quæ illic regia domus noſtra poſſederat, vt erant propugnatorum vacua occupaſtis, præfectos & populares noſtros fœdiſsimo trucidaſtis, pacem de Pontificis ſinu adhuc calentem extinxiſtis, fœdera, iuſiurandum, fidem, pietatem, religionem pro nihilo extimantes; inter hæc etiam naues nonnullas ſubditorum noſtrorũ nihil hoſtile metuẽtes cepiſtis, diripuiſtis, abduxiſtis. Quibus de rebus cum ego Franc. Caſtelletum, legatum veſtrum, & item per Bernardum, præfectum claſſis noſtræ, apud vos ſæpius quererer, nec nõ apud Pontificem per Solerium nobilem Theologum, ita vbique ſuper ea negligentes extitiſtis, vt lætari, atque exultare potius malo, quàm illud velle corrigere videremini. Nam quas friuolas & ineptas excuſationes affertis, magiſtratum, quem vos D. Georgij cognomẽto appellatis, huiuſcemodi facinus patraſſe, nos vos, quaſi caput ad ventrem culpam reijciat, venter ad caput, facitis ſanè, vt ſacerdos ille Herculis apud D. Auguſtinum, qui ſolus vtraque manu alternante, dextra quidem pro ſe, leua velut pro aduerſario teſſeris ludebat. Non itaque nos temerè, aut repentè, vt dicitis, contra vos triremes immiſerimus, qui totiens per Solerum, totiens per Præfectum noſtrum, totiens per Legatum veſtrum, qui apud nos adhuc agit, damna illata à vobis fruſtrà repetierimus, ſtudentes, quãtum in nobis eſſet,

amicitiæ

amiciciæ etiam cum improbis ſeruare, ſi modò errorum & expilationum aliquando pigeret, pæniteretque. Illud autem admirari ſatis non poſſumus, quomodo Turcarum pericula nominare vos non pudeat; quippè qui probè ſcire debeatis, quo de genere Chriſtianorum ſint, qui prius illos ex Aſia in Europam onerarijs nauibus precio & ſingulari auaritię adducti deuexerunt; quę vbiq; terrarũ conatus oẽs Regũ, Ducumq; Chriſtianorũ pro viribus ſubuertant, Machometanis quotidie tela, arma, tormenta, commeatum contra ius fasque ſubminiſtrando; rurſum & hoc noſſe debitis, qui non cũ Turco contra Chriſtũ perpetuò ferè coniurantes expeditionem noſtram, quantam in ipſis eſt, impedire conẽtur. Nam per immortalem Deum, quid aliud eſt pacem inter nos, initam hoc tempore, quàm Turcorũ cauſam agere, quàm Epiſcopum abiurare, quàm Chirſtianorũ omnium exitium optare? viderit Chriſtus, ipſe, cuius cauſa agitur, nos ſemel atq; iterum pacem Italiæ ſumma diligentia procuraſſe, atque firmaſſe, cùm ob alias cauſas, tũ vel maxime quò Chriſtianorum in Turcas faciliores eſſent conatus, atque animi alacriores; quod quoniam per vos nũc, o Dux, octoque uiri Ianuenſes, diſturbatum iri palàm eſt, in vos conatus noſtros, velut in Turcas in Italia exortos conuertamus oportebit, nec prius ab incæpto deſtituri ſumus quàm vos, Chriſto ipſo adiuuante, ſupplices Deo vero reddamus: nec minus, Chriſto Duce, & in Turcas Aſiaticos expe-

ditionem

ditionem, quam ſemel ſuſcepimus, excutituri ſumus, palàmque facturi, nos ea tantùm cupere, quæ facilè aſſequi aut capere valeamus. Poſtremò nos haudquaquam præterit victoriam alternam rem eſſe, nec hominum robore, ſed Dei Opt. Max. arbitrio conſtare. Iccirco cecidiſſe aliquando, vt ab inualidis fortiores vincerentur, plures à paucioribus. vos contrà latere non debet, fortiores, vt plurimum, euadere ſolere, ſi iuſtam præſertim Deoque acceptum cauſam ſuſtinent: quòd ſi victoriæ alicuius recordatio vos ſubit, memineritis ſimul & in ea fœderis violati, vt quantum ex victoria lætitiæ, tantum ex perfidia mæſtitiæ contrahatis; poſthac verò vobis perſuaſum ſit, non dolo, aut perfidia amplius, ſed armis atque iuſtitia vincendum eſſe, Datum in caſtro noſtro nouo, Neapoli, x. Auguſti. 1456.

PETRVS, DVX IANVÆ, REGI ARAGONVM.

COGITANTIBVS *nobis, quàm incertus & fallax eſſe rumor ſoleat, æquum viſum eſt, vt eos motus, quos vtero dudum conceptos hæc tandem ciuitas peperit, Maieſtas veſtra ex nobis certius, quàm aliunde cognoſcat, vt ſi quod erit, quod noſtris de rebus vel cogitandum, vel intelligendum ſit, ex minus vera hominum affirmatione falli non poſſit. Cùm exploratũ haberemus multa multos in perniciẽ reipublicæ noſtræ moliri, idq; hominũ genus*

nus in dies magis magiſque augeretur; ſtatuimus temporum neceſſitati obtemperare, illorumque furore pauliſper cedere. Itaque cùm 28. Iulij arci Caſtelleti præfeciſſemus fratres noſtros, Pandulphum, & Thomaſinum tradita illis trecentorũ prope millium manu, primis tenebris vrbem reliquimus, ternasque triremes, quas inſtructas habuimus, paucis comitantibus ſtatim conſcendimus. inde tranquillo mari vecti Segeſtum oppidum in Orientali ora poſitum tenuimus. interim omnis aduerſariorum factio, haud exiguum equitatum, magnas mercenarij militis copias, nec minora agreſtium hominum agmina ſecum trahentium intra vrbem accepta eſt, nec multò pòſt, cùm de inſtaurandis publicis rebus agi cœptum eſſet, exortis, vt aſſolet, inter factiones diſcordiis, quæ ratione componi poſſe non videbantur, ad vim & ad arma concurſum eſt. ita non diſcedentibus modò principibus factionum, ſed inter ſeſe mutuò pugnantibus, tandem prima menſis huius die in ipſo Solis exortu, Ianuenſem in portum delati ſumus; quo cognito multi aduerſariorum diſcordias execrati in partes noſtras tranſire cœperunt. Expoſitis igitur in terram copijs quas ea claſſe nobiſcum aduexeramus, fratris noſtris, qui mox nobis occurrerant coniuncti aduerſarios adorti ſumus, quibus breui fuſis ac fugatis intra paucula horas palatio quoque publico potiti ſumus. Cumque aduerſarij tota in vrbe nobis ceßiſſent, ignotum omnibus

eſt, & abiectis mox armis, pax ciuitati reſtituta. Hic fuit, Illuſtriſſime Princeps, ciuilium bellorum exitus, quod tertium intra diem nullo prope ſanguine, nulla ciuitatis clade ſedatum eſt. Cæterùm & ſi haud dubitamus, omnia Maieſtatem veſtram intra tempus egiſſe quæ, pacta ſunt, nullo tamen regio ſcripto liquet authentico nobis fuiſſe ab ea ratificatas inducias, quas non ſuo tempore comprobauimus: & quicquid pepigimus intra ſtatutam diem præſtaturi ſumus, ex quo Sublimitatem veſtram precamur reſcribi ad nos iubeat quid ſup ipſa ratificatione ſit actum, qui ſumus ſemper ad omnem gloriam veſtram magno ſtudio parati. Ianuæ. 1455. die 4. Auguſti.

BELLISARIVS TOTILÆ .S. D.

S I *hoc bello victoria potitus fueris, Romamque deleueris, rem non alienam, ſed tuam perditum ibis: ſin victus eris ſeruata vrbe Roma, gratias immortales, deleta verò humanitatem nullam à victore expectare debes.*

FRANCORVM REX. TOTILAE. S. D.

S I *ad amplitudinem regni tui ac rerum geſtarum gloriam reſpiciam, dignus profectò eras, cui tutò filiam meam vxorem darem. Sed illud ſæuitiæ ac improbitatis me penitus deterrebat, quòd*

te

te perditiſſum regum Romanam vrbem omnium præclariſſimam incendere ac euertere non puduerit. Tantum enim abeſt, vt filiam meam tibi deſpondeam, vt tu etiam tanti ſceleris aliquando pœnas mihi daturus ſis.

MARICVS GOTHORVM REX, Honorio Imp. Rom.

GERITVR *bellum prope Rauennam ab hinc triennio varia fortuna, maxima vtriuſque exercitus clade, quod libidine, Stileonis, Ducis tui, nobis indictũ eſt. Nos Italiam non vaſtaturi, ſed habitaturi venimus: nec erat cur Stileo, Dux tuus, ſpe nouarum rerum, te ad hoc bellum ſollicitaret non ſatis mihi conſtat, maiore ne auaritia, an odio & perfidia huic bello ſe immiſceat. Peto igitur abs te (quando nobis Italia excedendum putas) eam ſaltem Galliæ partem copiis noſtris incolendam dari iubeas, ad quam Sueui, Alani, & Burguadiones ducibus, Vandalis irrupturi ſunt. nam & ſatius eſt, te ex amicitia noſtra aliquos fructus capere, quàm ex ſimultatam detrimenta aliqua ſentire; quandoquidem militum noſtrorum robore iis populis Imperio tuo minitantibus egregiè ac fortiter occurram, efficiamque, vt prius amicitiæ noſtræ fructus, quàm fœderum noſtrorum certos nuncios habeas. Vale, prope Rauennam, in caſtris noſtris.*

HONORIVS ROMANVS IMPERATOR, Stilconi.

PETIIT à me per literas humanitatis plenas Alaricus, Gothorum Rex, vt ſibi in Gallia id loci habitandum darem, quod propediem Sueui, Alani, Burguandionesque ingentibus copiis occupaturi videntur. Ego verò Regis illius amicitiam ac fœdere tanti facio, quanti iis periculoſiſſimis temporibus fieri debet. Video enim, ſi tot Barbarorum exercitibus, qui noſtris ceruicibus imminent, occurrendum ſit, totum Imperium noſtrum in diſcrimen vocari. Statuas igitur diem, qua Alaricus cum exercitu Italia in Galliam excedat, cui des velim eam potiſſimum partem prouinciæ incolendam, quę hoſtium incurſionibus ac direptionibus expoſita eſt; illudque te moneo, vt fidei, ac diligentiæ ſemper memineris. Vale, Conſtantinopoli.

GALLA PLACIDIA, HONORIO, AC Theodoſio Iuniori. S.

IAMPRIDEM intellexiſtis Stilconis Ducis perfidia, & Gothorum virtute captam ferè totam Italiam, vrbemque Romam poſt longam & grauem obſidionem in manus Alarici Regis deueniſſe. Ego verò quā primùm mihi licuit, dedi operā, vt cædibus & rapinis aliquādo tēperaretur, & vt nomē

Romanæ

Romanæ vrbis vnà cum aliqua libertatis ſpecie viueret. Nam & Romanis magiſtratibus opera noſtra vrbs reddita eſt. Illud etiam effeci, vt (ſi quando pacem ac fœdera probetis) in tanta Imperij veſtri, ac rerum perturbatione, ab armis deſiſtatur. Quod, vt probetis, vos & moneo, & etiam atque etiam rogo. Spero enim futurum, vt Alaricum virum noſtrum, Regem optimum, veſtraque affinitate ac beneuolentia dignum iudicetis. Valete.

AETIVS PATRICIVS THEODORICO REGI.

DVM *mutuo odio ac bello implicamur, Attila, Hunnorum Rex, innumerabilibus copijs Pannoniam, Romani Imperij prouinciam, occupauit, Macedoniam, Myſiã, Achaiã, & vniuerſam Thraciam ferro ac flamma vaſtauit; tantaq́; Imperij incrementa accepit, tantos exercitus cõparauit, vt breui omnia vnico hauſtu abſorbere poſſe videatur. Hæc cùm ita ſint, optimum & vtriusq́; ſaluti vtile fuerit, vt nos cõmuni impenſa ac periculo illi occurramus. Si enim Alano, Burgundiones, Francos, Saxonesq́; auxiliares copias habeamus, facilè & regna nr̃a tuebimur, & pulcherrimas Romani Imperij prouincias de hoſtium manibus recipiemus. Quod ſi quamprimùm capeſcere arma paribusque auſpicijs bellum hoc gerere neglexeris, vide, ne quando volueris vires illius imminuere, minimè poſſis. nam tanta eſt Regis illius tum ſæuitia, tum regnandi cupiditas,*

vt huic totus terrarum, illi vniuerſus hominum cruor ſatis eſſe non poſſit. Vale. Romæ.

AETIVS PATRICIVS CONSVLIBVS Romanis.

MAXIMIS *itineribus in Galliã veni, legionesq; noſtras ad Tholoſam cũ Theodorico Reſigotharum Rege ac cæteris coniunxi: quod vbi primùm Attila reſciuit, relicta Aurelienſi obſidione, propius noſtros exercitus acceſſit, ac copiam pugnandi fecit. Sperabat autem barbarus hoſtis prælium ſibi ex ſententia euenturum, cùm per Vatum reſponſa fortunam belli ſciſcitatus, cædem Imperatôris legionum noſtrarũ ſperaret. Pugnatum eſt magno ardore animorum, diù neutra acie inclinante, aut cedente: ſed tanta hoſtium cædes facta eſt, vt montium cadaueribus ſepti videremur. Verùm nox ſuperueniens pugnam diremit. ad centum octoginta millia hominum in acie vtrinque ceciderunt, victoresque maxima gloria euaſimus, ita tamen, vt Theodoricus egregiè pugnans in altero cornu ceciderit, Attila fractus & fugatus in ſua regna ſe recepit. Thuriſmundus, Theodorici filius quam primùm receſſit; veritus ne cognita parentis nece, à fratribus regno ſpoliaretur. nos verò reliquias exercitus inſtauramus, ac ſperamus fore, ut pacata Gallia & prouincijs omnibus ac longo ocio quiete fruamur. Valete, ex caſtris, ad Tholoſam.*

PRI-

PRISTVS THEODOSIO IVNIORI IMP.

TANDEM *tranſmiſsis ingentibus fluminibus, & ſuperatis montium iugis altiſſimis in Scythiam deueni, aulamque Attilæ regis attigi. is habitat vicum inſtar ampliſsimę ciuitatis, in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata viſuntur, quarum tabularum compago ita ſolidum mentitur, vt vix ab intento oculo poſſit iunctura comprehendi. Triclinia ambitu prolixiore diſtincta, porticus egregiè ornatas ac diſpoſitas; area verò atrij ingenti ambitu cincta, vt amplitudo ipſa regiam domum oſtentet. Rex Attyla inceſſu eſt ſuperbus, huc atque illuc circumferens oculos, motuque corporis ingenium ac barbariem demonſtrat. bellorum eſt amator, ſed ipſemet non magnopere manu, promptus conſilio ſatis maturo. Supplicibus immitis fauens, ac fouens eos, quos ſemel in fidem & clientelam accepit: forma breuis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis aſpectu, ſimeo naſo, tetro colore, originis ſuæ ſigna præſeferens: is demum mihi totus viſus eſt; is belli apparatus, vt terris & imperijs omnibus cladem minitari ſoleat: nam & quingenta hominum millia in aciem educere poſſe prædicant. Hæc volui te præmonere, vt ſcires periculoſum tibi bellum imminere, cui quibus viribus occurrere valeas, tu pro tua prudentia videbis: ego verò quanto ocius potero*

has literas ſubſequar, corãque plura dicam. Vale.

THEODORICVS OSTROGOTHARVM Rex, Zenoni Imperatori Conſtantiñ.

MVLTIS *maximiſque tuis erga me officijs quanti amicitiam noſtram faceres cognoui, eaque imprimis ratione, quod mihi equeſtrem ſtatuam ex ære in roſtris erexeris, patricium declaraueris, exercituique noſtro ſtipendia ampliſſima dederis, Verùm cùm mihi iampridem nunciatum ſit, Italiam totam Odoacri armis ceſſiſſe, diuque in contumeliam Rom. Imperij eam prouinciam detineri; mihi gratiſſimum feceris ſi me, cum exercitu ad deturbandum Odoacrum regno Italiæ proficiſci patiaris, mihique perueteri neceſſitudine tibi coniuncto huiuſce profectionis author fueris. Cur autem id tibi minus placere debeat, non video, vt amico potius quàm hoſti Italia pareret, cùm Veſigothæ Sueui, Alani, Vandali, Burgundiones, Eruli, & Turingij, tum Italiam, cùm etiam Galliam, Hiſpaniam, atque Africam ferro igneque vaſtauerint. Hæc tecum pluribus non agam, ne tuæ erga me beneuolentiæ diffidere videar. Vale.*

THEODORICVS OSTROG. REX, ZENONI Imperatori Conſtantiñ.

AD *ſtatutam diem ex Pannonia caſtra moue-*

bam, cùm in Noricis Strapilia Gepidarum Rex armatus mihi ſit obuiam: hunc primùm prælio fudi ac fugaui; eodem fermè tempore Buſarim, Bulgarorum Ducem, mihi infeſtum deleui; quamprimùm verò Italiam attigi Odoacrum apud Soricium, Aquileiæ flumen, cum inſtructo exercitu obuium habui, quem etiam cruento tamen prælio vici. Is ad Padi vada & loca munitiſſima delatus aliquantiſper ſubſtitit; ego Veronam vrbem dedentibus ſe ciuibus recepi, Odoacrem in campis patentibus Veronæ ſubiectis ſecundò fudi. Victus Odoacer Romam petens à populo Rom. excluſus eſt, ſuburbana loca incendens, Rauennam ſe contulit: per legatos tentauit animos populorum, ad cuius partes multi accolæ Padi fluij, & Aſtupha præfectus Flamminiæ Aemiliæque tranſierat. demum Ticino mouẽs Rauennam cõtendi, vrbemque, ac hoſtes ea obſidione cingo, vt aliquando ſperem ex ſententia huic diutino bello finem impoſiturum. Vale, in caſtris prope Rauennam.

THEODORICVS OSTROG. ZENONI Imper. Conſtantiñ.

NIHIL *eſt, quod deſidiæ me accuſes, ꝙ nimis ſerò de ijs quæ hìc geruntur, te certiorem faciam. multa ad te rumor ipſe attulit. Id ſcias velim, me diù ac multùm in hac Rauennæ obſidione laboraſſe: ea enim fuit huiuſmodi, vt ſæpenumero ab Odoa-*

cro

cro eruptione facta de fortunis omnibus dimicandum fuerit. Verùm tamen bis & fractus & in vrbem coniectus eſt. Totum triennium in hac obſidione conſumpſimus, hoſtis hortantibus eum ciuibus ſe nobis dedidit. ego quamprimùm urbem ingreſſus ſum, de Odoacro ac filio ſupplicium ſumpſi, qui agros incenderat, vrbes euerterat, tantumque vbique locorum humani ſanguinis effuderat. Hæc volui neſcius ne eſſes. Vale Rauennæ.

THEODORICVS OSTROG. ITALIAE Rex, Clodoueo Francorum Regi.

MIHI *nunciatum eſt, te collatis ſignis in agro Volgadenſi cum Alarico genero meo dimicaſſe, eodemque prælio egregium adoleſcentem mihique coniunctiſſimum cecidiſſe, quod pro eo, ac debui ægrè moleſteq; tuli. Nihil enim erat, quod me maiori moleſtia afficere poſſet, quàm videre hinc ſocerum meum, inde generum armis decertantes, quorum vel victoria vel caſus mihi peracerbus futurus eſſet. Erat tamen Alarici iuſtior cauſa, ex quo fit, ut te iure optimo accuſare auſim, cùm adhuc nullã ſatis dignã rationẽ mihi fingere potuerim, qua tu ductus optimũ adoleſcentem, generum meum, regno ac vita ſpoliaueris: ad cuius iniuriam vlciſcendam pietas amorque ſingularis orbi nepotis me plurimùm mouet, niſi tu te ſponte tua regnum illi ac fortunas omnes prius reſtituas. Peto igitur*

tur abs te quàm diligentiſſimè, vt ei auitum regnum,omniaque reddas; nam & id dignitas tua, & innocentiſſimi pueri ratio æquiſſima poſtulat. Quod ſi quamprimùm efficere ac curare neglexeris, dabo operam,vt tu, qui me iampridem generum deuinctiſſimum expertus fueris, hoſtem maximè inſenſum cognoſcas. Vale.

IVSTINIANVS IMP. AVGVSTVS, Theodato Gothorum Regi.

CVM *memoria repeto, quibus te officijs Amalaſiunta Regina affecerit, quamque liberaliter poſt obitum filij te conſortem regni delegerit; non poſſum non ingrati animi tui indignitatem accuſare, quem non puduerit mulierem omnium maxime memorabilem, optimis diſciplinis ornatam, multarumque linguarum cognitione imprimis claram, in inſulam Vulſinenſis lacus relegatam interficere,ac excarnificandam alijs dare. Vide tu, quem ego te philoſophum appellem, & qua ratione Platonem diuinum iectari dicam. Profectò ſi aliquem Deum vltorem ſcelerum ſupereſſe exiſtimaſſes, nūquam tanti ſceleris tibi conſcius,Theodate, fuiſſes. Tu tamen tantæ cædis abs te patratæ aliquādo Dijs immortalibus,& mihi pœnas dabis.*

BELLISARIVS IVSTINIANO IMPERATORI.

SVPERIORIBVS *literis, quàm fœlici nauigatione*

uigatione vſus eſſem, te certiorem feci, pauciſque denique inſulam Siciliam de hoſte recepi. Dumque ibi aliquot dies commoratus eſſem, mihi nunciatum eſt, Theodatum à ſuis interfectum, Vitigemq; in Gothorum Rem delectum. Ego verò è Sicilia ſoluens, in Campaniam veni, ac vrbem Neapoli vi cepi. inde verò Romam cum exercitu properans vrbem ingreſſus ſum, tantumque terroris hoſtibus incuſsi, vt omnes relictis mœnibus & portis Rauennam confugerint. Sed cùm mihi ſignificatum fuiſſet Vitigim multis legionibus ac ferè centum millibus armatorum Romam aduentare, cum aperto Marte nequaquam ei par eſſe poſſem, mœnia vrbis vallo ac foſſa quàm celerrimè muniui, obſideri tota vrbs iamprıdem cœpta eſt. Quæ cùm ita ſint peto abs te, vt habito veteranorum militum delectu pro rei magnitudine exercitum ad obſidionem ſoluendam mittas. nihil eſt enim, quod qumque millibus hominum obſidionem ſoluere ac Gothos profligare ſperemus. Tota ſpes eſt in præſidio ac celeritate tua. Igitur pulcherrima prouincia Roman. Imperij agitur, ac gloriæ certiſſimus triumphus. Vale, Romæ.

SYMMACHVS ROM. PONT.
Theodorico Italiæ Regi.

POSTEAQVAM *in locum demortui Anaſtaſii ſuffectus ſum, nunquam per improbitatem Laurentij*

rentij mihi diuinam rem curare licuit. nam tumultus in Senatu ac populo concitatus eſt, & adhuc percrebeſcit. ad hos ſedandos indictum fuerat Rauennæ Concilium, vbi vno omnium conſenſu te etiam audiente, mihi locus Rom. Eccleſiæ adiudicatus eſt. Sed cùm Romæ concitatis populorum animis maxima incendia miſceri viderentur; miſſus eſt ad hos ſedandos Petrus, Altini Epiſcopus, qui etiam nobis viuentibus Romanæ Eccleſię præeſſet; ille verò ne dum incendia extinguere, ſed nec Eccleſiæ nobis à Deo creditæ, rem vllam contingere potuit, centum & viginti Epiſcoporum cõcilio idem Petrus ac Laurentius damnati ſunt, vbi omnia crimina, quæ mihi ab improbis viris obijciebantur, innocentia mea dilui, ac frequenti ſenatu liberatus ſum. Verumtamen cùm adhuc aliquid ſuperſit reliquiarum, quod diuina & humana perturbet; peto à te (quod commodo tuo fiat) vt iter tuum Romam matures, desque operam, vt perditorum hominum audacia aliquando cohibeatur. Quod ſi minus commodè fieri poterit, malo me imperio abdicare quàm rempub. funditus Chriſtianã euertere.

HORMISDA ROM. PONT. Iuſtino Imper. S. D.

MISERAM *iampridem legatos ad Anaſtaſium tuum, vt diſſidia noſtra de religione ac ſacris rebus conciliarem; quos ille legatos contra iùs gen-*

tium maxima contumelia affectos e a conditione à ſe reiecit, vt naui quaſſa & rimoſa in Italiam recta redirent, nec vllum Græciæ litus contingeret. Hac iniuria deterritus diù ac multùm dubitaui, qua ratione potiſſimùm mihi tecum agendum foret. Verebar enim, ne Campano Epiſcopo ac cæteris legatis meis, quos ad te deſtinaueram, aliquid huiuſmodi eueniret. poſtremo virtus tua, amorque erga nos ſingularis, adde etiam Theodorici noſtri regis teſtimonium effecit, vt eos ad te mittere non vereremur, à quibus viris optimis, deque tota Chriſtiana republica benemeritis in omni genere nihil eſt quod expectare non debeas, idque tibi perſuadeas, nos in illos authoritatis, gratiæ, ac amplitudinis noſtræ vim omnem effudiſſe, eosque eſſe huiuſmodi, vt doctrina, pietate, ac rerum vſu pares iis nullos facilè comperias. Vale.

THEODORICVS ITALIAE REX, Iuſtino Auguſto.

VIX *ferre poſſum clamores & eiulatus multorum, qui fortunis ac rebus omnibus diſpoliati quotidie nobis ſeſe offerunt, auxilium fidemque noſtram implorant. Cùm autem diligentius caſus & eorum calamitatem ſciſcitatus fuiſſem, eos ita malè mulctatos abſte audiebam, quòd Arrianos & à Rom. Eccleſia deſciſcentes comperiſſes. Ego verò has quæſtiunculas nunquam tāti feci, vt prouinciarum*

uinciarum & Imperi incendia inde excitari debere iudicem. Quare abſte humaniſſimè peto, vt horum Arrianorũ cauſam mitiori ratione tractes, eoſque quàm commendatiſſimos habeas, quorum ſalutem ac incolumitatem quanti faciam, Ioannes Romanus Pont. Theodorus, & duo Agapiti coram meo nomine tibi declarabunt. Quòd ſi ſecus atque debes, erga illos animatus fueris, ac vſque ad internicionem inſectari volueris, id pro certo habeas, me omnes Italiæ Eccleſias Romano Pont. fauentes demoliturum, deque ſacris & religioſis viris ſeuiſſimè ſupplicia ſumpturum: idque tum in vltionem innocentiſsimorum hominum, tum ob tuendam dignitatem noſtram efficiemus: quæ incommoda, ſi euenerint, ea potius ingenij tui pertinaciæ, quàm ſeuitiæ noſtræ aſcribenda erunt. Vale, Rauennæ.

AMALASIVNTA ATALARICO filio, Gothorum Regi:

NIHIL *vnquam mihi antiquius fuit, quàm te doctrinis & moribus optimis inſtituere: ſed per procerum, Ducumque tuorum improbitatem id nunquam licuit ex ſententia mihi efficere. Exiſtimarunt enim rudes homines Regem ſuum ſub præceptore minimè eſſe debere; arma tibi magis quàm omnes diſciplinas vſui futura prædicant. Hęc ſatis iniquò animo tuli; nam ſcientiarum optimarum cognitionem tantis, quanti ampliſſimos Theſauros,*

ſemper

ſemper feci. Verumtamen cùm animaduerterim ætatem, ſimplex ingenium tuum, ac vtriuſque fortunam proditorum hominum audaciæ obnoxiam eſſe, iniuriæ quamprimùm obuiam eundum duxi, perditiſſimaque quorundam hominum conſilia anteuerti, qui odia & ſimultates inter nos inſigni pietate coniunctos diſeminabant, quæ quaſi præſentiſſimum venenum nos vnà cum Imperio facilè perderent ac euerterent. Rauennam igitur maximis itineribus contendi, caprisque aliquot noxijs, de ijs ſupplicium ſumpſi, nihilque prius duxi, quàm de ijs omnibus te quàm certiorem facere, monereque, vt ab huiuſmodi viris & inſidijs quantum per ætatem poſſes, caueres. Lubrica eſt ætas, amplitudo Imperij ea eſt, vt ſapientiſſimum virum, multis etiam ſeptum conſilijs præcipitem agere poßit. Tu autem fili caue, exiſtimes te vlli quàm mihi chariorem eſſe. Vale.

THEODORA AVGVSTA SYLVERIO Roman. Pontifici.

QVANTI fecerim ſemper Anthemium epiſcopum noſtrum, te facilè intelligere arbitror, cùm & exilium illius moleſtè tulerim, & omnes calamitates viri optimi iam pridem maximæ curæ mihi fuerint. Sed hæc omnia illi incommoda agapiti Rom. Pont. iniuria potius, quàm ſua ipſius improbitate contigerunt: Verùm cùm multa mihi

de

de pietate,tuaque erga nos beneuolentia dicantur, peto abs te mirum in modum, vt Anthemium fortunis, & priſtinæ dignitati ſuæ reſtitues; hoc æquitas ipſa, hoc tota vrbs, aulaque noſtra tota, ſibi abs te condonari petit. Ego verò polliceor tibi, inmeque recipio,eundem gratum,Chriſtianum, innocentiſſimumque virum ita ſe geſturum, vt nunquam pœniteat te liberalitatis ac clementiæ tuæ. velimque tibi perſuadeas,ſi illum priſtinæ fortunæ reſtitueris,me tibi deuinctiſſimam futuram: ſin durius aliquid te cogitare, precesque noſtras aſpernari intellexero, id memineris me preces huiuſmodi ad vim, & iniuriam eſſe conuerſuram. Tu verò quod optimum, & ſaluti tuæ maximè vtile fuerit, decernas. Vale. Conſtantin.

SYLVERIVS ROMANVS PONT. Theodoræ Auguſtæ.

PERMOLESTAE mihi fuerunt literæ tuæ, quibus Anthemium,perditiſſimum hominem,ſacerdotio,patriæ,ac fortunis omnibus reſtitui petis. Nam nihil eſt omnium rerum, in quo minus voluntati tuæ morem gerere poſſim, cùm homo hæreticus iuſtis ſententijs damnatus & noxius liberari ſine ſcelere, & maxima perturbatione non poſſit; quem tantum abeſt, vt reſtituendum exiſtimem, vt ob pertinaciam ſuam grauiori etiam ſupplicio afficiendum putem. Quibus enim ſatis dignis pœnis

plecti poſſit, qui populos fidei ſuæ commiſſos, doctrinis, & prauis opinionibus, quaſi veneno ne cauerit, vrbemque omnium florentiſſimam ſuo dogmate perdiderit? Quare ab amplitudine tua etiam atque etiam peto, vt ne hoc à me petas, quod nec dignitas tua, nec vllas ratio ſacrarum rerum fieri patitur, id tantùm ad vim, & minas, tuas breui dicam, me tanti honorem Dei Opt. Maximi, tanti ſalutem animi facere, vt necis etiam pœnas non pertimeſcam. Vale Romę.

NARSES DVX, IVSTINIANO IMPERATORI.

CVM *mihi nũciatum eſſet, Theiam Gothorum Regem Nuceriam dedentibus oppidanis recepiſſe, eò copias, & robur exercitus conuerti, atque ad eius conſpectum deueni, vterque exercitus medio flumine ſecernebatur, cuius pontem hoſtis occupauerat, per paucos dies multis leuibus certaminibus, & varia fortuna, demum totis viribus pugnatum eſt, in quo prælio Theias ipſe confoſſus interijt, ea pugna vſque ad noctem intermiſſa non eſt. Cùm Gothorum reliquiæ acriter pugnando aliquas pacis conditiones ſperarent, ijs petentibus pax ita data eſt, vt quæcumque oppida in tota Italia detinerent, reſtituerent Gothi; duas tamen vrbes Galliæ Ciſalpinę, Lucã, & Forum Cornelij reliquas habeat; Sed & illas nullo labore propediem capiemus. Hac victoria huiuſmodi eſt, vt Gothorum Imperium*

Imperium prorſus exciſum ſit, nomenque etiam propediem interiturum, quod annos ſeptuaginta duos in hac prouincia cum maxima gloria floruit. 100. millia hominum deſiderati ſunt. paucos autem, qui tantæ cladi ſuperfuerunt, non Gothos, ſed veriùs Italos appellare poſſumus. Hæc ad te paucioribus eò ſcripſi, quòd de ijs omnibus multorum verbis certior fieri melius poteris. Vale. Nuceriæ.

NARSES DVX, IVSTINIANO IMPE.

POST *inſignem pugnam, quæ ad Nuceriam facta eſt, cùm prorſus nihil belli Gothici supereſſe exiſtimarem; ecce tibi Gothi, qui trans Padum erant, Lucem, & Fortum Cornelij inſtaurarunt, præſidia impoſuerunt, & Duces Teobaldi in belli ſocietatem ſibi aſciuerunt. Properè eò cum legionibus acceſsi, ad fluuium Auſerim caſtra poſui, cohortesque aliquot ad Forum Cornelij ire iuſsi. vtraque vrbs acriter obſeſſa eſt. Luca ſeptimo menſe capta, Forum Cornelij paulò pòſt expugnatum eſt, & ob ciuium improbitatem ſolo æquatum. reliquiæ tam diuturni, & varij belli tum veteranorum virtute, tum Dagiſtei Ducis egregia opera ſublatæ ſunt, ac ita ſublatæ, vt nihil ſit, quod à Gothorum armis perpetuò timeamus. Totum id bellum tametſi decem et octo annorum laboribus ac impenſis geſtum ſit, tamen tantum gloriæ tibi penes vniuerſos futuris etiam temporibus comparauit,*

vt Romanorum triumphos, & Itali nominis gloriam vnus viceris. Quæ omnia proſpera ac fœlicia tibi faxit Deus optimus maximus. Vale. Lucæ.

AVRELIANVS DVX, CAROLO VIII. Gallorum Regi.

EGO *iampridem commodo & iudicio Amplitudinis tuæ Nouariam cepi, quantumq; in me fuit, gloriam Gallici nominis defendi ac tutatus ſum. Sed cùm ita rerum euentus ac incerti caſus tulerint, vt hæc vrbs duobus exercitibus hinc & inde obſideretur, rei magnitudo effecit, vt meam & tot fortiſſimorum militum ſalutem tibi cõmendarem. Pertinet enim ad publicam Gallorum exiſtimationem & ad dignitatem imprimis tuam, Nouariam defendi, ac ab obſidione liberari: in quo ſi aliquorum improbitate vel in curia, & flagitioſis conſilijs deſerar, Itali acceptæ cladis memores crudeliter erunt ſæuituri. Nouarienſes, qui ſummæ fidei ſunt, & milites qui ſummæ conſtantiæ laude aſpera omnia paterentur, propter comeatus inopiam iam prope ad rerum omnium deſperationem deuenerunt, neque vlla re magis eorum corpora atque animi ſuſtinentur, quàm certa ſpe tui aduentus. Si exercitum à Vercellis admoueris, & hoſtes quos iam ad Terrum profligaſti ex compoſito aggreſſus fueris, nos continuò cum octo millibus pugnaciſſimorum hominum erumpemus, egregioque*

facinore

facinore edito victoriam ingeminabis. Hoc te Nouarienſes omnes, hoc te Heluetij, Antiuſque ipſe: hoc etiam atque etiam Ludouicus Salaſſus rogat: quorum ſalutem tāti, quāti dignitatem fortunasq́; tuas facere debes. Vale. Nouariæ.

CAROLVS VIII REX GALLIARVM, Aureliano Duci.

MVLTA *me ad ſalutem tuam & ſociorum hortantur, vel affinitas, qua mecum arctè coniunctus es, vel milites de me optimè meriti; quorum virtuti tantum debeo quantum ſoluere difficile eſt. Acciui nuper ex Heluetijs pedites & è Gallia equites cataphratos in ſupplemētū exercitus. ſpero ea auxilia quàm maturè ventura: quæ vbi applicuerint, extemplo caſtra mouebo, daboq́ue operam nauiter, vt Itali fœda fuga obſidionem ſoluant; vel ſi opperiri noſtrùm aduentum velint, maximo ſuo incommodo Gallorum virtutem iterum experientur. Tu interim Nouarienſibus, Antio Ludouicoq́ue Sallaſſo meis verbis ſalutē ac præſidium pollicearis. Vale. Vercellis.*

Narſes Albouino Longobardorum Regi.

NVLLVS *eſt, qui neſciat quantis laboribus ac periculis pro tuendo Imperio & in Italia & vbiquelocorum decertauerim, qui tametſi Gothos,*

aliasque gentes conſilio armiſque euicerim, inuidia tamen, perditorumque hominum audacia, me oppugnari ſerò tandem animaduerti. nam & Sophia Auguſta Iuſtino ſuaſit, vt Longinum patricium mihi ſucceſſorem mitteret, fore enim melius, inquit impudens mulier, vt me Eunuchum ad diſpartienda inter ancillas penſa reuocarent. His affectus contumeliis non poſſum non toto animo commoueri, eoque magis, cùm videam ſeruatam à me pulcherrimam prouinciam, libidini, auaritiæque hoſtium meorum committi. Sed cùm diu animo voluiſſem, qua potiſſimum ratione Italiam è faucibus ſceleratorum hominum eriperem: tu mihi imprimis dignus viſus es, cui hanc nobiliſſimam prouinciam quaſi de manu traderem. Quare te etiam atque etiam hortor, vt quàm maximis poteris copiis quamprimum Italiam petas: nã tibi polliceor, in meque recipio fore, vt nullo labore, nullis impenſis ampliſſimo hoc Imperio potiaris. quòd ſi huiuſce cæli clementiam, agrorum fertilitatem, collium amœnitatem, vrbium magnificas ædes, diuitias, opes aliquando cognoſces, huic nullam prouinciam comparandam duces. ego vt primùm copias tuas aduentare ſenſero, Neapoli mouens clientum neceſſariorumque præſidio tibi accurram efficiamque, vt latiſſimas vias ad hoc regnum adipiſcendum ingrediaris. Vale, Neapoli.

PRAEFECTVS

PRÆFECTVS VRBIS ROMAE, MAVRITIO IMP.

CVM *Romana vrbs parente ac pontifice orbata eſſet, communi omnium conſenſu Gregorius, Gordiani ſenatoris filius Pont. factus eſt, qui licet monachus genus vitæ ab omnibus curis amotum ſibi iampridem delegiſſet, mores optimi viri, doctrina, virtus denique ſingularis ac prope diuina effecerunt, vt nolentem inuitumque ſacerdotes populuſque Romanæ Eccleſię illum præficerent. Nos verò memores, qua beneuolentia, ac familiaritate idem Pont. tibi coniunctus eſſet, maiori alacritate eum abſte comprobari poſtulamus. hoc profectò vtrique noſtrum gratum fore confidimus. Sed iudicium noſtrum de Gregorio abſte laudari tàm erit nobis iucundum, quàm quod iucundiſſimum. Vale, Romæ.*

ISABELLA VICECOMES, FERDINANDO Auo, ac Alfonſo patri Regibus.

SCIO *vos, qui & claritudinis Aragoniæ domus & regiæ dignitatis memores ſemper fuiſtis, nunquam me prolem veſtram atque in ſinu veſtro educatam Ioanni Galeacio fuiſſe deſponſuros, ſi quem paterno atque auito Imperio, quum per ætatem licuiſſet ſucceſſurum arbitrabimini, eum exacta adoleſcentia, liberiſq; ſuſceptis, ambitioſiſſimo*

atque ſæuiſſimo patruo ſeruiturum putaſſetis. Ludouicus enim non iam patruus, ſed immitis & atrox hoſtis, nunc primùm apertè, quod multis antè annis longa gubernandi conſuetudine allectus percupidè ſemper affectauit, Mediolanenſis Imperij ſceptra ſolus obtinet, & cuncta cum vxore ad arbitrium moderatur; ipſe Principum legatos audit, belli, pacisque fert leges, & denique necis ac vitæ vectigalium, atque ærarij ſupremam habet poteſtatem: nos miſeri ab eo circumſcripti & deſtituti ab omnibus, cùm ſolis rerum inanium titulis decoremur, in obſcuro luctuoſam ac miſerabilem vitam agimus, ſolicitique etiam de ſalute, quæ Imperio ac honoribus amiſſis reliqua eſt, niſi maturè opem feratis, duriorem in dies afflictis rebus exitum opperimur. Eripite, obſecro, natam, generumque veſtrum erumnis his: & ſi vos diuina atque humana iura permouent, ſi qua iuſticiæ, & pietatis, ſi qua denique in illis veſtris regijs animis priſtini decoris cura reſidet, libertati atq; Imperio reſtituite. non deſunt nobis ſtudia optimorum ciuium. in Ioanne Galeacio animus viget curarum atque Imperij capax, veteres amici, qui nunc Tyranni ſæuitiam reformidant, promptum ac fidelem ex occaſione operam nobis tacitè pollicentur, atque omnes peregregia erga nos voluntate ciuitates exiſtunt, quibus ille inuſitata & prægraui acerbitate pecuniam imperauit. poſtremò Dij ipſi immortales ſcelerum vindices, nobis non deerunt. ſi vos qui alieniſſi-

alieniſſimis etiam miſera atque indigna ſeruitute oppreſſis prædio eſſe æquum & regium ſemper exiſtimaſtis, ſanguini veſtro, & iuſtiſſimæ cauſæ minimè defueritis. Valete. Ticini.

PELAGIVS ROM. PONT. Iuſtiniano Imp.

TANTA *eſt clades vrbium Italiæ, tam magna incendia, vt iam nullus ſit locus impetu & iræ Totilæ regis immunis. Is Tyberi tranſmiſſo Beneuentum petijt, eamque vrbem mœnibus ſpoliauit; Neapolim, & Cumas obſedit; Apuliam, Lucaniam, atque Calabriam recepit. Duces tui vrbes ſibi creditas inter ſe partiti ſunt. Ioannes Romam, Beſſas Spoletum, Cyprianus Peruſiam, Iuſtinus Feſulas, Conſtantinianus Rauennam accepere; quorum libido & auri amor vſque adeo creuit, vt ipſi præſides tui expilando prouincias, Gothorum ſæuitiam æquare videntur. Nos Romanæ vrbis excidio eò magis timemus, quòd obſeſſam Neapolim eſſe in maximo periculo intelligimus. Hæc cùm ita ſint, vt ſaluti reliquorum paucorum proſpiciatur, peto abſte, vt quàm citiſſimè ac maximè poteris nouas legiones, Ducesque fide ac virtute præſtantes, in Italiam mittas. Nam ſi diutius præſidia expectentur, acriuſque oppida premantur, vereor, ne conatus omnes vani irritique cenſeantur. Iis verò perditiſſimis temporibus tota*

ſpes

ſpes noſtra in Deo optimo maximo, virtuteque tua ſita eſt: qui ſi quicquam de tua diligentia curaque remittas, de Imperio Romano, deque Italo nomine actum iri videmus. Vale. Patauij.

DIOGENES LEGATVS, IVSTINIANO IMPE.

POSTEAQVAM *Belliſarius Italia exceſſit, Imperium multa & maxima detrimenta accepit. Nam & Peruſia quamprimùm Gothorum armis ceſſit, Calabria, atq; Apulia amiſſa eſt: vrbs Portuenſis in hoſtium manus deuenit; denique ad hæc acceſſit obſidio Romanæ vrbis; quam tametſi tribus millibus veteranis millitibus egregiè tueamur, tamen anguſtia rerum omnium & ciues, & milites miſerè affliɛtantur, facileque fieri poteſt, vt annonæ caritate, & reliquarum rerum penuria, & longæ obſidionis tædio, vel ciuium, vel militum animi ad deditionem fleɛtantur. Erit ergo prudentiæ inuiɛtique animi tui afflictæ vrbi, Italiæque laboranti opem ferre: ſi enim hæc ita magna fundamenta denuo à Gothis iacta ſubſiſtant, tale ædificium conſtrui ab ijs videre videor, vt omnia Gothorum imperio ceſſura facilè credam. hęc quanti facienda ſint, tu videris: ego verò quod ad meas partes pertinet, dabo operam, vt ijs rerum difficultatibus diligentiam fidemque noſtram imprimis probare homines, Dijque poſſint. Vale, Romæ.*

MAV-

MAVRITIVS IMP. GREGORIO ROM. PONT.

GRATISSIMAE *fuerunt nobis literæ, quibus nunciatum eſt, te in Romanum Pont. delectum fuiſſe. Sed totum id gaudium perturbabat rumor quidem obortus, te ab hoc ſacro munere rei magnitudine maximè abhorrere. Quid, eſt quæſo, in tanta rerum perturbatione, quod egregius præſtantius, aut magis pium fieri poſſit? meminiſſe debes, non tibi ipſi tantùm, ſed vtilitati hominum, ac diuino honori plurimum debere, quem ſemper tu te rebus omnibus ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus atque omni ambitione, prætuliſti. quòd ſi oneris magnitudinem reformidas, tota ſpes tibi in Dei Optimi Maximi præſidio collocãda eſt. Ego (qui meus in te amor) nunquam tibi niſi ſalutare conſilium darẽ. tu te optime noſti, magiſtratus, imperia ſacerdotiaque à Dijs immortalibus dari, tantique eſſe, vt vnius optimi principis pietate, innocentia, ac virtute vniuerſæ prouinciæ incolumes firmæq; conſiſtant. Reliquum ergo eſt, vt huic diuinæ vocationi aquieſcas, reique pub. Chriſtianæ curam gerere, & tibi de nobis, de toto Imperio, rebus, fortuniſq; noſtris omnia pollicearis. Vale. Conſtantinop.*

GREGORIVS PONT. ROM. MAVRITIO

PRAEFECTVS *Romanæ vrbis, cæterique cuiuſcunque*

iuſcunque ordinis viri mihi ſunt locupletiſſimi teſtes quantum ab onere gerendæ Romanæ Eccleſiæ abhorrerem: ſed & literæ tuæ humaniſſimæ, preceſque quotidianæ me à propoſito conſilio deterruerunt, tantoque oneri ſuccedere voluerunt. Verùm cùm multa animum mihi angant excrucientque, id per quàm moleſtum eſt, te paulò antè quandam legem Eccleſiæ libertati aduerſam ac pernicioſam tuliſſe; quippè qui homines Romanæ militiæ aſcriptos, niſi finita militia aut mancos aut debiles Deo militare prohibueris: idem etiam Ioannis epiſcopi tui dementiam & fouiſti, & vniuerſalem patriarcham appellari cenſuiſti. In tantis rerum difficultatibus, niſi preſto mihi ſit Deus Opt. Maximus, ſuccumbam neceſſe eſt. nam & legem illam diuinis rebus imprimis pernicioſam prorſus tollendam cenſeo, & Ioannem audaciæ ſuæ puniendum arbitror. Quod verò ad mutuā pacem pertinet, ego ita illam probaui, vt nihil illa potius aut antiquius iudicauerim. Sed erit prudentię, amplitudiniſque tuæ, eum ab errore reuocare, legeſque impias abrogare quod ſi effeceris, tibi velim perſuadeas, dignitatem, Imperium, reſque tuas omnes Deo Optimo Maximo curæ futuras. Vale.

ESCHINES SENATVI. POP.QVE Athenienſi.

EGO *ad remp. acceſſi* XXXIII. *ætatis anno, non*

non per Iouem, ex ſcena, vt aiebat Demoſthenes, ſed & liberè ſcribere edoctus & ſtudijs bonarum artium mediocriter eruditus, atque ita in dicendo verſatus, vt me Athenis loqui deceret. neque hanc dicendi facultatem ad alicuius calumniam meditatus fuiſſe, aut, vt alicui ex ciuibus negocium faceſſerem, deprehenderer pecunia corruptus, ſeu contumeliam remiſiſſe, prorſusve contumelioſè tractatus fuiſſe; neque cauſam præſtiti, vt contemptui haberer, nec ciuium quemquam in iudicium traxi, præter vnum Timarchum, minuſque id prædico in conſpectu veſtro, quòd cùm grandem admodum pecuniarum ſummam capere potuiſſem, eas accipere noluerim; ſed quoad per leges licuit, pœnas ſumpſerim. Præterea Cteſiphontem rurſus cùm multa ab eo, multa ab Demoſthene paſſus eſſem, illicitæ rogationis detuli, æquiſſima alioquin per Deos accuſatione. Sed ne admirandum quidem eſt, ſi ſuperior quàm leges veſtræ & orationes meæ fuerit eloquētia à Demoſthenis: viſum autem fortè eſt ex ijs de quibus ante, Demoſthene delatus fui, longe quippe ijs maioribus propter quæ in præſentia ſuccubui. illud non paruum apud vos argumentum bene per me adminiſtratæ reipublicæ, quòd Demoſthene accuſante condemnatus non fuerim. Poſt hanc verò calamitatem id vel ſummæ apparuit vniuerſæ gratiæ, ne dum vobis, qui nam, vt reor, ipſe fuerim. Quis enim non nouit, quòd homines defuncti ſicut, & exules ab eorum patria eo

vel

vel maximè tempore mortis ſcilicet, & exilij, quibus fuerint moribus apparent, & quæ ipſi prius celauerant, illis è medio ſublatis palàm conſpici. multò enim magis ab eorum inimicis vellicantur, dum illis reſiſtere nequeunt. qui uerò ob huiuſmodi cauſa exulant, quòd hoſtibus ſemper adhæſerint, manifeſtos prorſus faciunt ſuos mores, & quas aperto ſententias in reipublica adminiſtranda ſecuti fuerint. Nam & qua de re calamitatē acceperint, & quo ſint animo erga ſuam patriam, non diſſimulanter diſquiruntur: Nunquid quòd Philippo patriam meam tradiderim, & ita legationem fuerim ementitus aduerſus remp. ut Macedonibus obſequerer? poſteaquàm à vobis è veſtigio exul receſſi ad Alexandrum me contuli, eorum, quæ illi præſtiteram gratiam reportaturus, & conſultationis præmium ab eo accepturus. neque enim fieri poteſt, vt non videā Demadem in Boetia diuerſoria habentem, & xx. iugera terræ arantem, aureasque fialas tenentem: Hegemonem verò & Callimedontem hunc quidem in Palla, illum vero in Berrhea, & muneribus pariter condonatos, & honeſtiſſimis nuptijs condecoratos. Attamen neque ad Thebanos, neque in Theſſaliam à vobis profectus fui, neque ad alium quemquam, apud quos me oporteret patriam maledictis violare, aut eam ab alijs violari audire. Verùm Rhodum appuli, ad hominum ſanè vrbem, neque vobis per Iouem infenſorum, neque qui alioquin odio habeant, qui neque

pro-

prope patriam ſuam remanent: his potius mihi ſimiles eſſe videntur, qui pœnam illudunt, quam quod Ciuitatem reuereantur. Quapropter mihi neceſſe fuit, vel quam longiſſimè ab ea proficiſci, ne quicquid eiuſmodi & cogitationis ob oculos verſaretur, quod mentem meam turbare poſſet, atque ne hìc quidem Rhodi ſcilicet manſiſſe viderer, paruum quoddam oppidum Amnum Stereæ delegi, vbi cùm iugera duobus talentis emiſſem, tot quippe, quot eum qui pecunia corruptus ad Philippum primùm, deinde poſteriori loco ad Alexandrum defecerat decebat; quique Phocenſes, ac Græciæ libertatem Macedonibus tradiderit. Hìc vitam dego cum famulis V I I. & duobus vel ſolis domeſticis, ac matre, quæ iam tertium ac ſeptuageſimum annum cùm attingat, mecum nauigauit, vt ærumnæ mihi à vobis inflictæ particeps eſſet, vnà quoque cum vxore, quæ mecum profecta fuit, quamuis pater eam prohibuiſſet, ac leges forte cogerent manere, dum mores potius quàm ciuitatis leges edocta eſſet; tribus inſuper cum filijs, qui ſuam nondum miſeriam ſentiunt, nec, quam eis cum geniti ſunt, patriam Deus dederit, Athenarum quippe ciuitatem, qua ne rurſus, vbi nati fuere, ab vrbe eiecti ſunt: alij enim (vt videre licet) eorum liberos ſiue in Beotia, aut in Aetolia genitos ad vos mittunt, vt ibi erudiantur. Quibus verò datum eſt, vt natura iſta ſint comparata, quique non è nouo patre nati exiſtant, turpi ne de cauſa damnato exu-

lant

lant adhuc infantes, & tenuiter aluntur in ſolitudine, exilioque paterno. Demoſthenes enim vobis literas ſcripſit de filijs Lycurgi, voſque humaniter eſt deprecatus, illud petendo, vt paternam culpam illi condonaretis. Vos nihil aliud quàm quod moris eſt Athenienſium, agendo, eorum miſerti eſtis, ipſisque rem gratam feciſtis. Etenim facilè iraſci conſueuiſtis, rurſusque mitigari. ego pro filijs meis non adducar, vt vos rogem, ne mihi ſolùm in orbitate alantur, ſed ne orbi ſimul & exules ſint, cùm neque cuiquā iniuriam intulerint, vel aliqua alia de re damnati fuerint, quæ tamen damnati luunt omnia fuerint perpeſſi. Deinde me tandem ad memoriam veſtram reuocetis, & ijs precibus meis obtemperare velitis mutata rurſus voluntate veſtra. Verùm enim Athenienſes agite, & amplectimini quod apud vos ipſos in more eſt poſitum, & in modeſtia veſtra perſeuerate. Neque enim à moribus veſtris recedetis, ciuitatiſue exiſtimationem contemnetis, quę probè & humaniter agendo multò magis floruit, quàm reliquæ aliæ ciuitates, neque Melanopus plus potuerit vos prohibendo, ne probitate aut vrbanitate veſtra vtamini, quàm adhortando non quidem Æſchines, (neque enim ad rem illam per Deos idoneus eſt) neque certè aptus ſum, vt patriæ meæ hoc perſuadeam, præſertim cùm id in gratiam meam agere viderer, ſed ciuitatis conſuetudo, antiquum nomen veſtrum, ac mos maiorum veſtrorum, cui

æquius

æquius ſanè eſt quam Melanopo, qui aduerſus vos deprecatur, vt non animum adhibeatis.

MAVRITIVS IMPER. GREGORIO Romano Pont.

SERO tandem animaduerti me à recta viuendi ratione ad deteriora prolapſum. nam & tam multa portenta Deum Opt. Maximum mihi infenſum ſignificant, vt dies & noctes pernitiem clademque mihi inſtare planè videam. Sed quando vnus is tantùm pœnitentiæ locus ſupereſt, oro te reliquoſque viros Deo addictos & charos, vt iratæ mihi numina precibus veſtris mitiora efficiatis, meque ad ſinum matris Eccleſiæ redeuntem excipiatis. Confido enim fore, ſi me amicè & more maiorum complecti velitis, mecum præclarius actum iri ac futurum, vt quæ incommoda Romana vrbs, ipſaque Eccleſia per nos paſſa eſt, multis maximis officijs aucta inſtaurari, excitari, cumularique poſſit. Vale. Conſtantinopoli.

HERACLIVS IMP. CONSTANTINO FILIO IMP.

QVAMPRIMVM mihi nunciatum eſt, Perſas vnà cum Coſdroa Rege Azoti ſe continere eò cum legionibus contendi: qui copiarum noſtrarum aduentum ſentiens in Perſidem fugit, exuſtis primùm ſegetibus, quæ tum flaueſcebant. Is Sarabacum, &

Sarabaſſem, Duces impigros reliquit, qui noſtrorum impetum ſuſtinerent, quo cognito magnis itineribus ſuperato Tauro monte, Sarabacum, qui Saron amnem occuparat, fugaui: Saym deinde cum maioribus copijs obuiam habui, cum quo prælio totam diem varia fortuna dimicaui, ac demum victor euaſi. Ad hæc Razatenem cum omnibus Perſarum viribus oppugnaui, viginti ſeptem ſigna militaria abſtuli, ducemque ipſum interemi. Hęc te certiorem feci, tùm vt ſcires tibi cum imperio multam gloriam comparari, tùm etiam vt honeſtas pacis conditiones hoſti negandas nunquam putes.

HERACLIVS IMPER. SEVERINO PONT. ROM.

MAXIMA *Moleſtia me affecerunt literæ tuæ, quibus Iſatium exarchum noſtrum accuſabas, quòd Lateranenſe templum expoliauerit, prædam Rauennam detulerit, mihique optimam ſpoliorum partem etiam adiudicauerit. Ego ſane, vt Imperatorem Chriſtianum decebat, virum ſacrilegum odi, Deosque obteſtator, me nihil planè rerum ſacrarum aut cepiſſe, aut capi voluiſſe, daturumque operam, vt Iſatium ſceleris ſui pœniteat: quandoquidem nihil eſt, quod animum meum magis quàm res ſacra moueat. Vix credas, quàm acerbus mihi nuncius fuerit Maumetis nuper inuecta religio, qua affecti Saraceni, qui mihi ex Arabia militabant,*

litabant, in Syriam ſeceſſere, Fenicem, Syriam, Aegyptumque occupauere. Arabes enim omnes Maumeti legem ſuſceperunt, Perſarumque regnum opulentiſſimum cæſo rege Arſmiſda inuaſerunt, eoque periculi ventum eſt, vt tantis viribus nullus exercitus occurrere tutò poſſit. Quare abs te etiam atque etiam peto, vt rem Chriſtianam multis pijs precibus Deo commendes, meque tibi deuinctiſſimum putes. Vale. Conſtantinopoli.

IACOBVS STVARDVS SCOTIÆ REX, Henrico Angliæ Regi.

NVLLIS *literis enarrare poſſem, quàm multa in contumeliam Scotici nominis iampridem egeris, eaque pro iure affinitatis ac fœderis forti animo ſemper tuli, cum grauiſſima damna finitimis Scotis, vt conſtitutum fuerat, minimè reſarcieris, cùm in percuſſores Bartonis piratæ Scoti non animaduerteris, & Spurium Neronem, qui præfectum finium Scotiæ interfecerat, impunè agere in Anglia paſſus fueris, legatos noſtros contra ius gentium non admiſiſti, oratorem vxoris inuitò retentum non dimiſiſti, complures nobiles Scotos in Scotia captos vinctoſque crudeliter etiam tunc in cuſtodia habes: Ea omnia, quanquàm per ſe magna, & intolerabilia, diſſimulare tamen potui. Scias tamen me non paſſurum vlterius Ludouicum amicum regem cognatione, & fœdere mihi*

coniunctum abste ad internicionem oppugnari. Caroli Geldrij conſanguinei agrum pluſquam hoſtiliter ab Anglis deuaſtari: præterea eſſe ſupremum animi mei iudicium cauſam ſocij regis iure fœderis defendere velle, neque interim me finem facturum populationibus atque incendijs, quamdiù Ludouicus abste in Gallia vexabitur. hæc autem cuiuſmodi ſint, pro tua prudentia videbis. Vale.

HENRICVS, ANGLIAE REX, IACOBO Stuardo Scotiæ Regi.

NIHIL *eſt, quòd mirari debeam, te pro vetere gentis inſtituto, fidem nobis fallere. Noui enim iampridem animi tui inconſtantiam, & conſiliorum leuitatem, quibus eò dementiæ aduentus es, vt alienam cauſam proprio periculo tueri, & florentes res tuas cum perditis Gallorum rebus permiſcere contendis. Quòd ſi violare iuſiurandum, fidem prodere, & arctiſſimę neceſſitudinis obliuiſci æquum, & regium putares, neque eo dedecore permouetis; timere ſaltem Deos immortales deberes, qui turbatæ pacis, & ruptorum fœderum vindices eſſe conſueuerunt: adduci etiam exemplo regis Nauariæ poteras, quem Dijs ita iubentibus, ex patrio regno in eas miſerias præcipitatum, Ludouicus in Gallia ſine regno tranquillè regnare permittit, proinde deſine, memorare atque obijcere, quæ ad violandam pacem ipſe confinxiſti: ea enim iampridem,*

pridem, vt vetera, & vana literis, & legationibus dilui. cæterum impudentiſſimè agere videris, quòd nihil earum rerum antequam mare traijcerem commemoraſti. Veruntamen ſcias apud me etiam abſentem non eſſe tantæ exiſtimationis Scotorum Regem, vt eius repentina atque inſperata perfidia terreri poſſim. agas modò, vt lubet; ego verò nulla denunciatione periculi deſtiturus ſum à fœlici incæpto, neque iniuriam animo depoſiturus. Tu interea, quæ deceant regem nobilem imprimis cogita. Vale Ad Teroanam in Caſtris.

CONSTANTINVS IMP. BENEDICTO II. Romano Pont.

CVM vſu receptum fuiſſet, vt nullus Romanus Pont. ritè electus diceretur, niſi id nobis, vel exarcho noſtro ratum firmumque haberetur: nos animaduertentes id minus piè, ac commodè fieri conſueuiſſe, nihilque exinde religioni ſacriſque rebus emolumenti naſci; placuit nobis, vt deinceps quem ſacerdotes exercitusque Romanus in Pont. delegerint, eundẽ ſtatim verum Chriſti vicarium, nulla expectata nominis noſtri authoritate iudicari. Tu verò beatiſſime pater, quæ ad amplitudinem Chriſtianæ reipub. pertinent ita geras, vt euerſis hominum moribus cura diligentiaque tua ſuccurratur Vale. Conſtantinopoli.

atque ſæuiſſimo patruo ſeruiturum putaſſetis. Ludouicus enim non iam patruus, ſed immitis & atrox hoſtis, nunc primùm apertè, quod multis antè annis longa gubernandi conſuetudine allectus percupidè ſemper affectauit, Mediolanenſis Imperij ſceptra ſolus obtinet, & cuncta cum vxore ad arbitrium moderatur; ipſe Principum legatos audit, belli, pacisque fert leges, & denique necis ac vitæ vectigalium, atque ærarij ſupremam habet poteſtatem: nos miſeri ab eo circumſcripti & deſtituti ab omnibus, cùm ſolis rerum inanium titulis decoremur, in obſcuro luctuoſam ac miſerabilem vitam agimus, ſolicitique etiam de ſalute, quæ Imperio ac honoribus amiſſis reliqua eſt, niſi maturè opem feratis, duriorem in dies afflictis rebus exitum opperimur. Eripite, obſecro, natam, generumque veſtrum erumnis his: & ſi vos diuina atque humana iura permouent, ſi qua iuſticiæ, & pietatis, ſi qua denique in illis veſtris regijs animis priſtini decoris cura reſidet, libertati atq; Imperio reſtituite. non deſunt nobis ſtudia optimorum ciuium. in Ioanne Galeacio animus viget curarum atque Imperij capax, veteres amici, qui nunc Tyranni ſæuitiam reformidant, promptum ac fidelem ex occaſione operam nobis tacitè pollicentur, atque omnes peregregia erga nos voluntate ciuitates exiſtunt, quibus ille inuſitata & prægraui acerbitate pecuniam imperauit. poſtremò Dij ipſi immortales ſcelerum vindices, nobis non deerunt. ſi vos qui alieniſſi-

alieniſſimis etiam miſera atque indigna ſeruitute oppreſſis prædio eſſe æquum & regium ſemper exiſtimaſtis, ſanguini veſtro, & iuſtiſſimæ cauſæ minimè defueritis. Valete. Ticini.

PELAGIVS ROM. PONT. Iuſtiniano Imp.

TANTA *eſt clades vrbium Italiæ, tam magna incendia, vt iam nullus ſit locus impetu & iræ Totilæ regis immunis. Is Tyberi tranſmiſſo Beneuentum petijt, eamque vrbem mœnibus ſpoliauit; Neapolim, & Cumas obſedit; Apuliam, Lucaniam, atque Calabriam recepit. Duces tui vrbes ſibi creditas inter ſe partiti ſunt. Ioannes Romam, Beſſas Spoletum, Cyprianus Peruſiam, Iuſtinus Feſulas, Conſtantinianus Rauennam accepere; quorum libido & auri amor vſque adeo creuit, vt ipſi præſides tui expilando prouincias, Gothorum ſæuitiam æquare videntur. Nos Romanæ vrbis excidio eò magis timemus, quòd obſeſſam Neapolim eſſe in maximo periculo intelligimus. Hæc cùm ita ſint, vt ſaluti reliquorum paucorum proſpiciatur, peto abſte, vt quàm citiſſimè ac maximè poteris nouas legiones, Ducesque fide ac virtute præſtantes, in Italiam mittas. Nam ſi diutius præſidia expectentur, acriuſque oppida premantur, vereor, ne conatus omnes vani irritique cenſeantur. Iis verò perditiſſimis temporibus tota*

ſpes

ſpes noſtra in Deo optimo maximo, virtuteque tua ſita eſt: qui ſi quicquam de tua diligentia curaque remittas, de Imperio Romano, deque Italo nomine actum iri videmus. Vale. Patauij.

DIOGENES LEGATVS, IVSTINIANO IMPE.

POSTEAQVAM *Belliſarius Italia exceſſit, Imperium multa & maxima detrimenta accepit. Nam & Peruſia quamprimùm Gothorum armis ceſſit, Calabria, atq; Apulia amiſſa eſt: vrbs Portuenſis in hoſtium manus deuenit; denique ad hæc acceſſit obſidio Romanæ vrbis; quam tametſi tribus millibus veteranis millitibus egregiè tueamur, tamen anguſtia rerum omnium & ciues, & milites miſerè affli ctantur, facileque fieri poteſt, vt annonæ caritate, & reliquarum rerum penuria, & longæ obſidionis tædio, vel ciuium, vel militum animi ad deditionem flectantur. Erit ergo prudentiæ inuictique animi tui afflictæ vrbi, Italiæque laboranti opem ferre: ſi enim hæc ita magna fundamenta denuo à Gothis iacta ſubſiſtant, tale ædificium conſtrui ab ijs videre videor, vt omnia Gothorum imperio ceſſura facilè credam: hęc quanti facienda ſint, tu videris. ego verò quod ad meas partes pertinet, dabo operam, vt ijs rerum difficultatibus diligentiam fidemque noſtram imprimis probare homines, Dijque poſſint. Vale, Romæ.*

MAVRITIVS IMP. GREGORIO ROM. PONT.

GRATISSIMAE *fuerunt nobis literæ, quibus nunciatum eſt, te in Romanum Pont. delectum fuiſſe. Sed totum id gaudium perturbabat rumor quidem obortus, te ab hoc ſacro munere rei magnitudine maximè abhorrere. Quid, eſt quæſo, in tanta rerum perturbatione, quod egregius præſtantius, aut magis pium fieri poſſit? meminiſſe debes, non tibi ipſi tantùm, ſed vtilitati hominum, ac diuino honori plurimum debere, quem ſemper tu te rebus omnibus ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus atque omni ambitione, prætuliſti. quòd ſi oneris magnitudinem reformidas, tota ſpes tibi in Dei Optimi Maximi præſidio collocãda eſt. Ego (qui meus in te amor) nunquam tibi niſi ſalutare conſilium darẽ. tu te optime noſti, magiſtratus, imperia ſacerdotiaque à Dijs immortalibus dari, tantique eſſe, vt vnius optimi principis pietate, innocentia, ac virtute vniuerſæ prouinciæ incolumes firmæq; conſiſtant. Reliquum ergo eſt, vt huic diuinæ vocationi aquieſcas, reique pub. Chriſtianæ curam gerere, & tibi de nobis, de toto Imperio, rebus, fortuniſq; noſtris omnia pollicearis. Vale. Conſtantinop.*

GREGORIVS PONT. ROM. MAVRITIO

PRAEFECTVS *Romanæ vrbis, cæterique cu-*

iuſcunque

iuſcunque ordinis viri mihi ſunt locupletiſſimi teſtes quantum ab onere gerendæ Romanæ Eccleſiæ abhorrerem: ſed & literæ tuæ humaniſsimæ, preceſque quotidianæ me à propoſito conſilio deterruerunt, tantoque oneri ſuccedere voluerunt. Verùm cùm multa animum mihi angant excrucientque, id per quàmmoleſtum eſt, te paulò antè nuidam legem Eccleſiæ libertati aduerſam ac perniciosam tuliſſe; quippè qui homines Romanæ militiæ aſcriptos, niſi finita militia aut mancos aut debiles Deo militare prohibueris: idem etiam Ioannis epiſcopi tui dementiam & fouiſti, & vniuerſalem patriarcham appellari cenſuiſti. In tantis rerum difficultatibus, niſi preſto mihi ſit Deus Opt. Maximus, ſuccumbam neceſſe eſt. nam & legem illam diuinis rebus imprimis pernicioſam prorſus tollendam cenſeo, & Ioannem audaciæ ſuæ puniendum arbitror. Quod verò ad mutuã pacem pertinet, ego ita illam probaui, vt nihil illa potius aut antiquius iudicauerim. Sed erit prudentię, amplitudiniſque tuæ, eum ab errore reuocare, legeſque impias abrogare quod ſi effeceris, tibi velim perſuadeas, dignitatem, Imperium, reſque tuas omnes Deo Optimo Maximo curæ futuras. Vale.

ESCHINES SENATVI. POP.QVE Athenienſi.

EGO *ad remp. acceſſi* XXXII. *ætatis anno,* *non*

non per Iouem, ex ſcena, vt aiebat Demoſthenes, ſed & liberè ſcribere edoctus & ſtudijs bonarum artium mediocriter eruditus, atque ita in dicendo verſatus, vt me Athenis loqui deceret. neque hanc dicendi facultatem ad alicuius calumniam meditatus fuiſſe, aut, vt alicui ex ciuibus negocium faceſſerem, deprehenderer pecunia corruptus, ſeu contumeliam remiſiſſe, prorſusve contumelioſè tractatus fuiſſe; neque cauſam præſtiti, vt contemptui haberer, nec ciuium quemquam in iudicium traxi, præter vnum Timarchum, minuſque id prædico in conſpectu veſtro, quòd cùm grandem admodum pecuniarum ſummam capere potuiſſem, eas accipere noluerim; ſed quoad per leges licuit, pœnas ſumpſerim. Præterea Cteſiphontem rurſus cùm multa ab eo, multa ab Demoſthene paſſus eſſem, illicitæ rogationis detuli, æquiſſima alioqum per Deos accuſatione. Sed ne admirandum quidem eſt, ſi ſuperior quàm leges veſtræ & orationes meæ fuerit eloquẽtia à Demoſthenis: viſum autem fortè eſt ex ijs de quibus ante, Demoſthene delatus fui, longe quippe ijs maioribus propter quæ in præſentia ſuccubui. illud non paruum apud vos argumentum bene per me adminiſtratæ reipublicæ, quòd Demoſthene accuſante condemnatus non fuerim. Poſt hanc verò calamitatem id vel ſummæ apparuit vniuerſæ gratiæ, ne dum vobis, qui nam, vt reor, ipſe fuerim. Quis enim non nouit, quòd homines defuncti ſicut, & exules ab eorum patria eo

vel

vel maximè tempore mortis ſcilicet,& exilij, quibus fuerint moribus apparent, & quæ ipſi prius celauerant, illis è medio ſublatis palàm conſpici. multò enim magis ab eorum inimicis vellicantur, dum illis reſiſtere nequeunt. qui uerò ob huiuſmodi cauſa exulant, quòd hoſtibus ſemper adhæſerint, manifeſtos prorſus faciunt ſuos mores, & quas aperto ſententias in reipublica adminiſtranda ſecuti fuerint. Nam & qua de re calamitatē acceperint, & quo ſint animo erga ſuam patriam, non diſſimulanter diſquiruntur: Nunquid quòd Philippo patriam meam tradiderim, & ita legationem fuerim ementitus aduerſus remp. ut Macedonibus obſequerer? poſteaquàm à vobis è veſtigio exul receſſi ad Alexandrum me contuli, eorum, quæ illi præſtiteram gratiam reportaturus, & conſultationis præmium ab eo accepturus. neque enim fieri poteſt, vt non videā Demadem in Boetia diuerſoria habentem, & xx. iugera terræ arantem, aureasque fialas tenentem: Hegemonem verò & Callimedontem hunc quidem in Palla, illum vero in Berrhea, & muneribus pariter condonatos, & honeſtiſſimis nuptijs condecoratos. Attamen neque ad Thebanos, neque in Theſſaliam à vobis profectus fui, neque ad alium quemquam, apud quos me oporteret patriam maledictis violare, aut eam ab alijs violari audire. Verùm Rhodum appuli, ad hominum ſanè vrbem, neque vobis per Iouem infenſorum, neque qui alioquin odio habeant, qui neque

pro-

prope patriam ſuam remanent: his potius mihi ſimiles eſſe videntur, qui pœnam illudunt, quam quod Ciuitatem reuereantur. Quapropter mihi neceſſe fuit, vel quam longiſſimè ab ea proficiſci, ne quicquid eiuſmodi & cogitationis ob oculos verſaretur, quod mentem meam turbare poſſet, atque ne hìc quidem Rhodi ſcilicet manſiſſe viderer, paruum quoddam oppidum Amnum Stereæ delegi, vbi cùm iugera duobus talentis emiſſem, tot quippe, quot eum qui pecunia corruptus ad Philippum primùm, deinde poſteriori loco ad Alexandrum defecerat decebat: quique Phocenſes, ac Græciæ libertatem Macedonibus tradiderit. Hìc vitam dego cum famulis VII. & duobus vel ſolis domeſticis, ac matre, quæ iam tertium ac ſeptuageſimum annum cùm attingat, mecum nauigauit, vt ærumnæ mihi à vobis inflictæ particeps eſſet, vnà quoque cum vxore, quæ mecum profecta fuit, quamuis pater eam prohibuiſſet, ac leges forte cogerent manere, dùm mores potius quàm ciuitatis leges edocta eſſet; tribus inſuper cum filijs, qui ſuam nondum miſeriam ſentiunt, nec, quam eis cum geniti ſunt, patriam Deus dederit, Athenarum quippe ciuitatem, qua ne rurſus, vbi nati fuere, ab vrbe eiecti ſunt: alij enim (vt videre licet) eorum liberos ſiue in Beotia, aut in Aetolia genitos ad vos mittunt, vt ibi erudiantur. Quibus verò datum eſt, vt natura iſta ſint comparata, quique non è nouo patre nati exiſtant, turpi ne de cauſa damnato exu

lant

lant adhuc infantes, & tenuiter aluntur in ſolitudine, exilioque paterno. Demoſthenes enim vobis literas ſcripſit de filijs Lycurgi, vosque humaniter eſt deprecatus, illud petendo, vt paternam culpam illi condonaretis. Vos nihil aliud quàm quod moris eſt Athenienſium, agendo, eorum miſerti eſtis, ipſisque rem gratam feciſtis. Etenim facilè iraſci conſueuiſtis, rurſusque mitigari. ego pro filijs meis non adducar, vt vos rogem, ne mihi ſolùm in orbitate alantur; ſed ne orbi ſimul & exules ſint, cùm neque cuiquã iniuriam intulerint, vel aliqua alia de re damnati fuerint, quæ tamen damnati luunt omnia fuerint perpeſſi. Deinde me tandem ad memoriam veſtram reuocetis, & ijs precibus meis obtemperare velitis mutata rurſus voluntate veſtra. Verùm enim Athenienſes agite, & amplectimini quod apud vos ipſos in more eſt poſitum, & in modeſtia veſtra perſeuerate. Neque enim à moribus veſtris recedetis, ciuitatiſue exiſtimationem contemnetis, quę probè & humaniter agendo multò magis floruit, quàm reliquæ aliæ ciuitates, neque Melanopus plus potuerit vos prohibendo, ne probitate aut vrbanitate veſtra vtamini, quàm adhortando non quidem Æſchines, (neque enim ad rem illam per Deos idoneus eſt) neque certè aptus ſum, vt patriæ meæ hoc perſuadeam, præſertim cùm id in gratiam meam agere viderer, ſed ciuitatis conſuetudo, antiquum nomen veſtrum, ac mos maiorum veſtrorum, cui

æquius

[..]quius ſanè eſt quam Melanopo, qui aduerſus vos deprecatur, vt non animum adhibeatis.

MAVRITIVS IMPER. GREGORIO Romano Pont.

SERO tandem animaduerti me à recta viuendi ratione ad deteriora prolapſum. nam & tam multa portenta Deum Opt. Maximum mihi infenſum ſignificant, vt dies & noctes pernitiem clademq́ue mihi inſtare planè videam. Sed quando vnus is tantùm pœnitentiæ locus ſupereſt, oro te reliquoſque viros Deo addictos & charos, vt irata mihi numina precibus veſtris mitiora efficiatis, meq́ue ad ſinum matris Eccleſiæ redeuntem excipiatis. Confido enim fore, ſi me amicè & more maiorum complecti velitis, mecum præclarius actum iri ac futurum, vt quæ incommoda Romana vrbs, ipſaque Eccleſia per nos paſſa eſt, multis maximis officijs aucta inſtaurari, excitari, cumularique poſſit. Vale. Conſtantinopoli.

HERACLIVS IMP. CONSTANTINO FILIO IMP.

QVAMPRIMVM mihi nunciatum eſt, Perſas vnà cum Coſdroa Rege Azoti ſe continere eò cum legionibus contendi: qui copiarum noſtrarum aduentum ſentiens in Perſidem fugit, exuſtis primùm ſegetibus, quæ tum flaueſcebant. Is Sarabacum, &

Sarabaſſem, Duces impigros reliquit, qui noſtrorum impetum ſuſtinerent, quo cognito magnis itineribus ſuperato Tauro monte, Sarabacum, qui Saron amnem occuparat, fugaui: Saym deinde cum maioribus copijs obuiam habui, cum quo prælio totam diem varia fortuna dimicaui, ac demum victor euaſi. Ad hæc Razatenem cum omnibus Perſarum viribus oppugnaui, viginti ſeptem ſigna militaria abſtuli, ducemque ipſum interemi. Hęc te certiorem feci, tùm vt ſcires tibi cum imperio multam gloriam comparari, tùm etiam vt honeſtas pacis conditiones hoſti negandas nunquam putes.

HERACLIVS IMPER. SEVERINO PONT. ROM.

MAXIMA *Moleſtia me affecerunt literæ tuæ, quibus Iſatium exarchum noſtrum accuſabas, quòd Lateranenſe templum expoliauerit, prædam Rauennam detulerit, mihique optimam ſpoliorum partem etiam adiudicauerit. Ego ſane, vt Imperatorem Chriſtianum decebat, virum ſacrilegum odi, Deosque obteſtator, me nihil planè rerum ſacrarum aut cepiſſe, aut capi voluiſſe, daturumque operam, vt Iſatium ſceleris ſui pœniteat: quandoquidem nihil eſt, quod animum meum magis quàm res ſacra moueat. Vix credas, quàm acerbus mihi nuncius fuerit Maumetis nuper inuecta religio, qua affecti Saraceni, qui mihi ex Arabia militabant,*

litabant, in Syriam ſecceſſere, Fenicem, Syriam, Aegyptumque occupauere. Arabes enim omnes Maumeti legem ſuſceperunt, Perſarumque regnum opulentiſſimum cæſo rege Arſmiſda inuaſerunt, eoque periculi ventum eſt, vt tantis viribus nullus exercitus occurrere tutò poſſit. Quare abs te etiam atque etiam peto, vt rem Chriſtianam multis pijs precibus Deo commendes, meque tibi deuinctiſſimum putes. Vale. Conſtantinopoli.

IACOBVS STVARDVS SCOTIÆ REX, Henrico Angliæ Regi.

NVLLIS literis enarrare poſſem, quàm multa in contumeliam Scotici nominis iampridem egeris, eaque pro iure affinitatis ac fœderis forti animo ſemper tuli, cum grauiſſima damna finitimis Scotis, vt conſtitutum fuerat, minimè reſarcieris, cùm in percuſſores Bartonis piratæ Scoti non animaduerteris, & Spurium Neronem, qui præfectum finium Scotiæ interfecerat, impunè agere in Anglia paſſus fueris, legatos noſtros contra ius gentium non admiſiſti, oratorem vxoris inuitò retentum non dimiſiſti, complures nobiles Scotos in Scotia captos vinctosque crudeliter etiam tunc in cuſtodia habes: Ea omnia, quanquàm per ſe magna, & intolerabilia, diſſimulare tamen potui. Scias tamen me non paſſurum vlterius Ludouicum amicum regem cognatione, & fœdere mihi

pridem, vt vetera, & vana literis, & legationibus dilui. cæterum impudentiſſimè agere videris, quòd nihil earum rerum antequam mare traijcerem commemoraſti. Veruntamen ſcias apud me etiam abſentem non eſſe tantæ exiſtimationis Scotorum Regem, vt eius repentina atque inſperata perfidia terreri poſſim. agas modò, vt lubet; ego verò nulla denunciatione periculi deſtiturus ſum à fœlici incæpto, neque iniuriam animo depoſiturus. Tu interea, quæ deceant regem nobilem imprimis cogita. Vale Ad Teroanam in Caſtris.

CONSTANTINVS IMP. BENEDICTO II. Romano Pont.

CVM *vſu receptum fuiſſet, vt nullus Romanus Pont. ritè electus diceretur, niſi id nobis, vel exarcho noſtro ratum firmumque haberetur: nos animaduertentes id minus piè, ac commodè fieri conſueuiſſe, nihilque exinde religioni ſacriſque rebus emolumenti naſci; placuit nobis, vt deinceps quem ſacerdotes exercitusque Romanus in Pont. delegerint, eundē ſtatim verum Chriſti vicarium, nulla expectata nominis noſtri authoritate iudicari. Tu verò beatiſſime pater, quæ ad amplitudinem Chriſtianæ reipub. pertinent ita geras, vt euerſis hominum moribus cura diligentiaque tua ſuccurratur Vale. Conſtantinopoli.*

CARDINALIS ARAÇOELI, DVCI Venetiarum.

CVM me omnibus ſummis,ac Principibus viris, quicumque mea hac in Cardinaliũ cooptatione mihi gratulati ſunt, haud mediocriter obligatum eſſe intelligo, tum vobis ſingularia quedam atque eximia ſtudia deberi confiteor. Ita enim amanter ad me ſcripſiſtis, atque eam animi lætitiam ob meum ſummum honorem literis veſtris declaraſtis, eamque mihi voluntatis ſignificationem demonſtraſtis, vt mirarer in tanta rerum copia ac potentia tamque florẽti fortuna veſtra tantam humanitatem eſſe coniunctam. Indicia verò, quæ de me ita præclarè facitis, & ſi illud mihi expectationis onus imponunt, quod nullo modo poſſim ſuſtinere, tamen ipſa quoque non mihi non iucundiſſima eſſe potuerunt. Quid enim tam amplum mihi, aut honorificum eſſe poſſit, q̃ à ſanctiſſimo & ſapientiſſimo Senatu, cuius prudentia in tantis Italiæ & Chriſtiani orbis tenebris quaſi clariſſimum lumen aliquod eluceat probari? Quare cum Summi Pont. erga me meritis diuinum quendam propè cultum debeam, vos in ſtudio ac obſeruantia mea perpetuò proximos habeo, omneſque res (ſi quæ ad me delatæ erunt) quas pertinere intelligam ad dignitatem atque amplitudinem preclaræ iſtius reipublicæ veſtræ, in qua ſummus ſplendor ac tutela Italici

nominis imprimis ſemper fuit conſtituta, omni mea cura, diligentia, opera, ſtudio denique omni meo ita complectar, vt vos tantam veſtrę voluntatis propenſionem non omnino malè neque ad ingratum hominem poſuiſſe exiſtimetis: id quod pluribus verbis clariſs. viro legato ueſtro demōſtraui, qui literarum ueſtrarum humanitatem mirificè ſua lenitate eſt proſequutus. Datum Romæ. VI. *Idus Aprilis.* 1557.

DAMIANVS EPISCOPVS TICINENSIS, Archiepiſ. Mediolanenſis nomine, Patribus ad. VI. Synodum Conſtantiñ.

NVNQVAM *mihi probati ſunt quicumque vnicam eſſe in Chriſto Deo volũtatem aſſeruerunt. Nam ea eſt vera Dei & hominis fides, vt duæ credantur in eo Deo voluntates, duæ operationes. Ego (inquit quò ad diuinitatem) & pater vnum ſumus, quantum verò ad humanitatem pertinet: Pater maior me eſt. Præterea verò quò ad humanitatem, eum in naui dormientem cernitis; ſi diuinitatem inſpiciatis, ventis, & mari imptera. Malè igitur ſentit quicumque ab hoc pio dogmate recedit. Hæc eo ſcripſi potiùs, vt apud vos teſtatum relinquerim, quid ſentirem, quàm quòd de ſanctiſſimorum doctiſſimorumque Patrum ſententia minùs conſiderem. Sed hæc eadem melius coram egiſſem, ſi mihi per aduerſam valetudinem licuiſ-*

 ſet.

ſet. Valete. Deus Optimus Maximus vobis adſit. Mediolani.

IOANNES .VI. ROM. PONT. GISVLPHO, Beneuentano Duci.

PROXIMIS *ferè diebus Romani exercitus ac Exarchi diſsidijs fretus Campaniam inuaſiſti, Sboram, & Arpinum occupaſti, villas incendiſti, ruſticos & pecora abegiſti. Quæ quamprimum intelleximus, tanta admiratione affecti ſumus, vt etiam dubitauerimus nunquid tantum cladis à Chriſtiano Principe in Chriſtianos innocentiſſimos vel potius in ipſam Romanam Eccleſiam excogitari potuiſſet.* His *adducti ſumus, vt ad te legatos cum literis miteremus, deq; omnibus certiorem faceremus; mandantes tibi, vt quamprimum omiſſis Campaniæ & Hernicorum oppidis in Sannium redires. Quod ſi ſecus feceri s, iuſſaque noſtra aſpernatus fueris, ſcias breui futurum, vt Deo optimo maximo (cuius res agitur) pro illata ſibi iniuria pœnas des. Vale. Romæ.*

BEDA SACERDOS, CAROLO MARCELLO Galliarum Regi, ac cæteris Regulis.

DVM *bellum geritur inter Chriſtianos acerrimum, tota Europa primùm euerſa eſt, Saraceni, occupata Lybia atque Aphrica ex Septa ſoluentes, omnes*

omnes Hiſpanias pręter Aſtures, & Cantabros occupauere. Aphrica igitur, quæ à Belliſario egregio Duce recepta de hoſtibus fuerat, centũ & ſeptuaginta annis Romano Imperio paruit, ea demum à Saracenis cum Bethica Hiſpaniæ nunc capta, eorum moribus & legibus cum maxima Chriſtiani nominis ignominia, obtemperat, quid egregius, quid præſtantius fieri aut excogitari potuit, quàm aduerſus Dei hoſtes arma capeſcere? quid. meruere Sueui, quid Germani homines, quid reliqui Chriſtiani nominis viri quos tot cladibus affeciſtis? Adſunt propè, imminent ceruicibus Saraceni, qui vniuerſo terrarum orbi iugum minitantur, hìc regna pulcherrima opulentiſſimæ vrbes opima ſpolia præmia victoriæ vos morantur; ſed imprimis incomparabilis gloria, ac merces penes Chriſtum ſaluatorem noſtrum, qui ad hoc facinus pium multis occultis apertiſque acclamationibus vos hortatur ac impellit. Valete.

ARITPETRVS LONGOBARDORVM REX. Ioanni VII. Rom. Pont.

MVLTIS *Maximiſque rationibus tandem in eam ſententiam deueni, vt nihil nobis maiori ſtudio enitendum ſit, quàm diuino cultui vacare, animique noſtri aliquando ex ijs vinculis exituri aliquam rationem habere. Quòd cum mihi ſatis conſtitutum ſit, vt obſequij etiam mei erga Roma*

nam Eccleſiam pignus aliquod habeatis ex hoc noſtro latiſſimo decreto eidem Romanæ Eccleſiæ liberaliter Alpes Cottias, in quibus & Genua eſt, donamus, ita vt in bonis beati Petri ipſæ alpes à Taurinis montibus vſque ad Lyguſticum mare cenſeantur, quod eò libentius fecimus, quòd de Romanorum Pont. pietate, iuſtitia innocentiaque nobis maxima polliceri ſoleamus: hoc quòd noſtri animi decretum a quibuſcumque noſtri Regni ſucceſſoribus ratum firmumque haberi imprimis volumus. Tu autem. Sanctiſsime pater, Deo Optimo Maximo pijs precibus me pluribus commendes. Vale. Papiæ.

ANASTASIVS, QVI, & ARTHEMIVS Imper. Conſtantiñ. Romano Pont.

CVM *Philippicus malè de Eccleſia ſentiret, ac vnà cum Ioanne Monacho vrbem Conſtantinopolim ad pernicioſam doctrinam concitaſſet, ad hæc multis maximisq; incommodis me affeciſſet, & arreptis armis, deorum immortalium præſidio fretus illum fregi, fugaui, ac imperio deieci. Tamen pacatis Imperij rebus, nihil antiquius duxi quàm te quàmprimum de omnibus certiorem facere, meæque erga Romanam Eccleſiam propenſæ voluntatis aliquid literis teſtandum relinqui. id itaq; tibi velim perſuadeas, nullum vnquam maiorum noſtrorum ſextæ Synodi defenſorem me acriorem extitiſſe,*

extitiſſe, nullumq́ue cui ritus ceremoniæq́ue omnes Romanæ Eccleſiæ probatæ magis fuerint. Adde etiam, quòd me tibi deuinctiſſimum multis maximis officijs profitear. pro quibus omnia mea ſtudia, curam, dilegentiamq́ue pro tuendis Romanis rebus, dignitateq́ue tua polliceor, ac deuoueo. Vale, meq́ue amas.

CAROLVS MARTELLVS EVDONÆ Aquitaniæ Duci.

NVLLVS *eſt qui neſciat quantis periculis rei Chriſtianæ Saraceni Hiſpaniam inuaſiſſent, in Galliamq́ue euocatis eſſent. Quod cùm nulla ratione ferendum cenſuiſſem, comparato exercitu, prope Turonem eorum copias profligaui. tanta autem hoſtium cædes facta eſt, vt trecenta ſexaginta millia hominum cæſa ſint, ex noſtris verò mille tantum deſiderati fuerint. Quæ cùm ita ſint, erunt partes tuæ rem Chriſtianam, Gallicamq́ue gloriam quàm maximè poteris tueri, deleréque illam labem, quam eorum aduentu contraxiſti. Ferunt enim Saracenos nuper abs te in Galliam euocatos: quòd ſi paribus auſpicijs gloriæ Gallici nominis ſtudueris, exinde tantum ornamenti ac dignitatis tibi comparabis, quantum dedecoris ex hac graui ſuſpitione contraxiſti. Illud te demum hortor ac moneo, vt habita dignitatis tuæ ratione, malis me amicum, quàm hoſtem experiri. Vale.*

GREGORIVS. II. ROM. PONT. Leoni III. Impe.

SAEPENVMERO *per legatos ac literas te monui ac hortatus ſum, vt aliquando reſpiceres atq; à comburendis imaginibus abſtineres. Sed tantum abeſt, vt monitis noſtris obtemperaueris, vt etiam innumerabiles viros ac innocentiſſimos vltimo ſupplicio affeceris, quòd Romanæ Eccleſiæ ritus & ſacras Sanctorum imagines venerarentur. Quo autem animi mærore hæc exceperimus, tibi nunquam ſatis pro dignitate enarrare poſſem, cum dolore ac ægritudine animi id minimè conati queã. Illud tamen adhuc te monitum velim, ut ſi nulla alia ratio ad ferendas Diuorum imagines te ſuadet; ſaltem id meminiſſe velis illorum memoria ac pia recordatione homines ad virtutem imitationemque excitari, quæ in quibuſdam minus eruditis hominum tantum virium habent, vt plurimi ad benè beateque viuendum ijs exemplis adducti inflammatique fuerint. At ego non vereor, ne te aliquando conſilij tui pœniteat, ſi puram ſimplicemq; Chriſti ſapientiam indueres, idque cogites quod ſæpenumero vſuuenire ſolet, quicunque conſilijs doctrinaque ſua nitantur, in profundiſſima errorum proni præcipitesque aguntur. Reſipiſcas tandem Auguſte. Hoc te tota Italia rogat, hoc maxima rerum Roma. hoc deniq; totus terrarum orbis,*

qui

qui ſub Imperatore minus rectè ſentiente, ſalutis aleam iacit. Quid præterea dicam, prorſus neſcio. Ipſe Deus Optimus Maximus, qui nouit occulta cordium, te tandem ad veram pietatem ab impio & nefario dogmate auertat. Vale.

GREG. III. ROM. PONT. CAROLO Galliæ Regi.

NVLLIS *rationibus adduci potuit Leo Imperator, vt ab impietate ad ſanam doctrinam auocaretur, licèt literarum multarum officijs ac nuncijs ſæpenumero excitus fuerit: ex quo factum eſt, vt vno omnium conſenſu Imperio & fidelium communione priuaretur. Id autem quamprimùm reſciuit Luitprandus Longobardorum Rex, augendi regni cupiditate ductus, vrbem Romanam obſedere cœpit; oppida, quæ vrbi parebant, inuaſit: ac propediem Italicis Imperij ſceptris potiturus, niſi quis obſiſtat, videtur. Nihil eſt, quòd à Leone Romanæ Eccleſiæ hoſte infenſiſſimo diuq; ac grauiter à Saracenis obſeſſo auxilia expectemus. Supereſt igitur, vt copiarum tuarum virtute obſidionem noſtram ſolui ſperemus. Nam & rerum geſtarum gloria maxime præſtas, & de Chriſtiana republica bene meritus: tanta etiam cum Luitprando tibi neceſſitudo intercedit, vt nullo labore, vnicoque nuncio ab hac præclariſſima Vrbe cladem omnem auertere poſſis. Quod vt facias, te etiam atque*

etiam

etiam rogamus, pollicemurque tantum te glorię tibi adepturũ, quãtum Romana vrbs, Eccleſiaq; Sacroſancta ampliſsima omnia anteceſsit. ad hęc & præmia nunquã interitura expectare debes. Vale.

HYSMAEL SOPHI, VENETIS

ARBITROR *vos meminiſſe fœderis, quod iampridẽ per legatos veſtros in Armenia cũ Vſſumcaſſarc materno auo percuſſiſtis. Quod cùm mihi etiã plurimùm probetur, ut paribus auſpicĳs bellum cum Othomanis geratur; peto à vobis pro amicitia noſtra, vt artifices qui ænea tormenta conflent ab Italia nobis per Syriam mittatis, & claſſem in Gręciam, atque Aſiam aduerſum Baiazetem decernatis: ego uerò terreſtribus copĳs minorem Aſiam primo quoque tempore inuadam; daboque operam, ut claſſe ueſtra oppida, quæ in ora Græciæ ſuperiore bello amiſiſtis, recipiatis. Volo autem vos mihi chariſsimos eſſe iudicare, dignitatem, amplitudinem ueſtram tantę mihi curæ eſſe, quantę à legatis meis facilè intelligetis, quorum uerbis & pollicitationibus plenam indubitatamq; fidem uos adhiberem uelim. Valete.*

LEONARDVS LAVREDANVS DVX, Hyſmaeli Sophi, Perſarum. Regi.

GRATISSIMAE *nobis fuerunt literæ tuæ, hilariq;*

hilariq; vultu legatos tuos viros optimos excepimus, tanti enim amicitiam tuam facimus, quanti iure optimo fieri debet. Neque veteris amicitiæ ac fœderis, quę nobis cũ Perſarũ regibus extitit obliti ſumus, grataque ſemper apud nos futura eſt eius rei memoria: at ſummopere lætamur, te nouum Perſarum Regem, Turcarum hoſtem eſſe, quòdq; tibi curæ ſit nobiſcum belli cauſam communicare atque ea polliceri, quæ ſi Vſſuncaſſanes, Iacuppuſque filius præſtitiſſent, nequaquam nobis cum Othomanis bellum gerendum foret. Cæterùm illę ſunt rerum vices, vt ſicut Perſarum Reges domi ea tempeſtate ocioſi, occupato in Europa Baiazete, nihil ſibi mouendum exiſtimauerint: ita nos in deteriore & per iniqua temporum conditione, quod volumus ac maximè optamus præſtare non poſſimus, quod pacem quinquennio cum Baiazete factam minimè violandam exiſtimamus, & implicamur autẽ grauiſſimo bello, quod feroces Europæ gentes coniuratione facta & Maximi Reges nullis laceſſiti iniurijs, ſed ſola concitati Venetæ fœlicitatis inuidia, nuper intulerint. Speramus tamen ſtaturos à iuſtiori cauſa Deos immortales, & rempublicam quàm vlla vis per ſeptingentos amplius annos non fregit, ab immanitate tot hoſtium ſeruaturos. Proinde tibi velim perſuadeas, nos quum per occaſionem licebit, operam daturos, vt intelligas nihil nobis Perſarum amicitia antiquius eſſe, aut ſpecioſius quicquam

futurum

futurum, quàm Turcas Chriſtiani nominis hoſtes, quibus ipſe inſenſus ſemper fuiſti, multis conſilijs, aut paribus animis oppugnare poſſimus. Sed hæc omnia & plura coram per legatos tuos intelliges. Vale. Venetijs.

ZACHARIAS ROM. PONT.
Proceribus Francorum.

PETIISTIS *à nobis quid potiſſimum decernendum foret, cùm Childericus Rex veſter minus aptus ad tanti Regni onera videatur, Pipinus autem tum rei militaris ſcientia, magnitudineque animi, tum etiam omni rerum vſu excellat, vnusque gerendo orbi par eſſe poſsit. In hac ancipiti cura, & ſi Theodorico vita functo Childericum germanum illius ſucceſſorem regni datum intelligam, verumtamen magnitudo rei, curaque gerendi opulentiſsimi Imperij, belli pacisque munera ampliſsima obire, in eam me ſententiam vocant, vt planè eum, qui melius regia munera impleat, regno præficiendum ac in regem vngendũ putem. verùm ſi Childericus ad diuina religionis ſtudia, pacatæque vitæ mores pronior videatur, illum quamprimum Sacris initiandum militiæque noſtræ adſcribendum cenſeo. Vale.*

BAIA-

BAIAZETES TVRCARVM IMP. Selymo. filio.

MIROR te in Europam ante ſedatum Zechellis & Perſarum bellum tranſiſſe: quòdq́; priuato conſilio aduerſus pugnaciſſimam Hungarorum gentem difficile bellum inieris. Meminiſſe autem debebas quanto cum periculo nos ſuperioribus temporibus ea bella geſſerimus; Mahometisque aui exemplo commoueri debebas, qui infeliciter Pannoniorum arma ſæpe expertus eſt. Proinde commodiorem rerum occaſionem operiri optimum fuerit, vt maturiore ideoque tutiore conſilio & maioribus viribus id bellum conficere, & certa cum ſpe victoriæ gerere poſſis, pecuniam, tela, comeatus, veſteſque tibi afferi mandauimus, vt quibuscumque rerum euentibus omnia vſui neceſſaria tibi exercituique preſto eſſent. Multa coram per legatos noſtros intelliges.

SELYMVS OTHOMANVS BAIAZETI. Patri. S. D

NIHIL eſt quòd tantopere miretis me ex Aſia properè deceßiſſe, cùm Achomatis iniurijs excitato contumelijsque affecto in Europam tranſeundum mihi fuerit, quærenda mihi erat amplior prefectura, pro anguſta, ſterili, ſpectanteque ad Hi-

beros, & Colchos inter ſaxa montium. Quòd autem Hungaros tanquã inſuperabiles bello minimè laceſſendos dicis; velim putes me nõ eſſe eius animi, vt vllis periculis, aut difficultatibus deterrear, quando illa antiqua iam mutata ſunt mutatis regibus, & non labante modò, ſed ferè euerſa gentis vetere diſciplina. Vladiſlaus diſpar ingenio virtuteque Matthiæ fortiſſimo ſucceſſit; nec mortem, aut belli communes caſus ab ineunte ætate timere didici. forti enim animo, & honeſta quidem petenti audẽtique, neque Deos, neque homines defuturos credam: decreui pro tuenda dignitate mea, quam tu nimia fratrum potentia confregiſti, aut in acie non indecoram mortem oppetere, aut propagare Imperij fines, ne omnino poſtremo loco natus in Othomanica domo, poſtremus quoque virtute & gloria videar. Quod autem ad munera ampliſſima pertinet, ago tibi gratias quàm maiores poſſum. Vale.

GREGORIO. III. ROM. PONTI. Conſtañ Imper.

MAXIMO *ſtudio curaque operam dedi, vt pacata omnia Italiæ loca tuerer. quod vt mihi ex ſententia eueniret, Haiſtulphum Longobardorum regem largitionibus, & quacunque ratione potui ad pacem quadraginta annorum excitaui. Sed & hac inita & mox violata rex impius diuina humanaque omnia permiſcuit; nam & ſingulis Pop. Romani,*

Romani, cæteriſque hominum ſingulos aureos nummos in capite collatos ſibi tributum pendere decreuit, vniuerſa hoſtiliter inuaſit, Rauennam, & alias vrbes, quæ intactæ fuerant vi cepit, tantoſq; ſpiritus gerit, vt animi magnitudine Imperium totius Italiæ concipiat. qui niſi, virtute tua, copiarumque tuarum robore cohibeatur ac frangatur, nihil eſt cur omnia grauiſſima a victore hoſte non timeamus. Quare abs te peto maiorem in modum, vt Imperij gloriam, Eccleſiæ dignitatem quam maxime tueri velis: hoc Deo, hoc hominibus gratius facere nihil potes.

SELYMVS OTHOMANVS, BAIAZETI Patri Impe.

CVM *ad remotiſſima loca procul abfuiſſem, pietateque ſumma complexum tuum maximè exoptem, antequam Trapezuntem petam, te inuiſere mihi gratiſſimum fuerit, eòque magis, quòd exacta & præcipiti ætate facie futurum ſit, vt nunquam fortè te videam: pertinet etiam ad quietem Aſiæ, mutuamque fratrum concordiam, ſi apud te patrem communem arbitrum & diſceptatorem proponantur controuerſiæ, quæ mihi cum Acomate intercedunt, nec tutò ſeruorum fidei committi poſſunt, tu pro tua prudentia diem locumque colloquio ſtatues, nec graue duxeris me ſaltem tibi manus exoſculari, quod tenuibus & vilioribus amicis, ne-*

dum liberis maiores tribuere conſueuerunt, hoc vt mihi condones te etiam atque etiam rogo Vale. In Caſtris ad Andronopolim.

Baiazetes Tvrcarvm Imperator Selymo filio.

Non *poſſum non magnopere audaciam tuam reprehẽdere, quòd alienam prouinciam introductis copijs occupaueris, quòd armatus colloquium poſtulaueris, denique quòd humanitate noſtra ac patientia tam inſolenter abuſus fueris. Non eſt quicquam pacis, concordiæue expectandum ab eo, qui externo equitatu circundatus in iuſſu patris bellum moliatur, & fideliſſimas Othomanico nomini gentes effuſè populetur. Proinde ſcias te rectè factum, ſi Thracia, Europaque exceſſeris, & dimiſſo exercitu in Pontum prouinciam tuam reuertaris. Id ſi feceris, aliquo tibi vſui eſſe poterit, ſin in incepto perſtiteris, velim tibi perſuadeas te non mihi filium, ſed hoſtem futurum, nec defuturas qui tantam audaciam ſummæ proximam perfidiæ ſtatim vlciſcantur.*

GREGORIVS III. ROM. PONT. Pipino Francorum Regi.

Saepe *per literas nũciosq; petij ab Imperatore Conſtantino, vt Romanã urbem atq; adeò Italos*

omnes è manibus Haiſtulphi Regis vendicaret. Qui cùm Romanis omnibus necem, cruciatus, excidiumque interminari ſoleat, propediem futurum eſt, ut de omnium ſalute deſperemus. Deſunt nobis legiones domi, conſilium, pecuniæ: hoc tantum nobis ſupereſt, vt abſte Chriſtiano inuictoque Rege præſidia expectemus; cuius pietas, magnitudo animi, militariſque diſciplina ea eſt, vt facilè nobis pacem, tibi victoriam, gloriam, omniaque Imperia aliquando pareant. Ergo primo quoque tempore laboranti Vrbi, Italiæque accuras, & precibus & lachrymis abſte petimus. Vale.

PIPINVS FRANCORVM REX, GREGORIO III. Rom. Pont.

CVM *ſalus tua, Romanæque vrbis agatur, quæ non ſine ſcelere Imperatoris negligi videtur, optimum apprimeque neceſſarium viſum eſt, vt dum militum delectus habetur, eaque parantur, quæ ad conficiendum bellum opportuna ſunt, iniuriæ hoſtium te ſubtrahas, ad noſque in Galliam quamprimùm contendas. Habes delectos viros quibus cum tutò ad nos accedas. Totam rem maturius coram agemus. hoc nobis facere gratius nihil potes, cognoſcaſque nullum te mihi chariorem. Vale.*

Vrbanvs. II. Rom. Pont. Alexio, Conſt. Imperatori.

Cvm *ſtatutum fuiſſet ad Clarum montē Aluerniæ, vt communibus auſpicijs bellum aduerſus Saracenos gereretur, tanta hominum multitudo cruce ſignata eſt, vt ad trecenta hominum millia cenſita fuerint. Ducum autem fortiſſimorum tantus ardor, vt de recuperanda Hieroſolyma multùm ſperare debeamus. Primus omnium Petrus Heremita innumerabilibus ſe Ducem præbuit, cui Gotfredus, Euſtachius, & Balduinus fratres Bolionij Comites ſe addiderunt, maiores etiam cōpias parauerint. Hinc Podienſis Epiſcopus belli Dux, & Raimundus Sancti Egidij Comes, inde Vgo magnus, Philippi Francorum Regis frater, & Robertus Nortmaniæ, ac alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Corneli Comites. Quid dicam de Boemundo ipſo, qui ingenti animi magnitudine ijs ſe Comitem adiunxit cum.* VII. *millibus delectæ iuuentutis Italicæ, relicta fratri rerum omnium cura, quo cum diu bello contenderat? ad hos belli maximos apparatus vnum illud eſt imprimis neceſſarium, vt tuo præſidio comeatuque tantæ copiæ iuuentur. Quare abs te peto maiorem in modum, vt quibuſcunque rebus poteris iuſtiſſimo bello glorioſoque faueas. illud autem, tametſi non dubitem abs te curatum iri, volui tamen te per*

literas

literas noſtras ſcire id mihi & vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ iucundiſſimum fore. Vale. Romæ.

BOEMVNDVS ROGERIO Nortmano fratri.

POSTEAQVAM *Nicæam vrbem per deditionem accepimus, copiæ commeatus inopia in duo diuiſæ ſunt: erat inde nobis iter per inculta, & deſerta loca. Demum cùm ad flumen quoddam deueniſſemus, opportunitate loci aquari & inſtaurari exercitus cœpit. Vix datum fuerat momentum temporis quieti, cùm Saraceni vnà cum Solymano principe innumerabilibus copijs caſtra inuadunt. pugnatum eſt aliquantiſper noſtro aliquo incommodo, cùm Gotfredus, & Vgo Bolonij fratres quadraginta millibus equitum opem tulerunt. magna cædes edita eſt hoſtium : videre erant ſtrues & montes Saracenorum, qui maxima ex parte deleti ſunt: fuere in caſtris hoſtium Medi, Syri, Caldęi, Turcæ, Saraceni, Arabes, quorum ſpiritus compreſſi ſunt. Nos hac ſatis inſigni victoria futurum ſperamus, vt Chriſtianorum armis omnia cedant. Tancredus filius plurimam tibi ſalutem dicit. In caſtris.*

FABRITIVS CARRECTVS, RHODI Magiſter, Leoni X. Pont. Maximo.

SCRIPSERAM *iampridem B. veſtræ de apparatu Turcarũ aduerſus Perſas: proximis aũt diebus per certiſſimos nuncios nobis nunciatum eſt, Iſmaelem Sophi Perſarũ, & Selymum Turcarum Reges in Calderanis Armeniæ campis ad Araxem fluuium prælio decertaſſe. Turcarum copiæ ad centum quinquaginta millia hominum in acie erant, Perſarum ad triginta tantum millia æquitum, quos inter decem millia cataphracti inerant ſpectatæ virtutis milites. Tanta contentione vtrinque animorum pugnatum eſt, vt poſt hominum memoriam maior decertatum nunquam fuerit: quo prælio Selimus ſupra triginta hominum millia in queis præter Caſſembaſſam Græcię Bellebechum, Septem Sanzachos, innumerabilesque Duces amiſit. De Perſarum cæde nihil eſt, quod verè dicere poſſimus præter illud, Iſmaelem primum prælio exceßiſſe, vrbemque nobilißimam Tauriſium deditionem feciſſe. At Perſæ aucto inſtauratoque exercitu, accitis Iberorum, Albanorum, ac Parthorũ copijs, maxima celeritate Turcas ijs locis decedentes, inſecuti ſunt, extremumque agmen ad Eufratem tormentaque aliquot intercepere. preliũ geſtũ eſt anno. 1514. Septimo Calẽdas Septembris. Multa mihi de vtroque Imperatore nunciantur.*

ciantur. Imprimis aũt de Iſmaeli probitate tam multa, vt de ipſo tanquam de optimo rege loqui honorifice poßimus. Is ex prima nobilitatis claſſe liberisque hominibus militiæ robora conſcribit: apud quos temperatæ iuſtitiæ, humanæ comitatis, & popularis indulgentiæ ſtudium maxima valet, in eodem Rege mira pietas vſque adeò refulget, vt ſi qua ſint regij faſtus eius fulgore perſtringantur, ad maximarum virtutum cumulum pulcherimo naturæ munere, decora facies accedit magnanimo digna Rege, ore namq; roſeo radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Perſas regiæ ſtirpis inſigne eſt, adunco naſo, illuſtrique facundia, omnium oculos atque animos capit. In Selymo omne virtutis ornamentum inhumana crudelitas elidit & obſcurat, qui & pœna & præmio vim Imperij tuetur, ſed & aliquanto grauiore ſeueritatis, quàm beneficientiæ fama. in hoc rege triſte ſupercilium, prægrandes toruique oculi, & Scythico pallore ſuffuſa facies, rigentesque ſetę a ſuperiore labro ad ceruicem retortæ, & nigreſcens ad mentum ſubtonſa barba, ita vt naturam militarem & inexorabilis animi vim exprimunt. Iſmael aditu pariter & alloquio facilis in magna procerum frequentia epulatur in ſtadio & palæſtra cum nobilioribus honeſta atque vtile contentione corpus exercet, multasque ex Regulorum ſuorum virginibus vxores ducit: quas ſi fœcundæ ſint, neque faſtidit, neque repudiat vetere Perſarum inſtitu-

inſtituto, qui coniuges amare, impenſius colere, in regia familiariùs habere, & ad longinqua bella ſecum trahere conſueuerunt. Alia ratione Selymus in arcano cuncta vitæ munera obit. Puerorumque imberbium, & Eunuchorum miniſterio contentus ſine conuiua diſcumbit, ac vno ferè ſimpliciſſimo cibo naturę deſideriū implet, vxores à regiæ limine procul arcet, quas tantùm prolis cauſa, nec familiari quidem vultu complectitur, quòd natura modicę libidinis etiam in mares pronior, corpus atque animum virilem fœminarum illecebris eneruari exiſtimet. Hæc quæ mihi ex Syria nunciata ſunt Sanctitati tuæ conſcribenda duxi. Si quid autem de Selymi aduentu ex Amaſea, deque armis illius tentandum fuerit, faciam te quàm diligentiſſimè certiorem. Vale. Rhodi.

ISMAEL SOPHI PERSARVM REX, Selymo Turcarum Regi.

CVM *nulli dubium eſſe poſſit, Armeniam mihi iure optimo deberi, nulliſq; tēporibus ea prouincia Othomanis Regibus ceſſerit; miror ſanè, cur hoc regnum inuaſeris. Quòd ſi fortè antiquæ virtutis æmulus imitatus Alexandrum Macedonem, tantum ſoli terrarumque iure tuum futurum exiſtimas, quantum tibi promotis armis victoria fortunaque pepererit, pares te in craſtinum diem, tuas, atque alienas vires periclitari.*

SELYMVS TVRCARVM IMPERATOR, Iſmaeli Perſarum Regi.

QVID *eſt, quòd te belli huius mirari dicas, cùm adhuc extet recentiſsima memoria, qua Mahometes, Caſſemus patruus, Baiazetes pater, ego que dum fratris Acomatis armis oppugnor, à Perſis ſumma detrimenta & inſignes contumelias accepimus; ea tamen & ſi magna & grauiſſima ſint, dignas belli cauſas nunquam iudico. Vnum tantum abſte peto, Amurathem fratris filium, hoſtem meum, & Cappadociæ prædatorem: quem ſi ex æquo, amicèque mihi tradideris, vt mutua inter nos pro tuendis firmandiſque Imperijs iura poſtularent, polliceor tibi, in meque recipio, fore, vt copias hinc abducam, in meaque regna reuertar. Si verò facere neglexeris ferro, igneque Armeniam Perſidemq; me vaſtaturum ſcias. Quod autem ad pugnam pertinent, nihil eſt, quod copijs noſtris accidere gratius poſſit, quàm viriũ vtriusque periculum quàmprimùm fieri.*

BOEMVNDVS REGERIO NORTMANO FRATRI.

QVAE *à militibus noſtris prӕclarè ad Muraſim geſta ſint, intellexiſti; verùm tamen vbi locorum nunc ſimus, quæque à nobis gerantur te certiorem facere optimum duximus. Proximis*

diebus

diebus ad vrbem Anthiochiam caſtra poſuimus, obſidionemque cœpimus. Ea vrbs omnium opulentiſſima à Caſſiano Rege detinetur, egregieque à ciuibus defenditur. Duplici muro circumdatur, interiori lateritio, exteriori quadranti lapidis, quadringenta & ſexaginta turres inſunt: colles quatuor includuntur, in quorum celſioris cacumine ad Orientem vergentis, arx natura loci adeò munita eſt, vt omnis conatus & omnia oppugnantium ingenia facilè fruſtrentur; fluminibus, fontibusque irrigua & agro fertili, vicinoque lacu diues. Recedit à mari Cilico paſſuum XII. *millibus. Farfar fluuius portum efficit ſatis amplum. Ad Septentrionem mons eſt excelſus, qui Græca ſignificatione fontium amœnitate Hero dicitur. Ad orientalē plagā campeſtris latiſſima regio, quā Fanfar prope mœnia irrigat. Hæc vrbs mille annis ſub Chriſtiano Imperio iampridem floruerat, centum quinquaginta tres Epiſcopi ſub Antiocheno patriarcha fuerunt: in ipſa autem vrbe trecenta ſexaginta ſex Eccleſiæ. quibus quanta qualisq; vrbs ſit, quantæque acceſſiones Chriſtiano nomini huius oppugnatione fient, facili pro tua prudentia iudicabis: tametſi munitiſſima videtur tanta militum noſtrorum virtus, pertinaciaque tanta eſt, vt propediem de victoria certiſſimum nuncium expectare te velim. Tanchredus filius benè valet. Vale. in caſtris ad Antiochiam* 1197. *primo Nouembris cœpta eſt obſideri Anthiochia.*

BOE-

BOEMVNDVS ROGENIO NORTMANO.

ARBITROR te, Tancredi filij literis cognouiſſe & quorundam trepidationem & prælia, quæ maxima cum gloria paulò antè geſſimus. at de inducijs, deque toto negocio confecto malo te ex meis quàm ex aliorum literis certiorem fieri. Petierat inducias Caſſeamus Rex, quibus militibus abſque vllo metu tutiſſimus in vrbem aditus erat, quouſque Vollo Gallico milite ab hoſtibus cæſo fœdera rupta fuerunt. Dum autem oppugnandæ vrbis negocium difficile ſatis videretur, Pirrhus quidem, Antiochenus, ciuis potens, mihi apprimè perpenſus de dedenda vrbe mecum ſermonem habuit: ea tamen ratione, vt penes me (cui plurimum fidebat) Imperium vrbis eſſet. egi totum negocium cum Ducibus & proceribus, facileque communi omnium conſilio mihi adiudicari vrbem obtinui. exercitus per apertam à Pirrho portam ingreſſus vrbem capit. per eos etiam dies Aret oppidum aliquo noſtro incommodo ſalutiſque periculo ob vulnus acceptum, oppugnatum eſt. Multa tibi de Tancredi filij virtute polliceor, quem tanti ipſe facio, tanti exercitus totus, quanti fortiſſimus Dux & optimus Imperator fieri ſolet. Vale.

TANCRE-

TANCREDVS NORMANVS Rogerio patri.

POST *captam Antiochiam quamprimùm Senſadolus, regis filius, cum maximis Perſarum copijs accurrit, & per arcem, quę adhuc hoſtium erat, vrbem inuaſit: pugnatum eſt in vrbe varia fortuna. Deinde legiones noſtræ in latos campos egreſſæ ſunt, ibique tanta contentione ardoreque prælium geſtum eſt, vt centum millia hoſtium cæſa fuerint, quindecim millia camelorum capta, ſpolia ditiſſima recepta, & annonæ maxima vis: eadem ipſa die arx deditionem fecit, & Boemundo tradita fuit. Hac inſigni victoria perculſi hoſtes remotiſſima loca acceſſerunt; tandem egregia militum virtute vno eodemque tempore fames, hoſtes, arx omniaque deuicta ſunt. De reliquis nihil eſt, quòd non optimè ſperamus. Boemundus plurimam tibi ſalutem dicit. Vale.*

GOTFREDVS BOLIONES. BOEMVNDO Antiochiæ Regi.

MAXIMIS *itineribus, captis primùm aliquot oppidis Hieroſolymam venimus, quæ vrbs arduis montibus circumdatur, fluminibus caret & fontibus, excepto vnico Siloe amne & eo tenui. multæ inſunt ciſternæ vbi aſſeruentur aquæ, & in vrbe*

vrbe & in agro. Hinc Arabes, Moabitæ, & Ammonitę Orientales ſunt: Idumæi, Ægyptij, & Philiſthæi meridionales: maritimæ ciuitates Ptolemaida, Tyrus & Tripoles: Occidentales Tyberias Cæſarea Philippi: regio Deca poloes & Damaſcus ſeptentionales. ego in oppugnatione vrbis partem muri, quæ mihi obtigerat primus aſcēdi, & Balduinum in vrbem deſcendere iuſſi: qui cæſis aliquot hoſtium cohortibus portas perfregit, & Chriſtianos admiſit. Raimundus Turrim Dauidis cum precioſiſſima gaza per deditionem accepit: ad Salomonis templum ventum eſt, ibi parater fuit pugna, tantaque hoſtium cędes, vt cæſarum cruor noſtrorum talos ſuperaret, nocte aduentate ſuperiora templi expugnare non potuimus. At altera die ciuibus miſerabili voce pacem acclamātibus data, atque ita vrbs Hieroſolyma à nobis Idibus Iulij capta eſt anno ſalutis noſtræ. 1099. die. 39. poſt cæptam obſidionem, qui annus fuit. 409. poſtquam ſub Heraclio Saracenis ceſſerat. Adhæc me etiam reluctantem ſummo omnium conſenſu Hieroſolymæ regē acclamauere, qui tametſi tantum regnum horreſcerem, veruntamen dabo operam, vt me Chriſtianum regem, deque fide publica optime meritum facilè agnoſcant. Tu autem me, quod facis, ama. Vale.

TANCRE-

TANCREDVS NORTMANVS ROGERIO PATRI.

CVM *planè ſciam te de nobis magnopere laborare, curſuque rerum noſtrarum fœliciſſimo lætari: nihil mihi potius vnquam duxi, quàm te de omnibus quamprimum certiorem facere. Capta vrbe Hieroſolima nunciatur nobis Solymanum Babiloniæ regem cum magnis copijs Aſcalone conſediſſe, quæ vrbs vigintiquinque millibus paſſuum ab Hieroſolimis diſtat. Gotfredus hoſtibus occurrere ſtatuit, quem ego duabus Legionibus, Euſtachiuſque ſecuti ſumus. primò ex captiuis didicimus Clementem Solymani Ducem quingentis millibus hominibus nobis imminere; nos tameatſi numero impares præſenti animo ad Aſcalonem Babilonios aggreſſi vniuerſos fudimus ac fugauimus ad centum hominum millia cæſa ſunt hac inſigni victoria Hieroſolimæ ſalus ac quies parta eſt. Quòd autem ad res Italicas pertinet, gratiſſimum feceris, ſi quę iſtic gerantur, ad me quàm diligentiſſime perſcripſeris. Vale. Aſcalone.*

BALDVINVS. II. REX HIEROSOLIMAE, Caliſto Romano Pont.

VENETORVM *ducentæ naues maximo nobis adiumento fuerunt, tantumque addiderunt virium, vt Ioppæ quingentis nauibus obſeſſæ opem*

tulerimus

uicerimus ac ſoluta obſidione Barbaros innumerabiles cæſos captoſque perdiderimus. His proſperè actis, paribus auſpicijs in Tyrum ductum eſt, quam iampridem tentatam nunquam milites noſtri oppugnare poterant: ſed tum demum opulentiſſima munitiſſimaque vrbs multo Venetorum ſanguine capta & Hieroſolymæ Imperio adiecta eſt. Tertia pars Tyri, & Aſcalonis, ſi caperetur, multis immunitatibus honorificisque decretis Imperio Venetorum aſſignata eſt. At Emanuel, Græcorum Imperator, tantam nobis victoriam inuidens, ſedulò operā dat, vt Venetorum auxilia à nobis ſeiungat, Quare abs te maiorem in modum peto, vt eundem Imperatorem à perditiſſimo conſilio auoces, ipſosque Venetos quàmmaxime in fide contineas: nihil eſt, quod literis ac nuncijs à Senatu illo non facilè impetres. tanto autem nobis vſui claſſis Veneta futura eſt, vt eo præſidio munitiſſima quæque oppida oppugnare, mariaq; latiſſimè olim tutò percurrere poſſimus. Vale.

SALADINVS ISACO CONSTANTINOP Imperatori.

OBSIDEBAM *Tyberiadem, cùm mihi nunciatum eſt, Guidonem Hieroſolymæ Regem, equitum triginta millia, peditum quadraginta in aciem eduxiſſe. Hunc ego citato agmine præueni, ac è regione Chriſtianorum cum copijs omnibus con-*

ſtiti. Oriente Sole initũ eſt prælium, hoſtiũ aliquot cæſi, aliquot capti: Guidonem regem, & templi magiſtrum cum nobilioribus Chriſtiani nominis captos ſeruaui: de paucis ſupplicium ſumptum. hac victoria vſus Aconem Duxi, quam per deditionem accepi. Spero breui futurum, vt Berıtum Biblium & omnıs maritima ore vſque ad Aſcalonem Imperio noſtro adijciatur. Hæc eò ſcripſi, quòd te rebus noſtris proſperè geſtis pro neceſſitudine noſtra maximè lætari intellexi. Vale. In Caſtris.

SALADINVS ISACO CONSTANT. IMPER.

POSTEAQVAM Aſcalonẽ valido præſidio, comeatibus, rebusque omnibus communiui, copias ad oppugnandam Hieroſolymam deduxi, decem totos dies ad plagam Occidentalem oppugnaui, vigintique alijs diebus obſedi: hoſtes deſperatis auxilijs potius quàm oppugnationis metu ea conditione deditionem fecerunt, vt cum ſupellectili quæ ſinguli humeris ferre poſſent, abire permitterentur. Facta eſt deditio ſecunda Octobris, anno 89. poſtquam Chriſtianis ceſſerat. Ii decedentes, pars Anthiochiam, pars Tyrum, aut Alexandriam petijt. Verumtamen qui Aſia oriundi erant, pauciſſimi Hieroſolymæ conſtiterunt. Reliquum eſt, vt Tyri oppugnationem tentemus: quæ ſi nobis ex ſententia euenerit, video res noſtras in tutiſſimum locum poſitas iri. Vale. Hieroſolymę.

CLEMEN-

CLEMENS III. ROM. PONT. ISACO Conſt. Imper.

IAM *omnia Saladini virtuti ceſſerant cum ædicto noſtro ad inſtaurandam gloriam Chriſtiani nominis, principes noſtri excitati ſunt. præcipui fuere Fœdericus alter Imperator, Philippus Francorum Rex, Riccardus Angliæ, & Oddo Burgundiæ; Veneti quoque, & Piſani paratiſſimas claſſes eduxere. Venetæ præfuit Rauennas Archiepiſcopus, Piſanæ præſul Piſanus. Gulielmus Rex Siciliæ pacato à pyratis mari, annonam ex Sicilia & Apulia profecturis miniſtrauit. Friſones quoque & Dani triremes quinquaginta, & duodecim Frandenſes armauere: qui tranſeuntes in Mauritaniam, & ad Aphricæ litora flectentes, Saracenos magnis incommodis afflixerunt, & Syluinam vrbem ui captam diripuere. Bella Rex Vngarus habita ratione rei Chriſtianæ, Venetis pacem dedit. Quæ cùm ita ſint, oro te maiorem in modum, vt hoc bellum inſtauratum ac Chriſtiano nomini glorioſum quibuſcumque rebus poteris, (poteris autem pluribus) iuues, ne quando Saraceni validiores effecti regnum etiam tuum clade aliqua afficiant. Vale.*

RICARDVS ANGLIAE REX, COELESTINO III. Romano Pont.

ERAT *meæ erga Sanctitatẽ tuam obſeruantiæ, vt de belli rationibus fœliciq́ue rerum euentu certiorem facerem, ac imprimis de Ptolemaidæ diuturna obſidione aliquid ſignificarem. Ea vrbs biennio poſtquàm obſideri cœpta eſt, tandem in deditionem venit. Quòd autem ad captiuos pertinet, quos toto hoc bello innumerabiles cepimus, illos cum Chriſtianis ſuperiori bello captis commutauimus. Ad hæc Porphiriam, Cæſaream Aſcalonam, Gazam, & Dan occupauimus, cùm Saladinus multis maximisq; cladibus affectus eas tueri prorſus diffideret: is etiam Hieroſolymam nobis ſpontè reddidiſſet, niſi diſſidijs noſtris cognitis conſilium mutaſſet. Verùm tamen Deo Optimi Maximi beneficio reliqua omnia fœliciſſimo curſu euentura ſperemus, multumq́ue ſpei in pijs precibus veſtris nobis repoſitum eſt. Vale. Ptolemaidæ.*

MAXIMILIANVS SFORCIA, HELVETIIS

CREBRIS *rumoribus ad me affertur, multorum militum delectum in Gallia haberi, & Regem ipſum Franciſcum, belli Ducem, ſuperatis Alpibus in Italiam primo quoque tempore venturum. Commeatus, arma, equos, tormenta, atque omnis*

nis generis præſidia ſummo ſtudio aduerſus uos comparari. Quæ cùm ita ſint, pro amicitia noſtra vos oratos velim, ne me in tanto rerum diſcrimine deſeratis, cùm & voſmet ipſi facilè cognoſcere poſſitis, me ex Regno Inſultorum pulſo victores Gallos & Venetos Imperij ſui finibus contentos non forè, vt qui Pontifici maximo etiam præſcribere audeant, & cæteris gentibus Italiæ pulſis, omnium rerum imperium ſibi animo deſtinauerint. Quòd ſi arma veſtra noſtris coniungere, communemque aleam ſubire velitis, polliceor vobis, in meque recipio, & id vobis maximo vſui futurum, & me, meaque omnia ita veſtra fore, vt ijs vos pro arbitrio veſtro frui perpetuò poſſitis. Valete.

HENRICVS COMES NIVERNIENSIS, Regi Franciæ.

DIV *obſidebatur Damiata cum Cayri Sulthanus medio itinere inter vtramque vrbem caſtra poſuit. à prælio maximè aborrebat, cùm Galli parum admodum manu illum irritauerunt, ac erūpere coegerunt. ea pugna Gualterius, camerarius tuus, Hilo Nantolienſis, & Vicecomes Sanctæ Suſanæ intercepti ſunt. Ioannes verò Rex Hieruſolymæ ignibus aliquantiſper læſus: ſed nec propterea obſidio intermiſſa eſt. nam & exacto anno cum dimidio Damiata tandem capta eſt, quòd militum præſidium & magna pars ciuium contagione inte-*

riſſent. Neque enim pluſq; tria millia hominũ repertă ſunt, cùm ab obſidionis principio ſeptuaginta millia fuiſſent, ea ciuitas ab Helio Pertinaci conditore Neapolis dicta eſt, vt triplici muro cincta, quam Nili riuus ad Romani Tyberis magnitudinem ambit, vt inſulam oblongam arctamque faciat. Turris Pharea ſuburbia à prædonibus cuſtodit, cuius ager Nili incremento ſæpenumero longe lateque operiri ſolet, quod & aliquando copijs noſtris maximam intulit cladem. exercitus vrbis opulentiſſimæ oppugnatione ditiſſimus, incommodi quod iampridum paſſus fuerit, non meminit, maioraque pericula adire vltrò appetit: nos ingentia quædam animo voluimus; quæ euiuſmodi ſint, prope diem Intelliges. Vale.

SENENSES MANFREDO REGI NEAPOLIS.

MATVRE *nobis præſidio fuit Iordanus tuus cum equitatu, quo egregiam operam nobis præſtante primùm leuibus certaminibus vtrinque certatũ eſt: deinde Miniatẽſes, Piſtoriẽſes Aretini, Florẽtiniq; ad Arbiã fluuiũ quarto lapide procul vrbe caſtra poſuere: nos eruptione facta copijs noſtris ac auxiliaribus Iordaniq; virtute ad quadraginta millia hoſtium fudimus, fugauimusque. Prelium initum eſt. 16 die Septembris. 1240. tria millia florentinorum cæſa ſunt, quatuor cum curru publico vexillisque omnibus capta; reliqui ad ſuas*

vrbes

vrbes ſuga miſerabili dilapſi ſunt. Guelfi alij Bononiam, alij Lucam conceſſere. Qua victoria ciuium noſtrorum animi ita arrecti ſunt, vt & amplitudo tua, omneſque Gibellini nominis non niſi optimè ſperare debeant: ſic & hos fœliciſſimos rerum euentus poſt Deum tibi omnes acceptos ferre imprimis debemus, cui iampridem nos ac fortunas omnes propenſiſſimo animo dicauimus.

PLVTARCHVS TRAIANO ROM. IMPER.

ANIMADVERTI te verecundo quodam pudore Imperium Rom. nunquam concupiuiſſe, tametſi morum innocentia, egregiaque virtute operam dederis, vt id promerere poſſes, hoc ampliſſimo Regno eò dignior exiſtimaris quo minus rationem eius adipiſcendi quæſiuiſti, id tùm virtuti tuæ, cùm fœlici fortunæ noſtræ acceptum fero, mihique id gratius futurum eſt, ſi animaduertam te rectè gerere id Imperium, quod rectè etiam promerueris. nam ſi ſecus geſſeris, non verear quin maximum periculum aditurus ſis, meque voces maleuolorum ſubiturum planè intelligo. Scelus enim diſcipulorum plerunque præceptoribus vitio dari conſueuit, vt facilè Senecæ exemplo dignoſci poteſt, qui ob immanem ſæuitiam, moreſque Neronis perditiſsimos, apud vniuerſas gentes malè audiuit, cuius præceptor pueritiæq; inſtitutor fuerat. Adde etiam quòd eorum, quæ deliquere, Quinti-

liani diſcipuli innocentiſſimus præceptor accuſatus fuit. Tu omnia præclarè ages, ſi tui memineris, ſi te audiueris, ſi primùm te cohibueris, omniaq; ad virtutē referre volueris. Quæ ad tuendum Imperium, moreſq; ornandos facerent, abundè ſatis libellorum eorum monumentis conſcripta ſunt. ea ſi ſecutus fueris, Plutarchus vitæ tuæ moderator erit: ſin ſecus atque te educaui, geſſeris, has literas meas teſtes eſſe volo, conſilio meo nihil prorſus, niſi ex vſu reipub. Romaniq́ue Imperij fieri. Vale.

IOANNES PROCHICIVS MARTINO IIII. Rom. Pont.

EGO, *tametſi mihi conſcius ſim te Caroli Gallorum Regis amicum, eius incommoda iniquo animo ſemper tuliſſe: illud tamen volui te meis literis cognoſcere, Gallorum ſuperbiam cò deueniſſe, vt Siculi omnes vno conſilio aduerſus eos arma ſumſerint. Ii enim; conſtituta veſperarum hora, quàmprimum campanæ Chriſtiano ritu auditæ ſunt, excitato tumultu omnes cuiuſcunque ordinis, ætatisq́ue interfecerunt, adeoq́ue à populo ſæuitum eſt, vt clauſi vtero materno, qui Gallico ſemine concepti crederentur, extincti ſint. Quæ omnia non magis Siculorum ſcelere, quàm Gallorum libidini ac ſuperbiæ aſcribenda ſunt. Erit igitur prudentiæ ſanctitatisq́ue tuæ improba, maximiq; ſpiritus gente exploſa, Arragonijs rebus fauere. Nam opti*

mi Regis in Eccleſiam eam fidem ac pietatem cognoſces, vt demum nihil q̃ magnum atq; amplum illius neceſſitudini anteponendum cenſeas. Vale.

CAROLVS GALLIAE REX, PETRO Arragoniæ Regi.

NVNQVAM *adduci poteram, vt crederem te maximè animi nominisq; Regem, mihiq́ue coniunctiſſimum, regnum Siciliæ per ſcelus inuaſurum. Nam & ſanguinis cura, & amor meus erga te ſingularis id minimè fieri abste patiebatur: eoque minus, quòd nullum ius, nulla ſatis iuſta ratio id ſuadere videbatur. Quare te monitum velim, vt quàmprimum Panorm, ototaque Sicilia excedas: ſin id agere neglexeris, ſcito Deos immortales, æquiſſimos ſcelerum vindices, aliquando Gallorum armis de te pœnas ſumpturos. Vale.*

PETRVS ARRAGONIAE REX, Carolo Gallorum Regi.

NVNQVAM *tanti fieri iura ſanguinis conſueuerunt, vt Regna æquo iure mihi cedẽtia & lachrymas populorum, voces ac eiulatum opem implorantium aſpernari debuerim. Nam & Siciliæ Regnum ob vxorem Conſtantiam, quæ Manfredi filia, & Corradini neptis fuerat, deberi mihi omnes fatentur: & Siculi ipſi tot tantisq́ue calamitatibus*

bus affecti ſunt, vt vniuerſa inſula fortunis, rebuſque omnibus ſpoliata extrema omnia experiretur. Quæ ſi à me minus rectè facta eſſe contendes, dabo operam, vt iure belli, & quacunque malueris ratione pro iuſta cauſa me ſtare intelligas, mihique propterea Deorum immortalium præſidium præſto futurum planè confido. Vale.

HENRICVS LVCEMBVRGENSIS IMPER. Florentinis.

QVAMPRIMVM *me in Romanum Imperatorem Germani Principes delegerunt, Clemensque Pont. id ratum firmumque habuit: nihil mihi potius fuit, quàm in Italiam primo quoque tempore Imperatoriam coronam accepturus contendere. Sed cùm profectioni prope omnia opportuna mihi conſtituta eſſent; id à vobis petendum mihi imprimis fuerat, ut copijs noſtris ad vrbem veſtram tutus acceſſus aditusque præberetur. Nam ea rerum mearum ratio eſt, vt vrbis veſtræ hoſpitio iuuandus prorſus ſim. Illud etiam à vobis pro mutua beneuolentia peto, vt Aretinos longiori bello incurſionibusque vexare diutius ne patere-mini. Quod autem ad pacandam Etruriam pertinet, ita operam auxiliumque meum vobis polliceor, vt me reipublicæ veſtræ amicum fautoremq; planè iudicetis. Valete.*

FLOREN-

FLORENTINI HENRICO LVCEMbur. Imper.

FREQVENT *ſenatu recitatæ ſunt literæ tuæ, quæ nobis per quàm moleſtæ fuerunt. Nunquam enim nobis probari potuit Imperator, qui in Italiam barbaras copias ducat, cùm id potius cauendum eſſet, vt hanc nobiliſſimam prouinciam è barbarorum manibus vendicaret. Quòd Aretinos foueas, vide quàm præclarè agas, cùm meminiſſe poſſis, eos Guelfos ciues ſuos innoxios eieciſſe, qui ope tua patriæ reſtitui imprimis debebant. Nihil eſt quod nunc de recipiendo exercitu tuo in vrbem decernamus, id tum demum curabimus, cùm copias tuas aduentare cognoſcemus. Studium tuum pacandæ Etruriæ tantum probamus, quantum id vniuerſæ Italiæ maximo vſui futurum ſperamus. Tuæ verò erga nos propenſæ voluntati immortales gratias agimus. Vale.*

CAMPSONI GAVRIO SVLTHANO. Selymus Othomanus.

MITTO *ad te Cadileſcher legatum meum, vt de ipſo rationem belli Perſici totam cognoſceres. nō enim intelligo cur mihi impedimento eſſe debeas, quo minus Hiſmaelem bello perſequar, qui tot, tantasque Aſiæ calamitates intulit, inductisque no-*

uis

tus ſuperſtitionibus Mahometanæ religionis, certiſſimas leges depranare dilacerareque contendit. ipſi legato meo in omnibus & quibuſcumque rebus plenam indubitatamque fidem adhibeas velim: à quo quidquid fœderis percuſſum, vel ſancitum fuerit, ratum firmumque eſſe volo. Vale.

SELYMO TVRCARVM REGI, Campſo Sulthanus.

EA *Sulthanorum conſuetudo inualuit, vt principem locum in religione obtineat, Mahometanos reges, populosque omnes in pace omni cura contineat. Ego verò in Syriã prouinciam meã armatus veni, vt pacem tibi ſuaderem. Verùm ſi in ea inferendi belli pertinacia perſiſtas, atque Hyſmaelem fœdere, neceſſitudineque mihi coniunctiſſimum oppugnare perrexeris, me dignitati meæ, ac exiſtimationi conſulturum ſcias, nec paſſurum diutius, vt vnius inſolentis ambitioſique hominis libidine ac furore humana diuinaque omnia permiſceantur. Animaduerti iampridem ingenium tuum quàm vaſtum, quàm atrox, quàm inquietum ſit, poſtquam Baiazete patre optimo tantæque virtutis fratribus, ac tantæ ſpei ſeptem impuberibus conſanguineis per ſummum ſcelus enecatis, totque amicis ac fortiſſimis Ducibus crudeliſſimè trucidatis, immanitati atque audaciæ nunquam modum impoſuiſti. Eam itaque extremam pacis conditionem*

nem eſſe ſcias, ſi ab Hymaelis prouincijs abſtinueris, & Aladoli filio paternum reſtitueris regnum, quod in Sultlianorum clientela ac fide ſemper fuerit. Id ſi feceris, præter gratiam atque amicitiam noſtram, quæ tibi maximo vſui, atque ornamento eſſe poterit, tu longè maiorem ex tuta pace quàm ex ancipiti bello laudem es relaturus. Vale.

TOMVNBEIVS SVLTHANVS, Hyſmaeli Perſarum Regi.

CVM *bellum Turcarum ceruicibus tuis imminens Campſonis opera in nos conuerſum fuiſſet, Syria, Aegyptusq; maximis cladib. affectæ ſunt. nam cæſo ad Singam Rege, deletiſque militibus, multa bello nobis opportuna deſunt. Tantum enim Selymi exercitus inualuit, vt niſi tu minorem Aſiam incurſionibus inuadas, & Comagenem nudatam præſidijs irrumpas, de pulcherrimo Ægypti Imperio, fortuniſque omnibus agatur. Selymus qui nunc Iudeæ finibus continetur, duobus exercitibus facilè intercludi poteſt, & commeatu probiberi, quando litora nullis Turcarum claſſibus teneantur, quæ terreſtres copias iuuare commeatibus, vel eas, ſi aliquam calamitatem acciperent, auehere poſſent. Id ſi curabis, & Aegypti rebus tecum coniunctis propè labētibus ſubuenies, & de tot inſignibus iniurijs ab infenſiſſimo hoſte acceptis nullo ꝑpe negocio ſupplicįū ſumes. Val.*

IOANNA

IOANNA NEAPOLIS REGINA, Ludouico Vngariæ Regi.

AVDIO *multos mirari, quòd interempto viro, fratre tuo, de paricidio ſupplicium nullum ſumpſerim. quid eſt autem, cur populus tanti ſceleris ream me faciat, cùm Andream Regē, virum optimum, & perditè amauerim, & ipſe mecum ſine querela, quādiu vixerit, verſatus ſemper fuerit? Sed quicquid ſuſpicentur cæteri hominum, id tibi imprimis velim perſuadeas, me & ignoratione ſicariorum & rerum difficultate maximam hanc iniuriam mihi illatam vlciſci non potuiſſe, eoque animo amantiſſimi viri necem tuliſſe; vt à dolore exanimata iiſdem vulneribus penè conciderim.*

LVDOVICVS VNGARIAE REX, Ioannæ Neapolis Reginæ.

IMPVDICA *vita quam Iampridem duxiſti occupatum regnum, neglecta vindicta, & excuſatior ſubſequens, necis viri tui probant noxiam te prorſus fuiſſe: proinde Deos immortales ſcelerum vindices ſupereſſe memineris. Vale.*

ALEXANDER MAGNVS ILLYRICIS POPVLIS.

QVONIAM *ſemper nobis præſto fuiſtis, in fide firmiſſimi*

firmiſſimi, in armis ſtrenui, egregiam bello operam nouantes: damus vobis liberè & cedimus perpetuò totam plagam terræ ab Aquilone vſque ad fines Italiæ Meridionales, vt nullus valeat ibi conſiſtere, reſidere, ſeu ibi locare, niſi veſtrates. Si quis autem ibi commorari deprehenſus fuerit, ſit ſeruus veſter, & poſtea ij omnes ſint ſerui nepotum veſtrorum. Datum in ciuitate noſtra Alexandrina. Anno XII. *Regnorum noſtrorum, arridentibus magnis Dijs, Ioue, Plutone, Marte, & Maxima Dea Minerua. Valete.*

FRANCISCVS PHILELPHVS
Senatui populoq; Peruſino.

ET *humanitatem erga me veſtram vehementer amplector & liberalitatem maximi facio. doleo autem, & permoleſte fero, quòd ijs temporibus literæ mihi veſtræ redditæ ſint, quibus iam alijs fidem dederam. Hanc verò inuiolatam vt præſtem, & ipſe cogor, & uos item velle non dubito. Quòd ſi tempeſtiuè veſtræ ad me literæ aduolaſſent, eſſem profectò deſiderio veſtro incredibili mea cum voluptate obſecutus; ornaſſemquè veſtram ipſam ſplendidiſſimam iuuentutem pro virili parte, non modò eloquendi, ſed etiam viuendi laudatiſſimis artibus. Quoniam igitur honeſtatem cauſæ intelligitis, ignoſcite mihi, ſi minus hac in re expectationi veſtræ reſponderim. Valete; ex Senis Idibus Septembris,* MCCCCXXXVIII.

PHILE-

PHILELPHVS GIRARDO LEANDRIANO, Cardinali Comenſi.

FECISTI *mihi rem pergratam, quòd Philonem meum, imò noſtrum, ex Auriſpa recuperatum, ad me dederis. quod autem Moſei vitam, quam idem Philon & copioſè & eleganter apud Græcos & Græcè ſcripſerat in Latinum à me tantopere verti poſtulas, & audiui libenter, & obtemperabo libentiſſimè. Itaque factum puta, quod iubes. nulla te tua de meo erga te animo fallet opinio. iam operi me accingo. Vale Mediolani* IIII. *Calen. Nouembris.* MCCCCXL

PHILELPHVS BESSARIONI, Cardinali Nicæno, S.

EAM *Homeri Iliada, quam vir eruditiſſimus Theodorus Gaza exſcripſit mihi, & eam quidem magna cum impenſa atq; ſumptu, facio tanti, vt ne Crœſi ingẽtibus illis admirabilibusq; theſauris cuiquàm ſim ceſſurus. Te autem, Pater reuerendiſſime, maiorem in modum miror, qui me cùm ab vſque Conſtantinopoli noris, vel in publico diſcendi ludo, vbi poſt obitum mei ſoceri Chryſoloræ fuimus apud Chryſococem condiſcipulum; mores arbitreris cum ætate mutaſſe, vt qui omnium libera liſſimus eſſe cenſerer, benignitatem illam cum aua*

ritia

ritia commutarim. donare didici ſæpe per multa, at vendere nihil vnquam, præſertim libros, quibus ſanè pretioſius nihil duco. At hunc Homeri codicem tam charum habeo, tam iucundum, vt vix quicquam in vita magis. Itaque ignoſce in hac re mihi ſi quid aliud tibi poſſum gratificari. iuſſeris nihil fruſtra. Vale. Mediolani. x. Calendas Februarias. 1448.

PHILELPHVS LEONELLO MARchioni Eſtenſi.

SI *tibi coram narrare poſſim, præſtantiſſime Princeps, quantum me tibi debere putem, quòd nullis meritis de te meis vltrò me inuitaris ad Regium hoſpitium tuum ac familiaritatem; intelligeres profectò quàm ſit apud me egregia virtus tua, quamque admirabilis peneque diuina. Non enim expectaſti, vt te literis anteuerterem ac rogarem, vt me intra regales tuos parietes exciperes, dignumque redderis beneuolentia tua; ſed id diu mihi atque multum aggredi cogitanti ſponte occurriſti, teque ipſum liberaliter, perbenignèque obtuliſti, ac nullum prætermiſiſti officium humaniſſimi ſapientiſſimique Principis. & quod à Platone ſcriptum legimus, non obſcurè confirmaſti, beatas illas fore reſpu. quæ aut à ſapientibus, aut à ſapientiæ ſtudioſis adminiſtrarentur. Nec enim ignoramus inter Regem & Tyrannum illud intereſſe,*

quòd hic omnia refert ad vtilitatem ſuam contempto diuino omni atque humano iure : at Rex ſecus omnia, qui iuſtitiam atque pietatem ante oculos ſemper ferens, ſibi omnia vult cum ciuitate eſſe communia, ſuum atque proprium nihil ducens, quod à publica vtilitate dignitateque ſeparetur. dignus es tu profectò, qui quàm diutiſsimè ſis in vita, & non minus vniuerſæ Italiæ, quàm tuo iſti pacatiſsimo atque fœliciſsimo puſillo regno domineris. Totus es ad laudem & gloriam natus, cuius vniuerſa vita plena eſt poteſtatis, plena ſapientiæ. Faciat Deus Optimus Maximus, vt mihi aliquādo liceat vti atque frui, quod mihi beneficium quàm beneficentiſsime proponis ; nunc enim ea ſunt tempora, vt aliud nihil queam non modò deliberare, ſed ne reſpondere quidem. Vale Mediolani. 5. Calendas Aug. 1449.

PHILELPHVS PETRO MEDICI, Coſmi filio.

PRAECIPVVM *tuum in me amorem & expertus ſæpe ſum præſens, & audiui abſens, facisque ac feciſti ſemper pro officio gratiſſimi diſcipuli & viri optimi. nam de tua erga me voluntate cùm ab alijs multis, tum ex Angelo Actiolo Splendidiſſimo equite, & veſtræ familiæ ſtudioſiſsimo egregiè accepi. reliquum eſt, vt Achillis, quod fabulantur, iaculo vtamur in ſecundo ictu : quod ſi factum*

factum cognoro, haud patiar vlla me beneficij iuriſque magnitudine ſuperatum iri. Mediolani. 4. Nouas Auguſtas. 1449.

PHILELPHVS, SFORTIAE SECVNDO.

PETO *abste maiorem in modum, vt & quod coram mihi recepiſti & ex proximis meis literis audire potuiſti, id apud patrem tuum præſtantiſſimum & munificentiſſimum Principem quàmprimum, & quàm optimè conficias: hac mihi re neque gratius quicquam, neque magis neceſſarium præſtare potes. Mediolani Pridie, Idus Decembris. 1450.*

PHILELPHVS SFORTIAE SECVNDO

PETII *abste proximis literis, quod etiam nunc tertium peto, & te quoque (ſi pateris) rogo, vt rem meam apud Principem munificentiſſimum, patrem tuum, vbi minus confeceris, ita conficias, vt mihi abiens coram recepiſti. In hunc diem neque tu reſpondiſti quicquam, nec ex alio ſum certior factus, quid egeris, aut non egeris. Itaque aut reſponde quàmprimum, aut equum mitte, quo vehar ad vos: nam ſi ad vos venero, facile futurum ſuſpicor, ne vacuus Mediolanum repetam, præſertim cùm iam inſtet Natalis Chriſtianus, quo Princeps ſolet ad beneficentiam exhortari. Mediolani. 5. Calendas Ian. 1450.*

PHILELPHVS SFORTIAE SECVNDO.

POLLICITVS *es non modò non petenti mihi, ſed ne cogitanti quidem, te dono daturum neſcio quid. ita nolim te falli opinione tua, vt intelligas nihil eſſe redditum mihi tuo nomine, nec item alterius cuiuſque in hanc diem. Quare facito, ne vel obliuionis accuſeris, vel negligentiæ. nam vtrunque crimen tua præclara indole eſt indignum. Vale. Med. 5. Idus Martias.* 1451.

LVDOVICO GONZAGAE PRINCIPI. Mantuano.

PROXIMIS *diebus literas ad te dedi, quibus intelligere haud obſcure potuiſti, quàm mihi rem gratam, eandemque admodum neceſſariam facturus eſſes, ſi quàmprimum ad id, quod petieram, te humanum (vt ſoles ſemper) benignumque præſtitiſſes. Nunc autem quod ſcriberem noui, nihil acciderat, niſi vt te rogarem, orarem, obſecrarem, id pro animi tui magnitudine efficeres, ne me cunctando ambiguum ex certo redderes. Nam & ſi tua erga me beneuolentia mihi certius eſſe vix quicquam poteſt, vereor tamen, ne quandoque beneuolentia cum difficultate certamen ineat. Sed quò bonum difficilius eſt, eò clarius & laudabilius duci ſolet. Itaque ſi difficultatem iſtam. (ſi qua tamen*

tamẽ non tuo ſed fortunæ vitio apud te eſt) beneficientia atque induſtria ſuperabis, nihil apud me glorioſius, nihilq́; magis obſeruandum, colendum, prædicandum te munificentiſſimo Principe futurum eſt. Mediol. xi. Calendas Febr. 1452.

PHILELPHVS RENATO REGI.

TERNAS *literas ad te dedi anno ſuperiore, his de rebus, quæ tua maximè intererant. Itaque non poteram non mirari, quòd nihil reſponderes, præſertim cùm te humaniſſimum facillimumq́ue, eſſe iampridem vno omnium conſenſu ſermoneq́ue audieram. Sed Ioannes Coſſa, vir clariſſimus, idemq́ue grauiſſimus, qui modò & tuus & Chriſtianißimi Francorũ Regis legatus in Italiã venit, liberauit me omni dubitatione: quippe qui coram affirmauit nullas tibi omnino redditas eſſe literas meas. Deus malefaciat hominum vel negligentiæ vel perfidię, q & me honeſtißimo officio, & te nõ mediocri, vt opinor, vel vtilitate vel voluptate fraudarint. Quibus literas ad te dedi, Franci fuerunt omnes, quorum vni Malurticæ cognomentum eſt, homini bellicis artibus ſtudenti, & tui, vt aiebat, obſeruantißimo. Sed quoniam, quæ ſcripſeram, non accepiſti, ea in præſentia tibi coram exponet idem Ioannes Coſſa, cuius fides & diligentia tibi Sole clarior eſſe debet. Valc. Med. 6. Calen. Febr. 1453.*

PHILELPHVS LVDOVICO Ganzagæ, Mantuano Principi.

NON *equidem ſum oblitus, quàm mihi nuper in agro Brixiano beneuolentiam oſtendiſti & quanta me non humanitate ſolùm, ſed benignitate etiam perſæpe exceperis. Itaque ex eo tempore intellexi per magnam mihi in te ſpem & poſitam eſſe, & conſtitutam: indeque factum eſt, vt ita te obſeruem, ac venerer, vt me abs te putem dignum exiſtimari, in quo nullum beneficium tuum ſit intermoriturum. Quæ mea me de te opinio ne falſum habeat, eſt magnitudinis, & munificentiæ tuæ: quod autem abs te velim, Hetruſco ſermone intelliges: eſt celeritate non minus opus, quàm beneficentia. Vale.* Mediol. 4. *Nonas April.* 1453.

PHILELPHVS NICOLAO V. Romano Pont.

STEPHANVS *Caciam Nouarienſem, iureconſultum & Taurinatem archidiaconum, tuæ Sanctitatis cubicularium, in ijs, quæ mihi expoſuit tuo nomine, & ſumma cum obſeruantia, & libentiſſimè audiui; nec diligenter minus quàm fideliter geſſi omnia, geroque aſſiduè quæ tum literis tuis, tum eius nuncio tibi grata fore cognoui. Habeo autem Beatitudini tuæ gratias immortales, quòd fidei*

dei meæ pietatique ergà te ita fidis, vt debes, Quid enim pro te facturus non ſim, cuius ſingularem ſum iampridem beneuolentiam, & præcipuam modò benignitatem in me expertus? Tantum me tibi debere intelligo, vt ne vitam quidem ipſam in mea magis, quàm in tua poteſtate poſitam eſſe velim. Itaque imperare ſit tuum pro voluntate omnia, parere autem meum, omni integritate, veneratione, induſtria. Vale, Pater beatiſsime. Med. 4. Calen. Maij. 1454.

PHILELPHVS PETRO BARBARO, Cardinali Veneto.

XENOPHONTI *filio Romam venienti idcirco literas ad te dedi, vt intelligeres me tanti facere beneuolentiam tuam, quam mihi nuper cùm iſtic eſſem, certiſsimis documentis declaraſti, vt omnia de te mihi ſperare poſſe videar. Id autem & facio, & maiore cum fiducia, & libentius, quòd noui nullũ apud me vnquam intermoriturũ beneficium tuum: nam eſt apud me antiquius nihil gratitudine, atque pietate. reliqua tu ex Xenophonte cognoſces. Vale, Med. 4. Calen. Martijs. 1454.*

PHILELPHVS DOMINICO, CARD. FIRMANO.

NON *poſſum non accuſare erratum meum, quòd cùm nuper fuiſſem Romæ, ad te minus ſalu-*

tarum ierim, cui me iampridem norim eſſe chariſſimum. Nolim tamen exiſtimes id vel negligentia mea, vel quòd tui oblitus fuerim, accidiſſe: ſed dum cupio in te adeundo minus nepetus exiſtimari, fui in officio ſeruando minus erga te officioſus. volebam enim & pro amplitudine tua, & pro decoro adire te, & eos conferre ſermones, qui & auditione tua, & oratione mea non indigni iudicarentur. Quare dum ſtudeo ea expedire negocia, quæ mihi erant apud ſummum Pont. pluſquàm in ijs, quàm putaram, temporis conſumo: Tandem coactus ſum non te antè adire quàm abire. Itaque in ipſo diſceſſu meo ex vrbe Roma inter equitandum accedo ad ipſas tuas ædes, is, qui triclinij præeſt officio, reſpondet, in cubiculario, te eſſe diuino intentum miniſterio, nec licere ſibi interea temporis adire te. Quid multis? tres horas expecto cùm ne ipſe quidem Oſtiarius amplius quicquam reſpondet mihi quamobrem cùm video mirum ſeruari ſilentium, & ipſe ad abeundum ſollicitarer à comitibus, ne aut importunior, aut ineptior dici poſſem, abiui equidem ſubtriſtior, quòd viſere te nequiuerim quem mirifica obſeruantia proſequor. Tenes ecce rem omnem. Tuæ fuerit vel clementiæ mihi ignoſcere, vel iuſtitiæ Oſtiarium caſtigare, qui, vt eſt genere Germanus, neque humanitatem ſapiat, nec hominum habeat diſcrimen. Reliqua ex Xenophonte filio cognoſces. Med. 4. Calen. Martias. 1454.

PHILELPHVS IOANNI Marchioni Montisferrati.

SI *nihil iamdiu ad te ſcripſi, puto te iccirco non mirari quòd noris mihi facere non licuiſſe ob tempeſtates procellaſque bellorum. Nam ego te & amo, & obſeruo, non ſolùm, quòd de me ſis meritus optimè, ſed quia dignus es, quem boni viri ac docti omnes & colant, & venerentur. Itaque ſi quid in me eſt, quod tibi ſit gratum, id iure peculiari tuum cenſe: ego autem abs te nihil aliud peto, niſi vt me ames, vt ſoles: prӕterea maiorem in modum rogo te, vt meos illos de exilio libro Xenophonti filio ad me des. Vale. Mediolani Idibus Maij.* 1454.

PHILELPHVS. DOMINICO Cardinali Firmano.

EO *maiore cum fiducia tuis beneficijs vſurus aduenio, quò te iam plures annos beneficentiſſimo vſus ſum. Nam vel à Bononienſi vſque legatione tantā mihi beneuoletiā oſtendiſti, vt nihil eſſe arbitrer, nec magnū, nec paruū, qđ mea cauſa facturus non ſis, præſertim cùm eum me eſſe cognoris, apud quem nullum ſit intermoriturum officium. nam cùm referre parem gratiam nequeam, eam habere quàm maximam & velim, & ſoleam. quid*

autem

autem abſte cupiam, Xenophon filius tibi coram tempeſtiuè declarabit. Vale. Mediolani, Nonis Nouembris. 1454.

PHILELPHVS BESSARIONI, Cardin. Nicæno.

CVM *Ioannes Marius filius Mantuam peteret, Pij Pont. Max. ſalutandi & adorandi gratia, iuſſi, vt omnium primum tuam amplitudinem adiret, cui mentem ſuam omnem, animumque explicaret. Itaque rogo te, vt omnibus in rebus ita eum commendatum habeas, vt illos ſoles, quos vel ipſos, vel ipſis natos chariſſimos habes. hac vna re mihi vix quicquam gratius potes facere. Vale. Med. 6. Calen. Ian. 1459.*

PHILELPHVS LVDOVICO Cardin. Aquilæienſi.

QVAM *mihi vehementer non ſolùm opera tua, ſed ope etiam atque auxilio opus ſit, Pater humaniſſime, cùm ex alijs ſuperioribus literis animaduertere potuiſti, tum ex ijs maximè, quas ad octauum Calen. Martias ad te dedi. Nunc autem quod ſcribã noui aliud, nihil habeo, niſi vt intelligas tanto me deſiderio expectare literas tuas, vt maiore aliud nihil. omnis profectò ſpes mea in te vno poſita ac locata eſt; & quantum valeas, ſcio, & quàm*

quàm me diligas, non ignoro. Itaque te etiam atque etiam rogo, oro, obſecro, vt quòd abs te petij tam ſummopere, quàm celerius fieri poterit, effectum reddas. hoc erit mihi vehementer gratum, nec tu officium in metuum vnquam accuſabis. Mediolani, XIII. Calen. April. 1460.

Angelvs Politianvs Lavrentio Medici.

Cygno *poeta ſimilis, vterque candidus vterque canorus, vterque fluuios amans, vterque Phœbo gratus. Sed negatur canere Cygnus, niſi cùm Zephirus ſpirat. Quid igitur mirum, ſi taceo tandiu tuus poeta, cùm tandiu non ſpires meus Zephirus? Vale.*

IOANNES PICVS MIRAND. N.S.R.E.C.

Matthaevs *noſter, vir officioſiſſimus, & ſalutem mihi plurimam tuis verbis dixit, & quo me amore, qua beneuolẽtia proſequare, apertiſſimè declarauit: pollicitus inſuper & tuo nomine ſtudium operamque tuam, ſi quando ijs mihi vti contigerit. cui officio vtinam par eſſem, Pater ampliſſime. Suſcipi enim in tuam fidem, & inter tuos connumerari, & optaui ſemper, & ſperaui: at obuium habere te vltrò me tam benigniter, tam amicis, tam liberalibus pollicitationibus adeũtem, & quaſi*

ſi

ſi ad amicitiam, (ſi licet, ſed per te licet) vocantem tuam, & ſpem meã & votum omne ſuperauit. Quid enim, aut quantum eſt ab? eo inuitari, à quo fuerat ſatis non excludi. quamquam feciſti rem & ſi non me, te tamen dignam. Poteram enim pro meis meritis non admitti, non poteram pro tua humanitate etiam non vocari. Quamobrem quantum aut mihi gaudeam, aut tibi debeam, quo pacto explicem, qui nec concipio? certè ob hæc tanto magis tibi debeo, quanto minus hæc nulla ex parte mihi tu debeas. Neque enim illa mihi ſunt nimis grandia & nimis multa, quæ & Matthæus, & amici reliqui retulerunt ex voluntate potius quàm ex iudicio me extimantes; ſed qualis tamen, aut quantus ſum, patiare me quoque inter omnes eſſe, qui tuas virtutes (vt taceam cætera) colunt & admirantur, per quas in te eſt videre, & quod vincat antiquitatem, & quod vinci à iunioribus non poſſit, vt dixerim hoc merito, cùm in te nihil quod vel in honeſto, vel prudentia, vel doctrina ſit poſitũ, deſideratẽ, deſiderari hoc vnũ debere ab oĩbus, vt per te aliquãdo, iuxta Platonis votũ, ſumma potentia cum ſumma ſapientia coniungatur. Sed hęc adeo, à te iterum peto & rogo, vt mihi non referendæ gratiæ, (neque enim locus eſt aut per tuam amplitudinem aut per meam tenuitatem) ſed teſtandi animi erga te mei, teſtandæ fidei & obſeruantiæ occaſionem præſtes, experiens Ioannem Picum hominem ſupra omnem opinionem tibi deditum & deuo-

deuotum, de quo polliceri magis tibi non potes: ſed ea oĩa potes qualiacunq; ſint, quæ ſunt in eo: quibus tu ipſe cùm vteris ſplendoris tui aliquid inuenies, fierique magna cum tua eſſe cœperint; quæ dum ſunt mea, magna eſſe non poſſunt.

CAROLVS. V. ROM. IMPER.
Philiberto Aurantio, Vgonique Moncatæ S.

MOLESTE *grauiterque tuli Romanæ vrbis direptionem. ſed quando facta infecta eſſe non poſſunt, æquum, piumque mihi videtur, vt Clementem Pont. miſſum faciatis, ac dimittatis, ac omni honore in priſtinam, dignitatem aſſerere curetis; mihi etiam gratiſſimum feceritis, ſi ſacroſanctam eius dignitatem obnixè defendi & coli patiamini, modò alicunde pecunia paretur, qua militibus merita ſtipendia perſoluantur; vt cùm tempus depoſcat, Germanorum legiones vrbe Roma aduerſus hoſtes educantur. Sedulò autem cauete certis obſidibus, ne Pontifex (ſi fortè iniuriæ nondum oblitus) hoſtilem animũ indueret, vobis nõ magnopere nocere poßit. Illud demum vos etiã atque etiam velim curare, ne res noſtræ aliquid capiant detrimenti. Valete.*

TARQVINIVS REX, VITELLIIS FRATRIBVS.

VOS *arbitror meminiſſe, Adoleſcentes optimi, quo vos amore ac pietate complexus ſemper fuerim, ita, vt veſtrum, Tarquiniorumque ipſorum diſcrimen nullum habuerim. At nunc ea viuendi libera ratione amiſſa, ſpecioſo libertatis nomine, non vni, ſed pluribus perditiſſimis hominibus ſeruire adacti eſtis. Me mitiſſimum regem planè omnes cognouiſtis, à quo facilè omnia impetrare erat: nunquam locus gratiæ beneficiò vè penes me defuit. Leges horum temporum ſunt res ſurdæ, & inexorabiles, nihil laxamenti, nihil veniæ habent, ſi quiſpiam veſtrum per adoleſcẽtiam modum excedat. Periculoſum eſt in tot humanis erroribus ſola innocentia viuere. Proinde, vt amicos Tarquino nomini forteſque adoleſcentes decet, inite cum legato meo eam debendæ vrbis rationem, vt & vos liberam vitam degere poßitis, Rexque veſter, regnum ſibi proditorum ſcelere ablatum tandem conſilio præſidioque veſtro recipiat. Valete, ac maturate.*

S. P. Q. R. PORSENAE AETRVSCO REGI.

SEDVLO *actum eſt per legatos tuos de Tarquinijs regibus admittendis. Sed res ea eſt huiuſmodi, vt breui tota confici non poſſit. Mittimus ad te*

te honeſtos patriciosque viros, ex quibus omnia facilè intelligas, ac imprimis eam eſſe omnium voluntatem, vt qui libertati in hac vrbe finis erit, idem vrbi ſit. proinde ſi ſaluam Romam eſſe velis, oramus, vt eam liberam eſſe patiaris, Sed hæc omnia coram per legatos noſtros copioſius. Vale.

S. P. Q. R. EQVIS.

CVM *Q. Fabius ex uobis paulò antè pacem Romam tuliſſet, æquum erat, vt idem Roma vobis volentibus bellum afferret. Quorum autem perfidia ac periurio bellum excitatum ſit, nórunt Dij ipſi teſtes & vltores. Verumtamen, vtcunque leuitate veſtra res ceſſerint, liberum eſt vobis pænitere, aut hoſtilia à nobis pati. ſi vos pæniteat, tutus receptus ad expertam clementiam vobis patet: ſin periurio gaudebitis, id memineritis, vos hoc intempeſtiuum bellum maiori Deorum immortalium, quàm hoſtium ira veſtro etiam incommodo maximo geſturos. Valete.*

M. FVRIVS CAMILLVS DICTAtor. S. P. Q. R.

IAMPRIDEM *nunciatum vobis fuit, Patres conſcripti, in agro Nepeſino non modò hoſtes à legionibus noſtris fuſos fugatosque fuiſſe, ſed caſtris quoque totis exutos, indeque ex ingenti præda*

quæſto-

quæſtorem magnam vim pecuniarum cepiſſe. Cùm autem ad Veios exercitus deductus ſit, certámque mihi victoriam in maniubs prorſus videam, huius opulētiſſimæ vrbis oppugnatione ſpolijsq; maximis tantū prædæ futurū compertum habeo, quantum non omnibus in vnum collatis antè bellis ſuperfuerit. Senatum ſuper partiendæ prædæ difficili negocio conſulendum duxi. A vobis igitur P.C. peto, vt me de tota hac re, ſpolijsque hoſtium certiorem faciatis, ac propediem omnia ex ſententia nobis ceſſura pro certo habeatis. In caſtris, ad Veios.

M. FVRIVS CAMILLVS. FALISCIS.

MITTO *ad vos ludi magiſtrum à liberis veſtris virgis cæſum, quòd illos nouo ſcelere nobis prodere voluerit. pueros veſtros miſſos facimus, quòd belli pacisque iura eſſe recordamur, iuſtéque ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus non aduerſus eam ætatem, cui etiam captis vrbibus parcitur: ſed aduerſus armatos, & ipſos, qui nec laceſſiti à noſtris caſtra Romana ad Veios oppugnarant. Ludi magiſter, quantum in ipſo fuit, vos vicit: ego Romanis artibus virtute, opere, armis ſicuti Veios, vos aliquando vincam.*

FALISCI. S.P.Q.R.

SATIS *periculi factum eſt virium noſtrarum, P. C. victi à vobis & ab Imperatore veſtro ſumus ea victoria, cui nec dij, nec homines inuideant. dedimus nos vobis rati, quo nihil victori pulchrius eſt, melius nos ſub Imperio veſtro, quàm legibus noſtris victuros. Euentu huius belli duo ſalutaria exempla prodita humano generi ſunt. vos fidem in bello quàm præſentem victoriam maluiſtis: nos fide prouocati victoriam vltrò detulimus. Sub ditione veſtra ſumus; mittite qui arma, qui obſides, qui vrbem patentibus portis accipiant, nec vos fidei noſtrę, nec nos Imperij veſtri pœnitebit. Si quid autem eſt quod à nobis prçterea velitis, de ijs omnibus legatos noſtros certiores faciatis. dabimus enim operam, vt nullis in rebus ſtudium noſtrum deſideretis.*

CAPVANI S. P. Q. R.

VRBIS *noſtræ inſtitutum vetus fuit, vt afflictis periclitantibusque amicorum rebus opem ſemper tulerit. Samnites bellum Sidicinis nobis coniunctiſſimis intulerant; quos dum pro viribus ab hoſtium iniuria vendicare nitimur, cæſis profligatisq́; copijs noſtris, eò deuenimus, vt pro laribus & focis tandem nobis pugnandum ſit. Verùm*

L cùm

cùm imprimis veſtra interſit, cuius Imperio vrbs Capua Sidiciniquę hoſtium an amicorum cedant: rerum, fortunarumque noſtrarum quicquid bello ſuperfuit, arbitrio veſtro dandum cenſuimus. Si nos defenditis, veſtri; ſi deſeritis hoſtium erimus. Capuam ergo, & Campaniam omnem veſtris, an ſamnitium viribus accedere malitis, deliberate. Pugnauimus tum pro Sidicinis, tum pro nobis, cùm videremus finitimum populum nefario Latrocinio Samnitium peti. Et vbi conflagraſſent Sidicini ad nos traiecturum incendium illud eſſe, quod & facilè euenit: nam, & duobus exercitibus cæſis, eos ſanguis fuſus explere non potuit, non populationes agrorũ, nõ prædę hominũ, atq; pecorũ, nõ incẽdia villarũ, non ruinæ, non omnia ferro igneque vaſtata, ſed cupiditas explenda eſt ea. Samnites ad oppugnandam Capuam rapit, aut delere vrbem pulcherrimam, aut ipſi poſſidere volunt. Sed vos potius Romani beneficio veſtro occupate eam quam illos habere per maleficium ſinatis, opemque labentibus nobis primùm feratis.

ALEXANDER, IOVIS HAMMONIS Filius, Olympiadi Matri S.

IAM *omnia cedunt virtuti noſtræ. Tandem capta eſt Tyros omnium vrbium munitiſſima. Sed & in oppugnatione huius, omniumque vrbium, te in quibuſcumque belli periculis, nihil eſt, quod de ſalute*

ſalute noſtrâ quicquam dubites, cum Iouis filium Iouis præſidio tutum neci ſubtrahi, perpetuoque ſeruari maximè deceat. Vale.

OLYMPIA. ALEXANDRO Macedoni Filio.

MAXIMA *lætitia me affecit victoria oppugnatæ vrbis munitiſſimæ, resq; à te præclarè geſtæ in inſcriptio literum me aliquantiſper læſiſſet, quòd Iouis filium te appellaueris. amabo te, mi fili, quieſce, neque deferas me, neque criminere aduerſus Iunonem magnum mihi prorſus illa malum dabit, cùm tu me literis tuis pellicem illi eſſe confitearis.*

Q. FABIVS MAX. MAGISTER equitum. S. P. Q. R.

MIHI *nunciatum fuerat per exploratores, apud Samnites hoſtes eſſe oīa ſoluta, ac ſi nemo Romanus in Samnio eſſet: ego verò occaſione rei bene gerendæ adductus, exercitu inſtructo paratoque ad Imbrinium profectus acie cum hoſtibus conflixi, ea fortuna pugnæ fuit, vt res geri melius non potuerit: equis, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterant hoſtium agmen, frenos detraxi, atque ita concitatos calcaribus immiſi, vt ſuſtinere eos nulla vis poſſet: ſecutus pedes*

impetum equitium turbatis hoſtibus intulit ſigna, viginti hoſtium millia cæſa ſunt. Hac re iniuſſu Dictatoris præclarè geſta, non video cur Papyrius dignitati ſuæ detractum exiſtimet. Illud tamen mihi conſcius ſum, me cum maximo etiam capitis, ac fortunarum periculo nihil vnquam prætermiſſurum, quod ex vſu reip. futurum putem.

C. PONTIVS, SAMITIVM IMPERATOR, Herennio. patri optimo.

AVDIERAM *Romanas copias ad nos aduentare, quas conſilijs potius quàm armis delere animum induxi: milites decem, paſtorum veſte indutos in conſpectum Romanorum cum multa vi pecorum miſi: qui vbi inciderent in prædatores, vno ore legiones noſtras in Apulia ad Luceriã eſſe dicerent. iam & hic rumor ad Romanos peruaſerat. Sed fidem auxere captiui, hoſtes anguſta via breuiſſimum iter in Apuliam capeſcentes inſidijs circumuenti ſunt ad Caudinas furculas, inter duos ſaltus clauſi, vt nulla ratione, nulla vi euadere poſſint. Quid de Romanis legionibus decernamus, ſatis non conſtat; te per literas conſulendum cenſuimus. Tu pro tua prudentia ſtatues, quomodo triginta annorum iniurias ab Romanis paſſas vlciſci poſſimus. Vale.*

HERENNIVS. C. PONTIO FILIO.

LEGIONES *Romanas Caudinis furculis circumuentas, gaudeam neceſſe eſt: ego verò primùm illæſas & nulla contumelia dimittendas putaueram; quod & nuper per nuncios vobis mandaueram. Sed cùm diutius percutando de me quæratis, quid de iiſdem copijs decernendum ſit, ego tum demum ad vnum omnes cædendos cenſeo. Vale.*

M. AVRELIVS ROM. IMPER.
Pyramoni ſuo.

PRIDIE *Calendas Februarij tuas literas accepi, quibus noſtris ſuperioribus reſpondebas. Verba earum literarum non magnopere curo, abdita autem illarum ſenſa maximi facio. æquum fuiſſet, te conſiliorum meorum rationes intelligere, cùm diu ac multum de hiſce rebus perſcripſerim. Sed adeò ſtolidus es, vt nec vocatus audias, nec pulſatus etiam ſentire videaris. qua nos mutua affinitate coniuncti eſſemus, quàm veteri neceſſitudine, quo amore firmati, quàmque corde molles, quæ etiam pericula amoris mutui fecerimus, omnia diligentiſſimè conſcripta ſunt. Meminiſſe enim debes, cùm Rhodi ageremus, nos vna in domo commorantes, vnis epulis communibus vtentes, quod tu cogitatione concipiebas, ego opere factiſque*

conficiebam: quod ego dicebam, nunquam aduerſabaris: tu cordi meo, ego præcordijs tuis ineram, ego Pyramon, tu Marcus eras, alter alterum referebat; duo quidem videbamur, vnica tamen voluntas ſuberat. Quid hoc eſt quod tanto mœrore affectum te dicis, nec, cur ita labores, ſcribis? Tibi mortem imminere inquis eum verò qui te enecet, prorſus retices. niſi miſerias tuas mihi impertiaris profectò ſcias, me id abs te iure optimo pro amicitia repetiturum. Hoc à Dijs immortalibus conſtitutum eſt, voluptates, commodaque omnia domo mea arceri calamitates aũt, ac ægritudines mihi totas inhærere, poſteaquam infœlicium oĩum princeps ſum. Tu quamuis cupias Imperium conditionemque meam effugere, ratione nulla potes. nam ſi doleas, quòd infœlix in fœlicibus rerum euentibus ſis, erit quod in infortunijs me fortunatum appellem. Dicas mihi, quæſo, quo nam vnquam tempore cùm fame laborares, me ſaturum conſpexiſti? dormientem cùm tu vigil eſſes? me quieſcentem, te defeſſum? hoc non ſatis memini profectò, tametſi corpora ipſa & fortunæ omnes meę conſerentur, erumnæ tamen infortuniaque ipſa communia mihi extiterunt. Vnum eſt quod tibi conſtituere certò debes, ſi modò beneuolentiam noſtram ſubſiſtere cupis; vt bona, fortunæque tuum peculium ſint; erumnas autem mihi vniuerſas condones meaſque ducas: ad delitias natus es, ego ad perpetuos fortunæ ictus exponor, Caue exiſtimes

me iſtud ficto animo dicere, poſteaquàm re expertus fuiſti obitu ſororis tuæ pulcherrimæ ac præſtantiſſimæ qualis ergà vos eſſem: animaduertere potuiſti dum ipſam exanimen humi condebant, me ad huc viuentem tumulari, oculoſque tuos ad meas lachrymas ridentes apparuiſſe. Quæ cùm ita ſint, tibique de me multa polliceri poſſis, tutò iam erumnas tuas recenſere mihi debes. Sæpe abs te id petij, veruntamen nunquam veram rationem extorquere potui. Quapropter te etiam atque etiam rogo, Deoſque obteſtor, vt arcam erumnarum tuarum intra præcordiorum meorum occultam ponas, ego ne tranſuerſum quidem vnguem abs te recedam: ſi profeciſcaris, proficiſcar; ſi conſiſtas, conſiſtam; ſi agitaberis, agitabor; ſi quieſcas, quieſcam: denique ſi mortem tibi depoſcas, ego vtique vitam non petam. delige Pyramon quod lubet, calamitates tuæ, acerbitaſque meæ vnicum cor torqueant, lacerentque neceſſe eſt. Si ægritudinem cupias, voluptates omnes auerſor; ſi te luctui dedas, me nullo vnquam tempore riſurum, Deos omnes obteſtor. Si molem luctus deponere conſtitueris, ego illam totam humeris ſubire auſim. Si tibi ſolitudo probetur, valeant hominum cœtus; ſi cœtus hominum probes, valeant ſolitudines. Quid aliud eſt, quod velis, quin ego vltrò appetam? doles in tantis rerum difficultatibus, nec tibi affinem auxilio, nec amicum ſolatio ſupereſſe: mihi credas velim, domi meæ ha-

rum rerum tantā eſſe penuriam, quantū intra parietes tuos mœroris. Præſidium à locupletibus, conſilium à ſapientibus expectandum eſt. Sed cùm ob iniquam fatorum iram deſidia, mihi conſilium abſtuleritis, fortunaque nihil mihi rerum ſupereſſe paſſa fuerit, pro certo habeas me miſeriam tuam & minimum auxilium erga te meum deflere. Multa tibi ab amicis & Lugdunenſibus tuis tibi promiſſa dicis, nullaque ab ijs præſtita. Propterea nihil demiror, nam prudens manus non tenetur ea omnia facere, quæ fatua lingua pollicetur. ſi pedes noſtri ſaltarent, ac manus ad linguæ ſonum omnia agerent, breui & hominis vita & fama ipſa interirent. Id iampridem ab hominibus leuiſſimis vſu receptum eſt, linguam perniciſſimè loqui, manus ſerò ac ſegniter efficere. Quid eſt etiam quod doleas, te in alijs non deprehendere, quod multi in te non repererint? mos inualuit, vt quis maturè & alacriter quid accipiat, ſerò autem & ægre exhibeat: in altero proterui, in altero ſegnes & pigri. Græci nunquam bonum amicum cenſuerunt eum, qui cùm promittat aliquid, ſerò id præſtat; nos Romani meliorem illum, qui ſedulò negat, nec decipit petentem, iudicamus. Quocirca ita ſentio eū, q cùm poſſit, nō dat, eſſe hoſtem apertum, eum qui quamprimùm pollicetur, ſeroque dat, ſuſpectum amicum eſſe. Quid amici noſtri verbis indigent, cùm factis ijs adeſſe poſſimus? Non eſt æquum, nos dare linguam peſſimam

ſimam omnium corporis partium illi, qui nobis cor potiſſimam viſcerum partem donauit. id non lex amicitiæ patitur, vt cùm ab amico citiſſimum auxilium expectem, is ſerò reſpondeat, deinde longum mihi conſilium exhibeat. Diuinus Plato in ſuis legibus aiebat: Nos iubemus in republica noſtra fæliciter agentibus conſilium dari, ne corruant; miſeris auxilium, ne animum deſpondeant. multa, & grauiſſima conſilia ijs verbis inſunt. Tute ipſe noſti, Pyramon, affecto cordi mitia verba minimum prodeſſe; idem & de condolentia, niſi vtraque alicui operi annectatur. Neque ego negare auſim, eos, quibus voluntates noſtras ſecundis temporibus noſtris exhibuimus, teneri nobis fortunas ſuas, præſidia, clientelas in aduerſis rebus impartire. Verùm libẽter abs te ſcirem, cur tu audacius tibi quicquam dari depoſcas, aliosque libere negantes reprehendere non verearis: etenim vt verecundus in petendo nihil ſibi negari patitur, ita impudens ac importunus non omnia, quæ petit, impetrare debet: quicquid poſtulas conſequi, eſt deorum immortalium: dare quicquid petatur, eſt ſeruorum. negare aliquid eſt liberorum hominum; flere, ſi quippiam negetur, puerile eſt: acceptorum munerum obliuiſci, barbarorum; ob negata obſequia præſenti animo eſſe, Romanę virtutis eſt, in quo C. Cæſar maximi animi virum ſe geſsit, qui ſi quippiam in ſenatu ſibi negaretur tum magis lętabatur: aiebat enim, Romæ nihil ſibi maiori gloriæ

eſſe, quàm cùm anxiè aliquid à Senatu contenderet, inuitis patribus id extorqueret, ac exinde virium ſuarum robur oſtentaret, ſenatus imbecillus prorſus dignoſceretur. Tutius eſt virtute Deorum beneuolentiam promerere, quàm pluribus querelis eorum animos irritare. hac imprimis ratione voluntatem tuam cohibebis. Cùm te deiectum iuſtis petitionibus penes Deos hominesque conſpexeris, tunc tu æqua lance quàm multa tibi Dij dederint, quàm pauca negauerint perpendas. O nos ingratos homines Dijs hominibusque inſenſos: qui accepta obliuione imminuimus, negataq; ingentibus verborum bombis augemus. Ni mea me fallit opinio, Pyramon, natus es quinquaginta annos, quibus totis de me aliquid muneris ſemper tuliſti, cùm ne vnam quidem ſolam diem alteri inſeruieris, nihil eſt quod aduerſa octo dierum fortuna te excrucies, cui quinquaginta totos annos ingratus extiteris. Te Lugdunenſium tuorum inuidia imprimis Torqueri ſcribis: doleo dolorem tuum, admirationemq; tuā admiror. nā ea ex ignoratione naſcitur. viuax eſt hominū iudiciū, inſtructa hominū vita adeò eſt, vt malū ſibi ingruere vix ſomniet, quin continuò medicina præſto ſit. Si fame laborant, comedunt; ſi frigeſcunt propius ignem accedunt; ſi ſomno grauentur, dormiunt: defeſſi, quieſcunt; egri, valetudinem curant; mœſti, ſolatia quærunt ita vt moleſtiā illā exuāt, alij ſpiculis cōficiendis, alij belli ſimulachris ciendis, alij aggeribus conſtruendis ar

man-

mandiſq; , demq; animaduertimus humanos affe-ctus libidinemq; nihil magis q̃ vt nos oppugneat cu rare. Quocirca toto vitæ noſtro curriculo nos ab ijs tueri imprimis oportet. Hæc omnia conſilia nos aduerſus humauos affectus armant; Sed quod armorum genus homines ab inuidiæ telis tutari poterit? O infœlicia bona, deuitiæque perditiſſimæ, quibus vniuerſi inuident; profectò aduerſus ipſam nullus tantum roboris habet, vt ſe tueatur, nullum antrum ad deliteſcendum, nullum cacumen quo aſcendat; non montes ad quos ſe recipiat, ſyluam ad latebras, nauim ad fugam, equum ad curſus, pecunias quibus ſe eximere ab ipſa valeat reperire poteſt. Inuidia eſt anguis adeò veneficus, vt nullus omnium hominum vnquam fuerit, quem non inuidiæ dentes aliquando momorderint, pedes calcauerint, venenum infecerit. Teſtor Deos Optimos Maximos ipſam hanc peſtem locupletiores ac præſtantiores quaſi hoſtes infenſiores impetere: ijs autem qui in delitijs degunt, eadem hæc occultos ictus infligit. euolui libellos complurimos conſului, doctiſſimos viros ſciſcitatus ſum, an ratione aliqua ab inuido homine me tueri poſſem: vnicum mihi remedium ſe ſe obtulit, iactura fortunarum rerumque omnium, miſeriaque ipſa. O infœlices fortunatos homines, o miſeri locupletiores, qui Scyllam effugere non poſſunt, quin Caribdi vorticibus abſorbeãtur, nec euadere periculum, niſi auri fortunarumque iacturam faciant. Morbus inui-

diæ

diæ eos morte non eximet, nec pharmacum appoſitum vulnus curabit. Mihi ſatis non conſtat, quid ſtatius ſit, vel quod minus malum, extrema miſeria nulli obnoxia fortunæ, aut ſupremæ fœlicitatis faſtigium, quod dies & noctes ruinam & occaſum minitetur. in re tam ancipiti, non me ſatis explico, cùm in altero vitæ ſalus, in altero fama periclitetur. Cicero cùm ſibi multos Romæ hoſtes inſidiari videret, dicere ſolebat; O Quirites, neque vos ita bonos viros, neque me ita perdictum hominem cenſeo, vt vos de me omnia vera decatis, egoq; proſus omnia mentiare. Scio planè vos non inuidere mihi, quòd non ſim vos; ſed quòd vos me eſſe non poſſitis. Propterea malo inimicos mihi inuidere, quàm amicos vices calamitatum mearum dolere. Profectò orator ampliſſimus ad fœlicium fœlicitatem loquutus eſt, nullum miſeris remedium portans. Pyramon tibi polliceor, in meque recipio, Ciceronem, poſtquàm Pharſaliæ acies vidit, omnia facturum fuiſſe Romæ, vt bonis fortuniſque ſuis parceretur: ſed dignitati nominiq; eius non pepercit quod tutamen aduerſus inuidiam tibi dem, cùm omnia inuidiæ plena comperiamus, inuidiæ filij ſumus, cum inuidia naſcimur, cum inuidia morimur, quicunque multas diuitias moriens relinquit, multa etiam inuidia illum ſequitur. Veteres ij ſapientiſſimi viri locupletes conſulebant, ne penes ſe pauperes haberent: pauperes ne penes diuites agerent, idque rationi congruum videbatur;

nam

nam in diuitijs locupletis ſemen inuidiæ pauperis naſcitur, & ex eo quod deeſt egeno, ſupereſtque diuiti, populus miſcet tumultus; Pyramon mihi credas, quot diuites & delitioſos auaritia gignit, tot inuidos carnificesque conflat inuidia. Attamen ſcias non eſſe ſanum conſilium, vt effugiatur inuidia à virtute illi inimica ſecedere. Refert Homerus duos, Græcorum ea tempeſtate duo extrema contingentes: alterum rebus præclarè geſtis maximè clarum, ſed imprimis inuidiæ obnoxium & hic Achilles erat. Alterum improbitate inſignem, cui nunquam inuidia obſtiterit, & hic Therſites fuit. Ego profectò mallem eſſe Achilles obnoxius inuidiæ, quàm Therſites ab illa immunis. Illud meminiſſe potes, Pyramon, nos Romanos in vita nihil præter quietem, in morte nihil præter gloriam quærere. Quæ cùm ita ſint, fieri non poteſt, quin is cui vniuerſi inuideat, famam extollat, vitamque pacatiſſimam degat. Quæ duo cùm in te dignoſcamus nos amici, quidquid de te maledicant inimici, non magnopere curamus. Lugduni omnes bene valere gaudereque ſcribis, præter te vnum, qui malè affectus, ægerq; eſſes; tu cùm eos tuis incommodis lætari non videas, eorum commodis dolere non debes. nam fieri poſſet, vt eorum quiſpiam lugeat, tuque gaudeas. itaque eandem fortunam ſentietis. Nulla maior improbitas in perdito homine ineſſe poteſt, nullumq; maius crimen in bono viro, quàm dolere

alterius commutis, gaudereque alterius incommodis. Nam tametſi omnes nos inuidia lædat, tamen multò magis nobis amicus quàm inimicus officit. ab hoſte enim caueo; illeque timens recedit; amicus verò amicitiæ fœdere me decipit, egoque beneuolentia fretus ab illo nihil ſuſpicor mali. nullus hoſtium inſenſior amico inuidente; idque tibi perſuaſum iri volo, vt ſi ab inimicis paſſim caueas, domeſticos amicos prorſus non negligas. Quid preterea dicam? doleo ex animo vices tuas. Non te fugit, Briſſam neptem tuam virum pugione confodiſſe: miſerer me vitæ, quam ille amiſit, & nominis quod reliquit. Flauius Priſcus auunculus tuus nunc nouus cenſor factus eſt. Lis fratris tui Phormionis cum Britio tota ab Senatu iudicijs confecta eſt: eos adhuc amicos eſſe maximè probo, quorum vterque ſententiæ ſenatus acquieſcebat. Libellus qui inſcribitur, Conſolatio miſerorum, iam cõfectus eſt, eum in Capitolium locaui, ac Græcum facio: propterea eum ad te non miſi. enſem maximè pretij, balthæumque pulcherrimum ad te mitto. Fauſtina ſalutem impertit, & vxori tuæ ſeruas duas dono dat. Dij mihi adſint cuſtodes, teque omnibus incommodis exuant. Vale.

MARCVS AVR. ROM. IMPERATOR, Torquato exuli.

IAMPRIDEM *tribus ferè menſibus tranſactis literas*

literas tuas accepi, quas oculi mei nec totas legere nec reſpondere potuere. mæror ægritudoque animi tui, tanto me dolore afficit; vt ego apertas lachrymas tuas intimis præcordiorum fletibus ſequar. Optimè ſciò quantum inter arborem ac vmbram fictum & verum interſit, tantum intereſſe audire calamitates ab illo qui eas nō experitur, atq; ab illo qui ſenſu corporis eas percipiat. Sed vbicunq; amici veri ſunt, communia ſunt incōmoda, inſignesq; calamitates inſignes nobis amicos declarāt. Mihi nūc ia tū eſt, te Roma exulare, bona tua publicata, ad hæc etiā te mœrore cōfectum in grauiſſimam valetudinē incidiſſe. Veniſſem ad te quā libentiſſimè, vt aliquid ſolaminis tibi darem, coramque oſtenderem quàm ex animo cladem tuam lugerem. Sed & hoc mihi non licuit: tu verò, ſi me tibi amicum credis, tantum fidei mihi præſtes, quantum ego tibi. Is enim acerbiſſimus caſus adeo mihi animo inſedit, ſi tu corpore exulis, ego corde: ſi tibi bona publicata, mihi optima tua neceſſitudo ablata; ſi amicis cares, ego in maxima hoſtium frequentia egeſtate conficior. Attamen cum facto reque ipſa exilio tuo ſuccurre non poſſim, optimum fuerit me ſpiritum tuum aliquo verbo conſolari. Nunquam memini me in hac vita te ridentem vidiſſe; nam & in fœlici fortuna ſtomachabaris, in aduerſa tædio detinebaris nunc verò te ita abiecto animo video, ac ſi nuper natus eſſes. Duos & triginta annos te amicum fortunam. cognoui

gnoui, nunc verò doles, te ab illa ſex menſibus deſtitutũ iri? Torquate, an neſcis viros ſapientes plus timere dies duos fœlices, quàm ducentos aduerſæ fortunæ? O quotiens quibuſue in locis vterque noſtrum in ſecundis rebus plurimos vidit excidere aliorum incommodo, proprijs ſceleribus contaminatos, peregrinis etiam ſimultatibus oneratos, ita vt inanis gloria, & rerum fœlicium curſus breui interciſus ſit, & dolor autem perditarum rerum, ſæuęque inimicitiæ, quas ſibi conflauerunt, ad hanc vſque diem penes nepotes ſuos etiam perdurant. Adhæc cùm plurimos conſpicati ſumus totos calamitatibus obrutos, ex ijs tandem aliquot vitijs ingentibus exutos, virtute ſuffultos, nequitiæ hoſtes, probitatis amicos, omnibus coniunctos, nulli infenſos emerſiſſe. Quid tibi præterea dicam, præterquàm fœlices homines pace vinci, miſeros verò bello victores redire? Torquate mi, non minus egere conſilijs fœlices viri, quàm præſidijs miſeri homines mihi videntur. nam non minus fatigantur incedentes per plana & depreſſa loca, quàm qui per rupes & ſaxa. Animaduerti ex literis tuis, te quo tempore quietem ſperabas ab laboribus, eo tibi perturbationes maximas, moleſtiasque grauiſſimas eueniſſe. Hoc te non deterreat: nam, vt rerum permutatio aliquid præſentis ſtatus immutet, ea tamen futuri firmamentum maius polliceri conſueuerit. Nulla arbor tantum fert fructus vbi naſcitur, quantum ibi vbi denuò ſcritur; ipſique

odores

odores quò magis conteruntur, eò ſuauius redolent. Dic mihi ſodes, cùm tu terram inhabites, terræ filius ſis, amans terram; quid à terra præter terram ipſam expectabas? terra enim ſemper terra, nunc terra & eſt & erit, ſuosque terreſtres homines vti terreos agnoſcet. Si temetipſum ſi imbecillitatem tuam, ſi fortunam, variasque illius vices agnouiſſes, ſi hominum, ſcelerumque illorum, ſi terræ illecebras cognouiſſes & cum maxima dignitate tua tibi ipſi conſuluiſſes: nequæ ij cum dedecore te vrbe eieciſſent. quot inermes expectamus fortunam? quàm ſecuri vitam viuimus? quàm tutò cubamus, quantum terræ, vrbisque ipſius fidimus, quaſi illa nullum omnium hominum circunuenerit? non ego dico, vt illam auribus attentis audiamus, nec monumentis literarum legamus; ſed vt quotidie oculis ipſis conſpiciamus aliquot homines labi, alios fortunarum iacturam facere, alios pronos cadere, honoris periculum adire, alios præcipiti caſu occumbere: attamen nos omnes liberos & immunes ſingulari lege exiſtimamus. Illud pro certo habeas, Torquate mi, adeò improbos eſſe homines, ex quibus naſcimur, terrã, qua cũ viuimus, eſſe animal ita indomitũ, fortunã, qua cũ luctamur, eſſe anguẽ ita ueneficiũ, vt aut eorum pedibus peſſum dati, detibus appetiti, vnguibus lacerati, veneno infecti, nullus mortem, nullus vitam pertineſcat qui prius cùm fortuna digladietur. at ſi quiſpiam ſupereſt, qui tibi immunis videatur, nè illi in-

 uideas.

uideas. non enim id fœlicitates, ſed grauioris ſupplicij pœna eſt. nam mundus apprimè fallax eſt. ibi enim inſidias parat, vbi facilius ac maiori detrimento fallere poſſe animaduertat, citiùs incolumes paucorum dierum ſpacio, quàm imbecilles valetudine multorum annorum moriuntur. Hoc eò dico: nam tutius mihi videtur hominem miſerum (cùm à calamitatibus immunis eſſe non poſſit) paulatim ærumnas experiri, quàm earum mole ingenti ſemel obrutũ iri. Multa conciſa in fruſtra commenduntur, quæ ſolida abſumi nulla ratione poſſint. Nos itaque Multa incommoda multis varijs diebus ferimus, quæ vna die nos obruerent. Sed qñ Dijs ita volentibus te cadere oportuit, flumenq́; ex alueo ꝓfluit vbi tutiſſimè te agere exiſtimabas aliquod tibi præſidium afferre prorſus voluimus, ne famæ nominisque boni iacturam facias, qui fortunarũ peſſimarum aleã ieceris. Cur doles, quaſi æger? quid clamas, quaſi demẽs? quid emittis ſuſpiria, quaſi ſpe deiectus? quid lachrymas, quaſi infans? rupem aſcendiſti, & te defeſſum dicis: in ſpinas conieciſti, tibi veſtis laceratas quereris; ſublimia conſcendiſti, teque præcipitatum nolles; humi ſedere voluiſti, cœlum tamen contingere arbitrabare: à fortuna multis infenſa immunitatem petis, quam tibi ne natura mater quidem dare poſſet. tibi ne mare tranquillum perpetuò eſſe debet? Cœlum ſerenum? æſtas ferre flores, hyems niues? non profectò; quomodo verò quod natura pia mater ti-

bi non pollicebatur, à fortuna nouerca tibi præſtari exiſtimabas? Id nunquam tuo ex animo defluat, naturalis curſus vnoquoque anno mutationi obnoxios eſſe; terrenoſque homines fortunæ veſtigia ſectantes, ad momenta temporis eclypſim pati, poſteaquam natura bona eundem ſtatum non ſemper patiuntur: æquiſſimumque eſt, ea fortunæ bona interire, quippe quàm ſuperflua prorſus ſint. Iniqui Dÿ immortales fuiſſent; ſi perpetuum feciſſent quod omnibus detrimento eſt; fragile verò quod vſui hominibus foret. Nihil præterea dicam de prioribus rebus tuis ſecundis, nihil de tuo exilio; ſuſpicax fortuna licitationi rem propoſuit, ſibi conſcia quid venderet, cùm tu quid emeres nihil ſcires; quod maximum omnium erat, vili pretio vendidit, quod viliſſimùm ingentibus pecunÿs dedit. acre pro dulci, dulce pro acri, malam pro bono, bonum pro malo, exibuit. O nos miſeros, nihil præter mendacia venditur in ÿs fortunæ nundinis, nihil creditur niſi captis pignoribus famæ noſtrę, nihil niſi vitę noſtræ ſtipe ſoluitur. Et quod deterius eſt, cùm omnes, ſciant ſe iacturam aliquam facturos, ſi tecum paciſcantur, omnes tamen tecum negocÿs implicantur. Te aliquando cautum iudicaui, nunc te fatuũ palàm oſtendis, cùm te Gaietę adoleſcentẽ vidiſſem, Romano Imperio dignum cenſui; nunc verò te ad triremes quaſi fatuum & delirum ſenem damna nolũ iudicarem; multa in homine cognoſcenda. Nulla ſylvarum faſtigia adeo

 ſumma

ſumma ſunt, quæ pedibus non terantur, nullum mare ita profundum, quod plumbum non contingat; cor tamen hominis nullus intelligit. Quid tu quæſo, à fortuna expectabas? vani homines agant vt lubet, deſipiſcant, vt placet, tandem improbæ eorum cupiditates non auferent terræ innatam veterem nequitiam. Quod fortuna non effecit cùm illo, quem ad cælos vſque ſublimè rapuit, arbitraris tecum facturam? demẽs, te mare tutum à periculis nauigaturũ putaſti? empturũ carnes abſq; oſſibus? vinũ bibere defecatiſſimum? incedere per limũ, nec deturpari? colligere triticũ ſine ſtipulis? nunquid tibi pſuaſum erat congerere multos improbos theſauros ſine detrimẽto honeſti nominis ac famæ? aut tueri famã honeſtã ſine iactura inhoneſtarũ fortunarum? libentèr abs te ſcirem quid ſperares, dum, hilares vultus mundo oſtentares triginta duos annos illi amicus extitiſti. Iam tempus appetebat maturum, quo inter vos aliquid controuerſiarum naſceretur. Belo Aſſyriorum regi ad ſeptem annos fælicitatis datum eſt Semyramidi Reginæ ſex, inclyto Regi Lacedomoniorum quinque, Caldeorum Imperatori quatuor, Alexandro Macedoni item quatuor, Amilchari duo, & C. Cæſari, totq; alijs innumerabilibus ante & poſt te, nulli quantũ tibi ſecundæ fortunæ tametſi ſummo loco, tu verò humili natus eſſes, tu verò ſi multo ingenio, ac prudentia præſtitiſſes Totos triginta illos annos nunquam abſque graui cura comediſſes

diſſes, ſine ſuſpitione locutus non fuiſſes, neque tu ſine timore cubaſſes, tecum ipſe cogitans quo errore duci potuiſſes, & in quo fortuna tibi obeſſe, hominesque improbi decipere valuiſſent. Ego ſæpe me cum animo voluo, ſi fortuna perpetuò faueat hominibus, quantum illi ſit infenſa: eſt profectò ſolidiores honores penes nos quã Dij immortales habitura, poſteaquam homines quantumcumque fortunæ ictibus petiti illi blandiantur, inque ipſam plurimum ſpei ſuæ ponunt. Hæc volui ſcripſiſſe, Torquate mi; vt futuris temporibus maiorem rationem de fortunæ rebus habeas, inque his curis aliquid oblectamenti capias: aſſerit autem diuinus Plato, fortunatos homines non minus egere optimis conſilijs, quàm præſidio miſeros: nam Dij voluerunt non minus ineſſe tedij hominibus in ſublimimum fortuna, quàm moleſtiæ in graui ac profligata. Id poſtremò ſcias velim, te quàm diù victurus es, oportere æquo animo ferre quæcumque paſſim eueniant, quippe, quæ fortunæ arbitrio agantur. Si enim mundus hic pacificus ſtabilis, ſobrius, verax, correctioni obnoxius eſſet, non vtique mundus eſſet, nec ratione alia hoc nomine cenſetur, quàm quod in toto terrarum orbe nihil niſi maxima reprehenſione dignum nſit. Pullus, quem ad me miſiſti, mihi maxime probatur, in imprimis, quòd frenum, audit ac facilè hinc inde voluitur, mitto ad te duo millia ſextertiorum, & ea ad leuamen depræſſæ fortunæ tuæ, quod ad

exitium pertinet, agam ſedulò in ſenatu. Vale.

M. AVRELIVS ROM. IMP. CLAVDIO, Claudinæque, ſenioribus, iuuenilia ſectantibus.

PROFECTO *neceſſarij mei, vos mihi deuinctos eſſe maxime decet; nam omnes, qui inde ad nos veniunt, quid agatis ſedulò percunctor, & verbis omnium ad eò proficiſcentium vobis ſalutem impertior. quo verò amore proſequar, teſtantur corda animique, vt quòd ſi animus veſter de mea erga vos beneuolentia quid ſuſpicatur, facta me mea ab omni huiuſmodi impetitione tueantur: facta enim amicè ac liberaliter, muneraque munificentiſſima, quæ de me accepiſtis, ſæuam obliuionem abſentiæ meæ delere facilè poſſunt. ſi nulla in re mendacijs vobiſcum egi, vos omnes rogatos velim, ne mecum verè vnquam agatis. Itaque poſteaquàm optimus coniunctiſſimus laribus etiam fui, ſi in hiſce locis dignitatem meam tueri oporteat, quæſo vos, vt illi amicos eſſe imprimis velitis. Dicebat enim diuinus Plato, & egregiè quidem: Eum, qui ex animo amat, neque abſentem amicum obliuiſci, neque præſentem efferueſcere, neque in ſecunda fortuna tolli, neque in aduerſa ſecernere, neque propoſitis commodis moueri, neque aliquo queſtu illum amare, ſed amici rem totam quaſi rem ſuam ac ſemetipſum tueri. Cur autem amicitiæ*

vſu

vſu receptæ ſint, variæ doctiſſimorum hominum ſententiæ extiterunt. Sed quatuor imprimis rationibus inuectæ ſunt. Primùm, vt familiari neceſſitudine amicis vteremur, iam habitâ ratione ſuſpicionum & curarum huius vitæ, nullum tempus ſuauius impedimus, quàm quod in dulcis amici neceſſitudine conteritur, vt illi curas tuas impertiat. maximum enim ſolamen eſt ægro animo, miſerias ſuas amico enumerare, videreq́; ipſum earundem participem. Eligitur item amicus, vt noſtris egeſtatibus præſto ſit. nam parui mihi refert, vt doleat amicus, niſi & idem (ſi poſſit) opituletur. Item rerum fortunarumq́ue noſtrarum tutores, & erratorum noſtrorum caſtigatores ſint. nam verus amicus non minus à vitijs, quæ me deturpant, auocare tenetur, quàm inimicis, qui me perdunt, vindicare. Hæc vobis recenſere volui, tum vt dignitatis meæ defenſores vos habeam, tum ne miremini ſi in ijs literis duram aliquam hortationem (tametſi ſenectutem veſtrã magis monere, quàm moneri æquum ſit) inueneritis, perpendentis officium meum, ac beneuolentiam, qua vos proſequor, me, id vt dicam, adhortari, fidemque iamdiu debitam, vt id taceam, non pati; nam multa prius ab amicis pati licèt ſeriò dicant quàm ab alijs, licèt iocò, par eſt. C. Furius, tanta mihi neceſſitudine, quanta vobis affinitate coniunctus; cùm ad regna Palæſtinæ contenderet, huc Antiochiam ad me viſendum venit; multa mihi ex Italia & noua & inſpe-

tata narrauit. Id autem imprimis quod mihi riſum audienti mouit, ac demum diu cogitati ad miſericordiam deduxit. Aliqua enim, quæ iocoſe nobis primò videntur, ſi deligentius ea intuamur, non riſum, ſed mœrorem maximũ inducunt. Hadrianus Imperator ſcurram quendam Belphum nomine domi habebat adoleſcentem, & gratum & calidum, quamuis, vt vulgus horum hominum eſſe ſolet: cœnantibus verò Legatis quibuſdam Germaniæ vnà cum Imperatore, is quoſdam ſales & dicteria menſæ immiſcuit, quæ tamen aliquantiſper pungebant, & hominem verſutum olebant. quod tandem ſapiens Imperator animaduertens, inquit: Quæſo te, Belphæ, ſi me ames, à ſalibus verſutis & pungentibus abſtineas, ne nos ſubtilis verborum ac rei indagatio diutius torqueat. Furius leuitatem veſtram mihi ſignificauit, quam audiens formidaui, & ſcribens pudore affectus ſum; nec modò quid mihi diceret, animaduerti, ſed quomodo abſque vllo dolore recenſere, ac ſi vtri ipſe nulla moleſtia ea diceret, eadem mihi audienti nullum dolorem inferrent, cognouerat vnumquodque verbum prolatum mihi eſſe iaculum, quod cor vulneraret, cum ſæpenumero vſuueniat, plurimos quidem iocoſa dicere. ſed ita tamen, vt quis potius dolore quàm gaudio afficiatur audiens. Retulit vos ſenes omnium iudicio decrepitos, ſed veſtra quidem ſententia iuniores cenſeri; quippe qui ita vos ornetis eleganter, quaſi nunc primùm in

vitam

vitam ac lucem prodeatis, eò quæ impudentiæ deueniſſe, vt nihil iniquiore animo feratis quàm cùm ſeniores vocemini. Quod autem ad ludos, feſtaque publica pertinet, vos ita promptos ac propenſos, vt primi omnium ad ea loca accedatis: nihilque denique leuitatis Romæ compertum eſt, quod non prius domi veſtræ inuentum ſit: vos totos oblectamentis datos, quaſi eos qui nulla incommoda reformident. ita me Dij ament, me pudet impudentiæ ueſtræ tantæ, dementiaque excrucior. Nam quo tempore maxima cum gloria conficere bellum deberetis, vos denuò nouis ſtipendijs mundo collum ſubdere cœpiſtis. Multa delinquunt homines, quibus aliqua excuſatione leuitatis arguuntur; at (vt verè dicam quid ſentiam) qua ratione leuitatemq; erratum veſtrum tueri poſſim, non inuenio. cur vos reprehendam, innumerabilia mihi ſuppetunt. Solon Athenienſis in ſuis legibus iubebat iuuenē qui deliquiſſet, leuiter verbis monendum, ac factis duriter quòd robuſtus eſſet, plectendum: ſenem verò leuiter puniendum & duriter monendum, quòd imbecillius eſſet. Longè ſecus Lycurgus ſentiebat in ſuis legibus Lacedomonijs, adoleſcentem aberrantem leui pœna afficiendum, duriter tamen monendum arbitrabatur quòd ignoratione delinqueret: ſenem verò leuiter monitum, maximis ſupplitijs afficiendum, quòd improbitate peccaret; ſed vtram malis harum legum admitti, vos grauiter & monen

dos & puniendos, quòd & iuuenes & ſenes vno eodemq; tẽpore ſitis, indico. Memini me intelligere Cludi, te adoleſcentem aliquando elegantem præſtantemque corpore fuiſſe; teque Claudinam tum pulchram cùm iucundam & gratam; ità vt vis tua multos alliceret, pulchritudinem autem vnus quiſque appeteret. Nunc nolo recenſere quàm egregie his bonis vſi ſitis; illud ſcio eſſe legem ſatis latam, vt qui multis ornamentis inſegnes, multis etiam vitijs obnoxij ſint. Qui tecum, ò Claudi, ludebant & luctabantur; qui te amabant, qui tibi inſeruiebant, Claudina, diem ſum obierunt. Voſque tandem nullam mortis cogitatione à dementia veſtra duci poteſtis. Dicite, quæſo, quæ oblectamenta ex vaniſſimis erroribus præteritis ſollatijs ſentilis? Si mihi verum effari liceat, nunc eſt quòd magis doleatis, quàm quòd gaudeatis: nam ijs ineptijs Deos iniuria affeciſtis, quibus breui de omnibus exactiſſimam rationem reddituri eſtis: hominibus peſſimo exemplo fuiſtis, qui dementiam veſtram derident. O fatui, vt præterit vita veſtra, quã nec viuere noui ſtis. Non enim iucundũ humanæ vitæ, vel breuitate uel diuturnitate, metiri debemus; ſed in eo, quòd quis eã præclarè optimeque gerat. O filij terræ, ò diſcipuli vanitatis, nunc demum, nec prius didiciſtis, euolare tempus ſine alis, vitam incedere ſine pedibus, fortunã digladiari ſine brachijs, [illegible] com meatum ſine vllo, verbis [illegible] homines nos decipere

pere, cōſiſtentibus oris labijs cōſumi carnes, nullis id animaduertentibus, emori cor, nullius præſidijs adiutum; gloriam noſtram quaſi nunquam obortam tranſire; mortem nobis ne pulſatis quidem foribus noſtris inſultare. Fieri non poteſt, vt in maris profundo accendatur ignis, ac in præcipiti loco viam æquam ſternere, florem iuuentæ ſenectutis æuo non areſcere. vos veris pueritiam iam pridem pertranſiſtis, vos iuuentæ æſtatem, vos autumni viriles annos, nunc hyemis ſenectutem ingreſſi eſtis, vbi non ſatis bene cohæret; caput veſtrum canis capillis albeſcere, idemque dementia cumulari. Nihil eſt, quod miremur, adoleſcentes voluptatibus vacare. quippe primùm ſeneſcere quàm mori opinentur, propoſita ſibi ſpe honeſtioris vitæ. at ſenes, qui poſt ſenectutem nihil præter mortem opperiri debent, longè omnium vitijs vacantes dementiores iudicandi ſunt. Mundus quo modo mundus quàm exiles vires noſtræ, quàm magna imbecillitas, vt is volens, noſque cùm id illi extorquere non poßimus, in periculoſum ſinum inſinuet, in denſioribus ſyluis nos abdat, in ripis maioribus fluuiorum nos ponat, vt extremo pedis nos præcipites dare melius poſſit. Quinquaginta duos annos in te natus ſum, ò Terra, quo toto tempore nunquam abs te veritatem elicui; nequeo coniectare, cur mundum, qui nos fugit, ſectemur, Deoſque nos ad ſe vocantes contemnamus. Ego mecum ipſe ſæpenumero percurro à princi-

pio

pio adoleſcentiæ meæ, & memini me Rhodi legiſſe iuuenilem carnem tum vilem, fragilem, cùm tene ram in veris tempore conſtitutam. eſſe in ſolitudine, ſolitudinemq; e vnà cum libertate mundum obfeciſſe, ac odorem ſenſiſſe, quem cùm ſenſiſſet, inſecutus eſt, eum dum inſectaretur, deprehendiſſe, deprehenſum delibaſſe, delibatum amarum ſibi viſum, quòd amarus eſſet, reiectum, reiectum deſeruiſſe, deſertum recepiſſe, receptum denique con uiuio à mundo ipſo adhibitum vltroque accurrentem, annos duos & quinquaginta panem eundem comedimus, domum eandem inhabitauimus. Itaq; vnà exiſtentes cum mundum mihi iratum cognoſcebam, illi deſeruiebam: ipſeque cum me videbat mœſtum ac triſtem, mihi blandiebatur, cum ipſum ſecundum comperiebam, mihi aliquid depoſcebam: is cùm lætum cernebat me fallebat, cùm vnum optabam, ad id adipiſcendum opitulabatur; at in ipſa fæliciori fruitione rem mihi ſubtrahebat: me ęgrum inuiſebat, me fælicem obliuiſcebatur, me depreſſum manu erigebat, me erectum ſupplantare conabatur. Denique cùm aliquid in mundo me habere conſiderem, animaduerti quidquid in mundo inerat, ſomnium eſſe. At vnum id confiteri, tametſi aliquo dedecore noſtro, at erit alijs aliquo vſui. Totis quinquaginta annis vitæ meæ omnium voluptatum mundi aliquid volui delibare, vt periculum facerem. ſi humanæ improbitati ſatiſfieri poſſet. Tandem facilè cognoui, me, quò magis

comedam,

comedam, eſurire, quò magis bibam, ſiti deperire, quò magis quieſcam, fatigari, quantum plus in bonis habeam, eò maiora appetere uniuſque rei ſatietate captus, quàmprimum alterius cupiditate incendor. Si liceret hominibus alloqui Deos, ab ijs peteret, cur dies finitos ſibi, cupiditates autem infinitas præfixiſſent. Humana uita profectò miſera eſt: nam ne ſolam quidem diem lætam uiuimus, ſed cogimur eos dies totos experiundi rebus uariè conſumere. O periculoſa uita hominis, in qua tot inſunt ſcelera, à quibus cauere debeamus, tot pericula, quæ fugiamus, tam multa conſideranda, vt eam tum demum exactè cognoſcimus, cùm illam deſerere cogimur; ſciant homines mundum noſtram capere voluntatem, noſque cogere id velle quod nolumus. Hac etiam verſutia mundus vtitur, ne reſipiſcamus, eiuſque improbitatem agnoſcamus. patitur enim nos præterita tempora laudare, modò præſenti tempeſtati acquieſcamus; ad virtutes capeſcendes optima deſideria immittit, modò ſceleribus omnia noſtra facta miſceantur. Memini me dum iſtic eſſem, vos, & nepotes, & abnepotes habuiſſe, qui etiam per ætatem vxores duxerant; non video quì fieri poſſit vt iuuenes habeamini, cùm domus veſtra nepotibus & ijs adultis plena ſit. Nam cùm arbor fructibus onuſta ſit, decidunt flores ac marceſcunt. qui vobis iuuentutem ſuadeat, neſcio, præterquam quòd cum Lambertam filiam Druſio vxorem dediſtis, & pulchram neptem

neptem Sophiam Tuſidano,annis pleni,pecunijs va cui,exiſtimaſtis ſingulis illarum viginti annos ætatis ingraueſcentis ad ſupplendam dotē dediſſe; & hac ratione putauiſtis vos annis veſtris exonerare,quos alieno ære oneraueratis. Arbitramini etiam,vos eſſe quaſi ceram ſutoris, quæ cùm trahitur,in longū creſcit. Sed mea quidem ſententia, ego vos potius auellanas leues pondere, ad corticem aridæ, intus verò marceſcente iudico. Vellem profectò, qui vos adoleſcentes cognouerim, ſenes aliquando videre; nec ſenes annis graues, quibus iampridem abundatis, ſed maturitate ingenioque, quibus indigetis. Illud etiam meminiſſe vos oportet,quòd ſuſtinere adoleſcentiam, euertere ſenectutem, producere annos vitæ, depellere mortem, hæc omnia non in manu hominum id optantium, ſed in Deorum id volentium conſilio conſtituta ſunt, qui iuſtitiæ ſuæ arbitrio, non libidine noſtra vitam nobis æquo pondere,mortem verò iniquis rationibus exhibent. Aliquando, cùm in Theatro quibuſdam cludis intereſſem, aguntur iam duo & triginta anni, mihi ſedenti dixiſti; Surge,Marce fili: decet enim te adoleſcentem ſenioribus aſſurgere,ijsque potiora loca dare. Dicas mihi,quæſo, quo pharmaco te inunxiſti, quo fonte lauiſti, quibus artibus adoleſcentiā indueris. An ignoratis naturam noſtram eſſe, corporis corruptionem, corpus noſtrum ſenſuum euerſorem, ſenſus, vigiles animæ, animam deſideriorum matrem, deſideria carnifices adoleſcentiæ, adoleſcen-

adoleſcentiam cuſtodem ſenectutis , ſenectutem exploratricem mortis, mortem hoſpitium vitæ noſtræ à qua vita adoleſcẽtia pedeſtri itinere, ſenectus verò equeſtri recedit? Quid boni, quæſo, in hac vita tantopere probatis, vt nati annos octaginta etiam atque etiam viuere iucundum ducatis? Aut boni, aut mali fuiſtis. Si boni, eſt quod mortem optetis, vt cùm Dijs immortalibus vitam pacatiſſimam viuatis; ſin mali vitæ, exitum etiam, vt tandem praui eſſe deſinatis: quod ſi minus velitis, iure optimo de vobis ſupplicium ſumi poteſt. Nihil eſt enim, quod eum, qui annos octuaginta perditiſſimè vixit, ad bonam frugem moresque honeſtos venire ſperemus. Inito bello ciuili quo C. Cæſar, & G. Pomp. Romanæ vrbis decus fœdauerunt, ac ſemet ipſos perdiderunt, annales illorum temporum referunt, Occidentales populos Cæſari, Orientales verò Pompeio in acie adfuiſſe. hos inter populos gens quædam habitans prope Riphæos montes ad Indiam vergente, veneror (hec) more vetuſtiſſimo legem hanc inuiolabile iure tuebatur, vt quicunq; hominum annum ætatis quinquageſimum attigiſſet, continuò pyram ſibi ingentem erigeret, quam conſcendes, à populo uiuus Dij imolaretur; qua die affines, liberique omnes hilares lætique aſſas ſemiuſtasque carnes comederent, & cineres oſſium uino imbiberent. Hæc omnia fidelibus Pompei oculis uiſa ſunt; nam eorum aliquot quinquageſimum ætatis annum in Romanis caſtris tranſegere. O

re. O ſæcula aurea, quę viros tales conſpexere. O fortunatam gentem quæ futuris ſæculis non interituram memoriam reliquiſti. Qui mundi contemptus, quæ ſui met obliuio, quod genus aſpernandæ fortunæ, quod carnis flagellum, quæ minima vel vitæ vel mortis eſtimatio potuit eſſe? quale frenum ſceleratis hominbus, quæ calcaria amantibus virtutem, quam deriſionem optantibus vitam, quod contemptum formidantibus mortem reliquere, cũ ij vitã contempſerint, profectò exiſtimare debemus, eos nullo deſiderio appetendæ alterius rei laboraſſe; nos verò ea cogitatione, qua nunquam morituros arbitramur, nullum finem cupiditatibus noſtris præfiximus. O glorioſam, mea quidem ſententia, gentem ac fortunatam, quæ ſenſus exuens, innatumque viuendi amorem vincens, non credens quod ſibi præ oculis ſtabat, ſperans quæ nunquam viderat fata, & quicquid ea de vitæ ratione conſtituerat intercidiſti, corpus morti intercipiſti, à Dijs fuiſti, non vt longiorem vitam ſtatuerint, ſed quod eius ſupereſſet, tibi abſtulerint: æquum igitur mihi videri poteſt vos annos octuaginta natos ijs ætate grandiores, eoſdem etiam prudentia æquare, qui niſi dulcem oppetere mortem noluiſtis, improbam tamen vitam mutare licuerat. Iampridem Fabricius fallaciam mihi quandam parauerat, qua niſi veſtro conſilio cauiſſem, honoris periculum maximũ adiuiſſem; parẽ igĩt nũc vobis gratiã eadẽ ratione referam, vos certiore facio, ſi id ignoratis, vos

aciem

aciē oculorū habentē habere, nares humidas, capillos canos, uſum audiendi obtuſum, linguā ſegnem, dentes deiectos, uultum contractum, pedes incuruos, ceruicem depreſſam, pectora anguſta; deniq; ſi ſepulchrum loquatur uobis quaſi cum ſuis ueris ac debitis habitatoribus iure optimo uos ſibi repoſcet: neque inficiabor, par eſſe, ut adoleſcentiæ rerum ignaræ compatiamur; Nam tunc illi oculi adaperiuntur ad dignoſcendum uitæ huius infortunia, cùm iam imminet tempus occludēdorum ad ſepulchrum. Hinc licet uidere conſilia adoleſcentibus data irrita. nam, ætas illa, quæ ſcit nonnulla ſatis certa cognitione nouit de eo, quod ſentit ſuſpicatur, & quæ ſibi dicantur, non credit, aliorum conſilia aſpernatur, ſua autem nulla prorſus ſunt. Itaque in eam venio ſententiam, abſque dubio, vt exiſtimem non adeò reprehendendam in adoleſcentibus ignorationem boni, quàm in ſenibus pertinacem animum ad malum. malum eſt neſcire quod homines debent & poſſunt; longè tamen deterius ſcire quod ſapientiſſimus quiſque, bruti autem animantis vitam viuere. Infælices profectò ſenes, qui veſtri obliuione ducti, mutatis ſubinde equis ad obitu properatis, nunquam ſuſpicantes vos futuros quod noletis, quo vſque nullus pœnitentiæ locus datur. Inde fit, vt quod vitæ veſtræ deſit, dementia ſupplere contendatis. Reſipiſcite tandem, aperite concluſos oculos, vos aberrantes bene agere aliquando incipiatis; quid

vos decent diſcite, ſedulò & maturè cum morte inite rationem priusquã ipſa vitam veſtram in periculum vocet. Aguntur duo & quinquaginta anni, quibus homines horum temporum me norunt, nunquam mulierem ita ſenem cognoui, nunquam hominem ita annis grauem, membriſque aridis, qui cor ad ſcelera validè, linguam ad mendacia promptam non haberet. Animaduertite ſenes miſeri, cùm iam æſtas tranſacta ſit, debetis ex area fruges amouere, dum vobis licet, quibus ſi quid etiam ſupereſt diei, maturate, vt vobis hoſpitium capiatis. Si die maximo periculo mare traieciſtis, date operam nocte portum tutiſſimum capiatis. Ludi demum, ludi ſint: ſeria autem ſeria cenſeantur. Si vos adoleſcentes minus honeſtos nouimus, ſenes temperatos agnoſcamus, facite. dum eques curſu equum impellit, nihil eſt, quo equum improbemus, qui crines vento agitatos perturbatoſque gerit; quos tamen, cùm ad metam peruenerit, aptari concinariq́ue maximè decet. Ne fallat vos, quod plurimos, futurum, vt pecunijs veſtris maximi æſtimemini; nam licèt multi vos ſequantur, omnes tamen inuidebunt. Ideò mihi credite, honorem potius datum iri adoleſcenti inopi & probo, quàm ſeni locupleti ac vitioſo: ab egenis diues dicetur fœneratorum turbam cingetur: at pauper virtute conſpicuus maiori beneuolentiæ, minoriq́ue odio obnoxius erit. quæ maior indignitas nobiſmetipſis, quod dedecus Romanæ vrbi parenti noſtræ, quàm

in foro angulisque omnibus paſsim non minus deambulantes ſenes qui imbecillitate cadunt conſpicere? adoleſcentes,q̃ qui viriditate magis ac magis creſcunt videre,Egregium profectò ſenes noſtrorum temporum concinnare capillos, barbam abradere, calceos elegantes geſtare, caligas intenſas, induſium prominens, torquem auream collo, bullas aureas veſtibus infixas, crines vclamine, vt Græci homines nectere, digitis vniones, amictus quales Hiſtriones, latasque vti flamines induere; & quod omnium maius eſt, ij ſenes à morte acciti, reſpondent ſibi denuo eleganti mulieri inſeruiendum. Quot ego Romæ huiuſmodi fatuos cognoui, qui adoleſcentiam maxima cum gloriæ geſſere, quam deinde ſuis ineptijs in ſeruitute amiſere? Adde etiam quòd ipſi ſenes iacturam famæ ferũt, affines hominum fauoribus ac clientleis, liberi commodis quibus ſpolenti ſunt. Caiguinus Cato veteri Catonum familia oriundus, Romæ quinquies flaminem Dialem, ter prætorem, bis cenſorem, ſemel dictatorem,quinquies conſulem geſſit, cùm annos quinque ac quinquaginta natus eſſet: cum annum climatericum protranſiſſet, Roſanam, filiam Gnei Curtij, pulcherrimã amauit, eòque amoris ac dementiæ deuenit,vt illi inſeruiendo fortunas omnes ac bona dilapidaret, & præ deſiderio videndæ puellæ quaſi tenellus infans lachrymaret: adoleſcentula in ægritudinem cum nauſea epularum omnium incidit, quæ cùm vuas appetere di-

xiſſet, nec per temporum rationem Romæ matureſcere potuiſſent, ipſe dedit operã, vt Romam mille millibus paſſuum afferrentur. Quod cùm in vrbe cognitum, ſenatuique relatum fuiſſet, patres Conſcripti Roſanam vnà cum Veſtalibus virginibus claudi iuſſerunt, ſenem verò perpetuo exilio mulctauerunt. cuius liberi inopes vixerunt, pater verò maximo cum probro infamis obijt. Id non dubito, quin cognita ſenis illius improbitate, multi libidinem ætatis illius improbaturi, Senatusque ſententiam laudaturi ſint. Sed ſi Gaiguinus tot adoleſcentes exilij ſui conſortes haberet, quot ſenes amatores erunt illius facti imitatores, profectò tanta hominum multitudo deiecta, nec mulierum nuptias ſuas deplorantium turba vbique locorum viſeretur. Illud etiam me maximè commouet, quòd ſenes iſti, cùm ab amicis ac neceſſarijs monentur, ab affinibus arguuntur, à coniunctiſſimis quibuſcumque obſecrãtur; ineptas cauſas fingunt, ſeque non feriò, ſed iocoſè amare fingunt. Dum eſſem & ætate & ingenio adolecens, forte fortuna quandam nocte occurrit mihi quidam contribulis meus prope Capitolium, qui me nepotem iure optimo vocare poterat, hunc dominum Fabritium appellaui, percunctusque ſum, nunquid & denuò amaret; ille inquit Iocum & voluptatẽ amo; Vix vobis enarrare poſſem, qua admiratione affectus fuerim, quod nocte mihi obuius fuerit, quodque reſponſum minus dignum ingraueſcente ætate dediſſet: hæ profectò

fectò res non amores, ſed dolores, non voluptates, ſed iactura temporis, non iocus, ſed ineptiæ, dici debent: nam ex amoribus iocoſis, verum & ſolidum dedecus naſcitur. Quæſo vos Claudi, & Claudine, quid eſtis vos ſenes amatores præterquam ſignum ante tabernam, vbi præter vinum acidum nihil ineſt, oua ſatis alba, intus autem marceſcentia, vulnus in cute conſolidatum intus aũt peſſimè affectũ; pillula auro circundata, quæ ad contactum linguę amara ſit, fialia confracta noua inſcriptione inſignita, bos fictus, & homo è corio ad fallendas perdices contextus palus, glacie concreta vbi toto pes conſiſtere nullo modo poſſit, frons ædium conſpicua, ad interiora penitus deiecta. denique ſenex amans, eſt æquis ſcacorum perſimilis, qui homines ad periclitandam pecuniam alliciunt, ſeque è periculo eximere non valeant. Senex improbus nihil eſt præter porrum albos crines, folia verò viridia habens. Nunc demum ita ſentio (ſi vos id probetis, qui ſeniores, contribules neceſſarijque mei eſtis) vt reſipiſcatis caueatisque, ne ſpes temporum futurorum vos fallat. Iter enim, quod die confici poteſt, in noctem trahi nunquam debet; nam qui carnes comedere conſueuit, ægre ad oſſa comedenda conuertit. Quod ad remedia pertinet, domum quæ ruinam minatur, rationis firmamento fulciendam, cum Dijs ipſis vitæ, hominibus famæ nominiſque rationem reddere debeamus. Quòd ſi vitis noſtra virtutum

 racemis

racemis diſpoliata ſit, denuò iam ab vindemiam aptetur, quam ſi nullis alijs fructibus, at honeſta emendatione ornare nos decet: ſi verò dolia vindemiæ noſtræ peſſimis factorum odoribus infecta ſint, dulci muſto bonarum cupiditatum iam tandem impleantur; ita facile ſatisfit obſequijs, quæ ijs & multis erga nos officijs exhibemus, vt ſi nobis aurum rectè factorum deſit, honeſtarum cupiditatum debito nos exoluant. Itaque ſi adoleſcentiæ farinam vitijs obtuliſtis, nunc furfur ſenectutis Dijs immortalibus reddite. Plura quàm putaram ſcripſi, modò ne vos dementes iudicemini, egoq́; audacior, nulli has literas impertiatis: omneſque contribules meos Romæ meo nomine ſaluere iubeatis, imprimis autem Druſinam honeſtam viduam: mitto ad vos duo millia ſextertiorum: mille Coruinæ nepti veſtræ dabitis. illa ei mitto, quòd aliquando dum choreis quibuſdam intereſſem, maximos mihi honores exhibuerit; mille virginibus Veſtalibus erogabitis, vt aſſiduis penes Deos precibus Fauſtinæ ſaluti adſint. Claudinæ tuæ Fauſtina mea arcam dono mittit, quid inſit prorſus neſcio. Dij vobis, cùm ſenes ſitis, mortem honeſtam, mihi verò ac Fauſtinæ minoribus ætate vitam fœlicem hilares exhibeant. Valete.

NEAPOLITANI S. P. Q. ROMANO.

SCIMVS *Romanum ærarium bello punico exhauſtum*

ſtum, bellumque aduerſus Hannibalem pro vrbibus agriſque ſociorum, atque pro arce Italiæ, vrbe Romana geri. æquum igitur cenſuimus, quod auri nobis cùm ad templorum ornamentum, tum ad ſubſidium fortunæ à maioribus relictum eſt, eo rempublicam veſtram iuuare. Si quam autem in nobis opem eſſe arbitramini, eodem ſtudio illam vobis obtulimus. gratum enim nobis facturi eſtis, ſi res Neapolitanorum omnes veſtras duxeritis, dignoſque iudicaueritis, à quibus donum accipere velitis.

HARPAGVS MEDVS, CYRO PERSAE.

CYRE *Cambyſis fili, Deorum immortalium cura, (neque enim alia ratione fortuna te eò amplitudinis aduexiſſet) iam appetit tempus vlciſcendi Aſtyagis, qui tibi necem parauerat: quod ad ipſum pertinet, perieras, at Deorum, meoque beneficio adhuc viuis. nec dubito, quin intellexeris quas læuitias ob incolumitatem tuam expertus indigne fuerim. At ſi me audieris, vniuerſum Aſtyagis Imperium occupabis: huiuſce egregij conſilij authores ac fautores habes regni optimos, quorum etiam nomina aſcribere libuit. Tu modò pro tua prudentia, quod ſupereſt, conficies. Vale.*

TOMYRIS MASSAGETHARVM REGINA, Cyro Perſarum Regi.

DESINE *experiri bellum, o Rex Perſarum, quod, an tibi vtile futurum ſit, neſcis: tuum opulentiſſimum Regnum gèras, noſque loca noſtra deſerta ac rupes incultas colere æquo animo patiare. At cùm omnia magis quàm pacem tibi probare ſoleas, verbis meis obtemperare profectò noles. Quod ſi Maſſaghetarum virtutem experiri malueris, nihil eſt quòd flumen Araxem armatis pontibus iungas, aut copiæ noſtræ trium dierum itineribus à vobis recedent, tuque in Regnum noſtrum tuto venies: aut, ſi magis hoc voles, nobis des tantum ocij, locique, vt ad tua loca concedamus, ibi tum demum de Imperio, ac virtute ſummum periculum faciemus.*

THOMYRIS CYRO, PERSARVM REGI.

DESINE *gloriari, Cyre, quòd copias noſtras deleueris, non virtuti tuæ ſed vino laus victoriæ tribuenda eſt. Decet autem magnanimos Imperatores virtute belli non dolo præſtare; Tum demum animaduerti tandem cruoris humani te auiditate non gloria dimicare. Proinde edico tibi, vt infra triduum filium meum bello captum, miſſum facias, ac quamprimũ ex Maſſagethis recedas.*

Quod

Quod ſi minus curaueris, teſtor Solem ſolum dominum meum, me daturam operam, vt tandem humani cruoris ſatietas te capiat.

AMASIS AEGYPTI REX, Policrati Samio Principi.

MIHI *gratiſſimum eſt amico, & ſocio meo oĩa ex ſententia cedere. Sed tã diuturnus fœlicium rerum curſus animum meum aliquantiſper mouet ſollicitum, quippe, qui ſciam quantum inuidiæ ſecundæ fortuna obnoxia ſit. Mallem ego res meas omnes, meorumq́ue ſociorum varijs caſuum euentibus agitari, quàm ſecunda tam longi temporis ſerie agitare, mihi ipſi igitur morem geram in deligenda medicina, quam fortunæ tuæ demonſtrabo. dilige rem, quam plurimi facias, cuius iacturam iniquo animo feras; hanc obijcias, & procul neglectam deſeras, ita tamen vt in nullius manũ deueniri: hac vtaris quaſi medicina ad eluendam fortunam, ac medicos imiteris, qui humores hominum varijs medicamentorum rationibus purgare conſueuerunt. Hæc ſi effeceris, ſpero futurum, vt periclitantibus rebus tuis optimè proſpicias. Vale.*

POLYCRATES SAMIVS, AMASI Aegyptio Regi.

NIHIL *mihi fuit antiquius quàm amantiſſimo*

conſilio

conſilio tuo parere. Perlecta enim epiſtola tua, ſmaragdum pulcherrimum mihique chariſſimum de biremi in mare deieci, cuius iacturam præ animi ægritudine ferre vix poteram. at ſexta die poſt annulli iactum, mihi à piſcatore piſcis dono datus eſt, cuius in ore annulus latebat, quem familiares quamprimùm agnoſcentes hilari vultu reddiderunt. rei magnitudo effecit, vt te quamprimùm certiorem facerem. Vale.

OTHANES PERSA, PHEDIMÆ FILIAE.

FILIA, *ſplendorem familiæ decet, nullum periculum horreſcere quod parentis imperio tibi iniungatur. nam ſi is, quo cum dormis, non eſt Cyri filius, ſed quem ſuſpicor, non debet ille per impunitatem decus familiæ noſtræ turpi tuo complexu deturpaſſe. Igitur quamprimùm is nocte ſomno captus fuerit, illius aures attingas: quas ſi deprehendas, illum Smerdium Cyri filium eſſe planè credas: ſin captum auribus cognoueris, hunc Smerdium mendacem magum eſſe nihil eſt quod dubites: quicumque ille fuerit, me certiorem facias velim. Vale.*

ORETHES PERSA, POLYCRATI Samio Principi.

INTELLEXI *amplitudini animi tui nihil præ-*

ter theſauros deeſſe; ego vero optima ratione & egeſtati tuæ, & ſaluti meæ proſpexi. Nam cùm mihi nunciatum fuiſſet, Cambyſem regem vitæ meæ inſidiari, ac Lydium Regnum per iniuriam mihi ablaturum: peto abste, vt in inſula tua tutum mihi locum pares. Polliceor enim theſaurum regium ita tecum impartiturum, vt eo adiutus magnas res bello paceq; conficere facilè poſſis. de pecuniarum vi maxima per certum nuncium tuum certior fies.

DARIVS PERSARVM REX, IDANthyrſo, Scytharum Regi.

QVID tandiù fugis, magnanime Imperator, cùm alterutrum facere poſſis. Si enim te mihi virtute parem cognoſcas, prælio certemus: ſin te longè imparem comperias, honores debitos exhibeas: nec aliud vectigal, quàm terram, & aquam mihi deposco. at ſi me conuenias, ſpero futurum, vt omnia inter nos pace ac fœdere optimo firmentur. Vale.

IDANTHYRSVS SCYTHA, DARIO REGI.

CAVE exiſtimes res meas eò deductas eſſe, vel tu vel totus terrarũ orbis terrorem mihi incutiat, fugamq́ue ſuadeat. Id ago nunc, quod vetere gentis inſtituto paceq́ue conſueui: ſed ſi tecum prælium

lium inire nolui: hoc ſedulo egi, ne tibi pugnam optanti obtemperarem. Nos Scythæ neque vrbes, neque ſeminatos agros habemus, pro quibus tuendis pugnandum ſit. Si ſepulchrum cineresque meorum attingas, tum demum cognoſces quales bello ſimus. Quòd verò à me tibi honores exhiberi depoſcis, miror profectò, quippe qui quem ſolum dominum veneratus ſemper fuerim: pro terra autem & aqua quæ vectigalium loco tibi dari contendis, aliquando dona & te & me digna tibi mitti curabo.

ARISTAGORAS MYLESIVS, Cleomeni Laced. Regi.

PVDOR *maximus Ionicæ gentis, quæ iamdiu barbaris inſeruit, me ad depoſcendum auxilium veſtrum impedit; quod tametſi Græciæ vniuerſæ magno dedecori ſit, maiori tamen vobis Lacedemonijs, qui virtute ac gloria ceteris præſtatis. Quapropter vos per Deos immortales, per affinitatem, per veſtram met gloriam obteſtor, vt nos è Perſarum manibus tandem vendicetis; quod per quàm facile vobis cedere poteſt. Nam nec vobis pares, aut ſimiles, vel arte, vel natura barbari cenſendi ſunt. vos rei militaris ſcientia bellicisque artibus omnium facilè principes ſemper fuiſtis, ij pugnaturi lanceis breuibus, paruis arcubus ac pinnis vtuntur, bracatique incendunt, gens pro-*

fectò

ſectò nec aſſueta vrbium oppugnationibus, nec patiens laboris, vel inediæ; quippe, quæ tantum habeat diuitiarum, quantum vix reliquum orbis terrarum habeat Perſis aurum, argentum, veſtes, iumenta innumerabilia nunquam deſerunt: quæ omnia minimo labore vos adipiſci nunc poteſtis: nam & regionibus veſtris imminent, vt vobis in ſcripta tabella demonſtrabit. Deos quæſo, vt quod optimum ſit, ac vniuerſæ Græcę ſalutare, decernatis.

DATYS PERSA, DELIIS. S.

QVO *fugietis uiri ſacri? vos de me (nullo meo ſcelere) malè ſentitis: iuſſum Darij Regis ac uoluntas mea, me impellunt, vt illi inſulæ parcam, vbi duo lucidiſſima ſydera nata ſunt. Iam redite ad patriā veſtram, & tutò illam inhabitate.*

FABRITIVS, ET Q. AEMILIVS, Conſules, Pyrro Regi. S.

NEQVE *amicorum, neque hoſtium fortunatus exiſtimator eſſe videaris: cognoſces enim, cùm hanc epiſtolam ad nos tranſmiſſam perlegeris, te bonis quidem ac iuſtis confidere. Hæc autem non tui gratia nota fecimus tibi, ſed ne mors tua nobis calumniam afferat, & quem virtute nequiuerimus ſuperare, dolo contendiſſe videamur. Vale.*

ALEXANDER REX LACEDEMONIIS.

CONSVLVIMVS *vobis, vt fidem, quam à veſtris maioribus accepiſtis ritè ſeruetis, & nolite manus extendere ad altiſſima, quæ contingere non poteſtis. Si enim gaudere cupitis fortitúdine Perſarum, ſic veſtras vires oſtendite, vt à nobis dignum recipiatis honorem. Ideoque damnus vobis firmè in mandatis, vt gratis de nauigio veſtro exeatis priuſquam vos turpiter exire compellam: quod ſi facere noletis, voſmetipſos reprehendite, cùm vos vicerit. Alexander. Vale.*

ALEXANDER REX, DARIO Perſarum Regi.

SVPERBIAM, *elationemque animi Dij ſemper odio habuere. ſicque mortales præuincunt, cùm ſibi nomen immortalitatis aſſumunt. Tu autem, ut video, nõ ceſſas Deos quouſq; poteris maledictis inſectari. Ex eo verò, quòd nos arguis propter benignitatem quam regiæ amplitudini oſtendimus, inepta tu quidem cogitatione moueris, cùm illud nec tuæ captandæ beneuolentiæ, neque gratiæ conſequendæ, ſed ex noſtræ elegantiæ & virtutis ſplẽdore prouenerit. De victorijs quoq;, quas nobis diuina prouidentia largita eſt nihil magnopere lætor. Dij enim illos iuuant, quos tu quotidie aſpernaris, cùm*

te deum eſſe dicas & , ijs cupias coæquari. hæc po ſtrema tibi ſit epiſtola, caue interim tibi, nam aduerſus te citato curſu cum meis copijs propero.

RODOGES MATER DARIO FILIO REGI.

NVNCIATVM *mihi eſt, te populum tuum totum aggregaſſe & alias gentes plurimas, vt cum Alexandro iterum pugnares. Sed quid tandem efficies? nam nec totius orbis terrarum copijs illi occurrere aut reluctari poſſes, cum dij immortales ei maximè faueant, præſto ſint Dimitte hos ingentes ſpiritus, recede ab illa tua gloria, magnitudini Alexandri aliquid tribuens: melius eſt enim relinquere quæ tenere non potes, ut quæ tenere poſſis, ijs pacatè quieteque fruaris, quàm dum uelis omnibus imperare, tu ipſe ab omnibus excludaris. Vale.*

ALEXANDER. PIRRO REGI.

DIXISTI *te non ſolùm hominibus, ſed Dijs immortalibus imperare; at nos ad te, non vt cum Deo, ſed vt cum homine Barbaro elatique animi pugnaturi venimus, cùm vnius Dei arma totus mundus nequeat ſuperare.*

ALEXANDER. DYDIMO Bragmanorum Regi.

AN *neſcis Dydime, nobis hominibus rationis conſcijs*

conſcijs, habentibusque liberam voluntatem multis blanditijs ipſam naturam inſidiari? Fieri enim non poteſt, vt tam maximus mundi globus poſſit abſque mobilitate conſiſtere, vt poſt mœrorem lætitia ſubſequatur. Humana ſiquidem voluntas variabilis eſt, quæ cum cœli mutatione mutatur. quoniam ſyncerus dies, ſynceram reddit mentem hominis & gaudentem: tenebroſa dies triſtem reddit ſenſum hominis & obſcurum, & per varias ætates item uariatur; ego autem ita ſentio mores noſtros ad ſtultitiam magis quàm ad ſapientiam retrahi.

LINVS COLVTIVS SALVTATVS, Innocentio Papæ.

NESCIO *cui magis gratuler, Beatiſſime Pater, tuæ ne Sanctitati, an filio dilecto Leonardo Aretino, quem in tuum à ſecretis nuper aſciuiſti. Lætor equidem, & exulto, quòd talem familiarem delegeris, quali ſanctitas tua indigebat: nō quod bonos & induſtrios uiros non haberes, ſed quoniam quotquot tibi boni contigerint, uel dominis alijs, in quorum manibus orbis terrarum eſt ſemper pluribus egentis. Eſt igitur quod maxime lætari debeā, contigiſſe tibi huiuſmodi uirum, ætate florentem, corpore ualidum, aſpectu gratum, ſcientia clarū, eloquentia ſingularem, Latinis excellentem literis, peritum non mediocriter Græcis, quodq́; in pri*

mis

mis nobile eſt integra fide, & ſingulare probitate præſtantem: de quibus quidem omnibus, licèt pleraque uideas, & omnia forte perceperis, ego tamen tibi uerus & fidiſſimus teſtis adſum. cùm enim iamdiu ipſum accepiſſem in filium, & ipſe ſe totum mihi addixerit, totum agnoſco, totumque diſcuſſi, nec me poteſt in aliquo tanto tempore latuiſſe. continua & ſtudioſa nobis conſuetudo fuit. & cùm de contractis, quæ componerem, iudex eſſet & ego rerum ſuarum arbiter, uerſa uice, nos mutuò ſicuti ferro ferrum acuitur, exercebamus. nec facile dexerim ex hoc dulci & honeſto contubernio uter noſtrum plus profecerit, uterque tamen eruditior euaſit, ut fateri oporteat, mutuò nos fuiſſe nobis uiciſſim diſcipulos & magiſtros, in quorũ memoriam dum hæc ſcriberem, nimis commotus ſum, cùm me ſenſerim tali ſocio tantoque præſidio deſtitutum, maxima quidem certitudine de quacumque re amborum cõſentiret authoritas, tenebamur. nunc autem nec habeo quem doceam, nec à quo diſcam, ſed hæc ſatis. Tuo quidem commodo, & honoris ſuo mea debeo incommoda poſt habere: iamque ad Leonardnm noſtrum reuertatur oratio: habes uirum aptiſſimum rebus magnis, virum fidelem, & innocentiſſimum. Scio quòd loquar; & quòd Chriſti Vicario vera loquor: Quamobrem hortor, & opto, vt tuæ clementiæ, & humanitati iucundus ſit, & charus, eum cum expertus fueris, multis maximiſque honoribus cumulabis

mulabis, cuius laudi quicquid fides mea, & propenſio animi poteſt, accedat. Illud etiam B. tuam meminiſſe velim, cùm in Leonardo dimidium animæ meæ ſit, quibuſcunque honoribus eum affeceris, me iiſdem auctum exiſtimaturum. ſpero tamen illum nec mea, nec aliorum commendatione, ſatis virtute ſua, & benignitate tua gratiam Sanctitatis tuæ initurum. Vale.

CAESAR AVGVSTVS C. MEcænati S. Ex antiquitatibus Deſyderij Lignamenij Patauini.

A *me ipſo ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum: nunc autem occupatiſſimus & infirmus,* HORATIVM, *noſtrum abs te cupio abducere. Veniat ergo ab illa paraſitica menſa ad hanc regiam, & nos in ſcribendis epiſtolis adiuuabit. Vale.*

P. VIRGILIVS MARO, Cæſari Auguſto.

EGO, *vt frequentes epiſtolas à te accipio, & infrà quidem de Ænea meo. Si me hercle dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tanta inchoata res eſt, vt penè vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar, cùm preſertim (vt ſcis) alia quoque ſtudia ad id opus multoque potiora impartiar. Vale.*

CATO CAESARI. S. D.

EXISTIMANDVM *eſt, mi Cæſar, animum noſtrum, de quo ſæpe locuti ſumus, ex altiſſimo domicilio fuiſſe depreſſum, & quaſi demerſum in terram, locum diuinæ naturæ, æternitatiq́ue contrarium. Deos immortales, præterea credendum nobis eſt, ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent qui terras tuerentur, quiq́ue cœleſtiũ ordinem contemplantes, eum ipſum imitarentur modeſtia vitæ atque conſtantia. Vale.*

AVLO GELIO PEREGRINVS, Philoſophus. S. D.

QVOD *annotatu præcipuum à me ſæpius petiiſti, id nunc, amice, breuiter accipias. Si uerè ſapiens eſſe volueris, à peccato deſiſtas, & caueas, ſi te Dij peccaſſe atque homines ignoraturi ſunt. Non enim pœnæ aut infamiæ metu, ſed iuſti honeſtiq́ue ſtudio, cenſeo non eſſe peccandum. Vale.*

ALEXANDER REX, ARISTOTELI DIVO.

NON *parua teneor admiratione, quòd diſciplinas acroaticas, quibus à te eruditus ſum, libris foras æditis inuulgaris. nam qua alia re cæteris præſtare poterimus, ſi ea, quæ ex te accepimus*

mus omnium prorſus fient communia? quippe doctrina ante ire mallem quàm copijs & opulentijs. Vale.

ARISTOTELES ALEXANDRO.

ACROATICOS *libros, quos editos quereris, & non proinde vt arcana abſconditos, neque æditos ſcito eſſe, neq; non æditos, quoniam ijs ſolis, qui me audient, faciles cognitu erunt. Vale.*

OLYMPIAS MATER, ALEXANDRO.

SCRIPSISTI *ſuperioribus diebus, te Iouis filium: poſt hac amabò fili mi, quieſcas, nec deferas me, neqne criminare aduerſus Iunonem: magnum mihi prorſus malum dabit, cùm tu me literis tuis pellicem illi eſſe confitearis. Vale.*

SOCRATES. THEOPOMPO. S.

SCIENTIA *res pura & munda, non in brutorum tergoribus, ſed in ſolis animabus meretur im pingi. Quare Theopompe, ſtudeas ad diſcendum corde, quæ ſcire deſideras, ut poſthac, à pellibus mortuorum abhorrens ſolis viuis vocibus delecteris. Vale.*

APOLONIVS AEGYSTO.

VIRTVS *apud nos pecunijs contraria eſt, quarum rerum altera minuitur, cùm altera creſcit. Quo pacto igitur fieri poteſt, vt vtraque in eodem ſit homine, niſi ſtultorum ſententia, apud quos diuitiæ, virtus ſtat? Nec tantùm ipſos, qui iſtic ſunt noſtri, ignaros fore concedas, vt diuites non magis putẽt quàm philoſophos. Turpiſſimum enim eſt pecuniarum gratia exulare videri. Quidam præterea ſunt, qui id agunt, vt eorum memoriam longã relinquant, virtutem verò nequaquam attingunt. Vale.*

ALEXANDER REX, DARIO Perſarum Regi. S.

SI *bene volumus inſpicere veritatem, non propria, ſed mutuata vocare poſſumus, quæ tenemus; quia cùm omnes in rota fortunę uolubili militamus, ſæpiſſime de diuitijs in paupertatem, de lætitia in mœrores, de alto faſtigio in profundum & èconuerſo mergimur & tollimur. ergo nõ debet aliquis, cùm ſublimiori parte rotæ reſideat, tantum in ſua confidere celſitate, vt præ ſuperbia facta minorum deſpiciat, cùm minimus ſæpiſſime vſque ad ſydera ſublimis tollatur, altiſsimus verò vſque ad puluerem deprimatur. Turpitudinẽ ac dedecus eſſe pu-*

totum lucidiſſimo Imperatori pro vt ab omnibus eſſe conſpiceris, in paruo & humili talia deſtinare. Sed cùm Dij ſint immortales, mortaliũ conſortium habere penitus reſpuunt. mortalis certe ſum ego, ſicque ad te venio quaſi cum mortali homine pugnaturus. tu verò qui magnus & excelſus es, & audes te dicere immortalẽ, cũ veneris nobiſcum pugnam committere, nihil acquires, ſi victoriam reportabis: quia paruum hominem, & latrunculum obtinebis. quòd ſi vicero, gloria, mihi erit, q̃a Imperatoris magnificentiſſimi victoriam adipiſcar. Verum quia dixiſti, Perſidem auro plurimo abundare, acuiſti ſenſus noſtros, & feciſti nos ſtrenuos in virtute, vt aurum veſtrum poſſimus acquirere, & quam nos habere dixiſti, replere paupertatem. ex eo quòd nobis pilam ludricam Zocham, cantiam auream direxiſti, quæ futura ſunt nobis, rectiſſimè diuinaſti, & quæ nobis ſperamus Dijs adiuuantibus euenire; per rotunditatem pilæ intelligimus orbem terrarum, qui debet vndique noſtro Imperio ſubiugari; per Zoccham, quæ à capite curua exiſtit, contemplamur quòd omnes Reges, & terrarum Principes ante nos curuabuntur. Per cantiam auream, quę caput hominis induit, & cõgirat, nos victores & vos victos à quolibet arbitramur. Tu autem, qui magnus & potentiſſimus es, iam nobis tributa dediſti, dum à te pilam ludicram, Zoccham, & cantiam auream recepimus, quæ tantas in ſe continent dignitates. Vale.

PLATO

PLATO AD PROPINQVOS DYONISII.

CVM viſum veniſſem vitam illam plenam Italicarum Syracuſarumque menſarum, quæ à multis beata ferebatur, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri. nec pernoctare ſolum, nec cætera, quæ huic vitæ comitantur. in hac enim efficietur ſapiens vnquam nemo, moderatus verò multo minus. quæ enim natura talibus modis temperari poteſt? nulla profectò vita iucunda poteſt eſſe, abſit prudentia, abſit moderatio. Valete.

DIOGENES EPIMENIDI.

AVDIO te ventri & corpori domi cultui indulgentem deſidere, & tamen virtutem polliceri; quod mihi minimè admiratione dignum videtur. Bonum namque eſſe, ſecundùm Symonidem, difficile eſt; polliceri autem perfacile. Vale.

ANACHARSIS HERMONI S.

MIHI amictus eſt, Scythia tegmen, calciamentum ſoleatum, Iuris callum, pulmentum fames, cubile terra; lacte, caſeo & carne veſcor. Quare me ad quietum licèt venias, munera autem iſta quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel Dijs immortalibus dona.

PLANETIVS AD ANDRONICVM.

SEMPER animo duxi, mi *Andronice, veri ſapientis intereſſe virtutem præferre diuitijs, honoribus, cæteriſque rebus vanis & leuibus, & aduerſus tela fortunæ congredi certareque, nec eum debere frangi laboribus, ſudoribus, vigilijs, ſed vltrò pro virtute vitam exponere, mortemque negligere quæ non hos perterrere ſolet quorum laus emori non poteſt, ſed illos, quorum cum vita omnia extinguntur. Vale.*

PHILIPPVS. REX ARISTOTELI S.

FILIVM *mihi genitum ſcito, quo equidem Dijs habeo gratias, non tã proinde, quia natus, quàm pro eo, quòd eum naſci contigit temporibus vitæ tuæ. Sperò enim fore, vt edoctus eruditusque à te, dignus exiſtat & nobis & iſtarum rerum ſuſceptione.*

PHILIPPVS REX, ATHENIENSIBVS.
Leonardo Aretino Interprete.

QVONIAM *perſæpe iam legatos miſi, qui vobiſcum agerent vt, pacta conuentioneſque ſeruaremus, nec ea res potuit adhuc vos continere. De-*

rias

creui ſcribere ad vos, quibus in rebus iniurias mihi illatas arbitror. Ne miremini autem longitudinem epiſtolæ meæ. nam cùm multa ſint crimina, neceſſe habui cuncta ſimpliciter exponere. Principio quidem cõtra vitia, caduceatore ex meo regno per vim rapto, non eo, qui contra legem patrati fuerunt vlla pœna affeciſtis; ſed ipſum iniurias paſſum decem menſes in carcere tenuiſtis, & quas ad me ferebat epiſtolas, in concione legiſtis. Deinde cum Thaſii Biſantiorum triremes, & latrones quoſcumque reciperent, vos ea fieri omnia neglexiſtis, quamquàm fœdera noſtra apertè dicerent, eos qui talia feciſſent, pro hoſtibus habendos. Per hæc eadem tempora Diopites in res noſtras impetum fecit, & Cromyla, & Tariſciſi vaſtatis, omnia loca Thraciæ vicina diripuit, tandem eò iniuriarum proceſſit, vt Amphilocum legatum pro captiuis redimendis ad ſe profectum inter captiuos retineret, ſummamq; neceſſitatẽ imponeret, vt pro ſe redimendo talenta nouem exolueret, & hæc omnia facta ſunt populo approbante. Atqui violare caduceatores, vel legatos cùm cæteris omnibus, nefas viſum eſt, tum maximè à vobis Athenienſibus, qui Megarenſibus interdixiſtis ſacris, quòd ab illis Athemocritus caduceator fuiſſet interemptus, & Colũnam ante portas poſuiſtis, vt perpetuò extaret memoria tanti ſceleris. Sed non ne id turpe eſt, pro quibus factis ita odiſtis Megarenſes eadem nunc à vo-

bis

bis fieri. Callias igitur prætor à vobis miſſus, vobis vniuerſas in pegaſeo ſinui poſitas naues manu cepit: quæ quidem mihi erant ſociæ, & in fœderibus noſtris comprehenſæ: eos autem qui nauigabant in Macedoniam pro hoſtibus habuit ſpoliauitque omnes: & ea de cauſa eſt à vobis in decretis veſtris laudatus. Itaque ego ignoro, quod tandem ſit futurum, ſi aperte mihi bellum inferretis, nam cum occulto differebamus, Latrones mittebatis, nauigantes ad nos ſpoliabatis. hoſtibus meis auxilia dabatis. Præter hæc autem adeò vos tranſuerſos egit odium aduerſus nos iniuſtè conceptum, vt legatos miſeritis ad Perſarum Regem, petentes, vt mihi bellum inferret, quod equidem ſatis admirari non poſſum. Nam antequam ille Phæniciam Aegyptumque cepiſſet, decreuiſtis me, & omnes Græcos contra illum conuocare, ſi quid ab illo moueretur; nunc verò tantum vobis ſupereſt odij, vt cum ipſo contra me coniurare cupiatis. Atqui maiores noſtri (vt ego accepi) priſcis illis temporibus ea maxime de cauſa Peleſtratedas oderunt, quòd authores fuiſſent Perſarum Regi in Græciam tranſeundi. Vos autem non erubeſcitis nunc ea ipſa facere quæ olim feciſſe Tyrannos accuſabatis. Atque, & præcipitis in decretis, vt terram & Cerſobletem ſinam regnare in Thracia, vt pote Athenienſes ciues: ego autem nec in fœderibus ſcio comprehenſos à vobis, neque in columnis aſcriptos, neque omnino Athenienſes eſſe, ſed terram

quidem mecum in exercitum contra vos fuiſſe; Cerſobletum verò cum legatis meis ferire fœdera volentē, prohibitũ fuiſſe à p̃toribus veſtris oſtendentibus illum eſſe hoſtem Athenienſium. Nunc autem quomodo id iuſtum eſſe, aut æquum poſſit, non video, vt cùm vobis conducit ciuitatis hoſtem affirmetis, cùm rurſus me calumniari vultis, eundem ciuem veſtrum oſtendatis: & ſi caleo quidem quam vos ſimiliter ciuitatem donaueratis mortuo ſtatim, cùm interfectore eius amicitiam firmaſtis. Pro Cerſoblete autem contra me ſuſcipitis bellum, quanquam certo ſciatis neque decreta, neque leges quemquam eorum tenere, qui hoc modò facti ſunt ciues, ſed fuerint ciues, teneãtur legibus, nihil ex ijs refello. Verumtamen vos Euagonem Cyprium, & Dyoniſium Syracuſanum atque eorum poſteros ciuitate donaſtis. Si igitur perſuadebitis ijs, à quibus illi expulſi ſunt, arces, atque oppida ſpoliatis reſtituere, reſtituam & ego illam Thraciæ partem quam tenuit Cerſobletes. Si verò illas poſſidebitis, ne ſuccenſere quidẽ quicquam dignum putatis, me autem vexatis, non ego iure optimo conatibus neſtris reſiſto, & de ijs quidem, quamquam adhuc multa mihi ſuppetant, ita finem faciam dicendi. Cardianis verò fateor me auxilium præbere, quippe & ante pacem inter nos factam erat mihi cum illis ſocietas. cùm retractaretis in iudicium aliquot, ego perſæpe vnà cum illis prouocaueram. Itaque non ego eſſem omnium ignauiſſi-

mus

mus, ſi deſertis vetuſtis ac fidelibus ſocijs, vobiſcum ſentirem; qui nullo modo deſiſtitis me laceſſere? Sic igitur oportet ne hoc quidem prætermittere, eò vos impulit cupiditas noſtra; vt cum, pro ijs duntaxat, quæ dicta ſunt, me concitetis, mox tamen, vt acceſſit Peparetiorum querela, mandaſtis prætori veſtro, vt à me pro illis pœnas exigeret, quos ego leuius & quàm dignum erat, caſtigaueram. Nam illi, cùm pax eſſet, Alloner-ſum occupauere nec loca, nec præſidia mea reddere mihi voluere, cùm ego perſæpe hoc ab ipſis petijſſem. Sed quibus ego iniurijs à Peparetijs ſim affectus, eas iniurias vos facile ſubticetis. Si quid autem illi à me vlciſcendi gratia paſſi ſunt, id vos propemodum conquerimini. atqui inſulam illam neque vobis abſtuli, neque illis; ſed Soſtrato latroni, qui illam inuaſerat. Si quidem confiteamini, vos Soſtrato dediſſe, confiteamini neceſſe eſt latrones ſubmittere. Si verò inuitis vobis Soſtratus occupauit, quæ tandem iniuria erat mea loca à latronibus extorta, poſſidere, atque ipſa nauigantibus tuta præſtare? Sed cùm ego tanti facerem ciuitatem veſtram, eoque erga illam eſſem animo, vt inſulam vobis tradere vellem; oratores quidem veſtri accipere diſſuaſerunt, capere autem vos perſuaſerunt, vt ſi hoc modo traderem, in ſuſpitionem populo venirem. Quòd cùm ego intelligerem, vocaui vos in iudicium, vt ſi mea iudicaretur vobis illam donarem: ſi veſtra probaretur, redderem

vobis

vobis. Hæc me perſæpe in ius producere poſtulan te vos neglexiſtis. Interea Peparetij inſulam inuaſerunt. Quid igitur decuit me facere? non ne vlciſci eos, qui ita petulantes fuerant? non ne pœnas ab ijs ſumere, qui fœdera tranſgreſſi erãt? nam ſi Pepareticorum erat inſula, quid attinebat Athenienſes repetere? ſin autem veſtra, cur ferrem indignè illos occupauiſſe aliena? eò verò inimicitiæ deuenimus, vt cùm ego vellem in Helleſpontum nauibus tranſire, conatus fuerim per Cherſoneſſum cum exercitu proficiſci; colonis quidem ſecundum Polycratis decretum, mihi bellum inferentibus: vobis autem id fieri approbantibus & prætore veſtro Biſantios conuocante, atque oſtendente. His ego laceſſitus tamen à ciuitate, à regione, & à claſſe abſtinui. cùm eſſet mihi facultas pleraque ex ijs capiendi, aut omnia, neque deſtiti vos in iudicium vocare. pro quibus rebus nos inuicem accuſabamus. Atqui conſideretis velim, non pulchrius eſt armis quàm verbis decernere. Et vtrum vos ipſos eſſe iudices, an cæteris perſuadere: & quàm illud indignum eſt. Faſios quidem, & Maronitas coactos fuiſſe à vobis deſeri, me vrbis ad inuicem concertare. Vos autem nunc nolle mecum eodem modo rem tranſigere, præſertim cùm ſciatis, ſi victi fueritis, omnia ea recuperaturos, quæ nos in præſentia poſſidemus. Omnium verò mihi videtur iuſtiſſimum, quòd cùm ego cunctorum ſociorum legatos iſtuc mitterem, vt teſtes nobis forent, vellemq;

iuſtas

iuſtas pactiones pro Græcis facere: ne legatorum quidem vocem pro ijs rebus paſſi eſtis audire; cùm vobis liceret, aut metu liberare eos, qui grauius quiddam à nobis ſuſpicantur, aut redarguere me omnium mortalium eſſe nequiſſimum. Verùm hęc Athenienſi quidem populo vtilia erant, oratoribus verò non conducebant. Aiunt enim ij, qui admi niſtrationem reipublicę habent, venalem pacem qui dem bellum ipſis eſſe; bellum verò pacem. Tunc enim fauendo ducibus, aut impugnando, pecunias acquirere: præterea nobiliſſimum quemque ciuem, aut extraneum criminando, & in concionibus maledicendo, comparare ſibi apud populum authoritatem, quàm maximè ſint populares, per facile mihi eſſet pauca largiēti efficere, vt à maledictis ceſſarent, & me laudibus in cœlum tollerent. Sed erubeſcerē equidē ſi beneuolentiā veſtrā ab illis viderer emiſſe, qui ea audacia ſunt. Vt verbum apud vos faciam de Amphipoli, de quo multa iuſtiora dicere puto quàm ipſi qui mihi aduerſantur. nam ſiue priorum poſſidentium res fiant, quis negabit nos iuſtè eam tenere, cum author noſter Alexander eum locum occupauerit, quo tempore & ſtatuam auream ex Medorum manubijs in Delphis ſtatuit? Si ne horum quidem eſſe quis non concedat, eū eſſe, qui poſtea fuerit, dominū, eſt & pro me, qui ab ijs extorſi, qui à Lacedemonijs ibi locati erant vobis expulſis. At qui cuncti ciuitates poſſidemus, aut à maioribus relictas, aut iure belli à nobis ipſi quaſi-

quæſitas: vos autem nec à principio poſſeſſionem, nec nunc poſſidentes, ſed per breue tempus illic commorati ciuitatem eſſe veſtram contenditis. præſertim cùm iudicio veſtro addita atque conceſſa ſit. Nam cùm ſæpe de ea ſcripſiſſem, vos intelligentes me iuſtè illam tenere, fœdera mecum iniÿstis, pacemque firmaſtis, nulla de Amphipoli mentione facta. Verùm enim, quæ poteſt eſſe certior poſſeſſio, quàm illa, quam primò maiores noſtri poſſederunt? Deinde nos iure belli quæſiuimus, & tertiò vos conceſſiſtis, qui conſueuiſtis de ÿs, & quæ ad vos nihil attinent, litigare. Quæ ego crimina aduerſus vos habeo, hæc ſunt; quæ cum à vobis facta ſint, & in diem magis atque magis propter meam continentiam ac ſimplicitatem me laceſſitis; iure vos vlciſcar, & Dÿs teſtibus inuocatis pro rebus meis pugnabo.

DIOGENES ANTIPATRO. S. D.

ASSERES, vt audio, nihil mirum, quòd triplex pallium & peram ferimus: ego autem horum neutrum admiratione dignum planè confiteor, ſed bonum vtrumque, cùm ſponte proficiſcitur. ſi quidem non corpus duntaxat hac victus tenuitate vti oportet, ſed & vnà animam: neque multa promittenda ſunt, facienda autem, quibus nunquam contenti ſumus, ſed vitæ verba conſentanea oſtendere: & quæ audeo facere, ea & teſtari decet. Fortaſ-

ſe

DIOGENES ALEXANDRO MACEDONI.

SI *vis bonus & benignus videri, tuis abiectis facultatibus, pallio indutus ad nos venias. Sed non potes; Epheſtiono namque fœmoribus teneris.*

DIOGENES ANAXILAO

PYTHAGORAS *Euphorbum, Panti filium, ſe fuiſſe dicebat. egò autem, cùm eſſem iuuenis, me Agamemnonem fuiſſe memini. Sceptrum nanque meum baculus eſt; & ſagus, dupplex pallium; ſaculus verò ob pellis mutationem, clypeus. quòd ſi comam non nutrio, iuuenis tunc eram Agamemnon. nunc ſenex caluus factus ſum. Huiuſmodi meritò & ſentiri & dici poſſunt ad eum, qui ſe ſapientem profitetur.*

DIOGENES PHANOMAO

SEDEBAM *in theatro, & libellos glutina reſarciebam; venit Alexander Philippi, mihi tantum è regione appropinquauit, vt Soli ſe opponeret. ego cùm papiri ſciſſuras viſu non amplius aſſequerer, ſublatis oculis præſentem agnoui. Tum ille porrecta dextra me nomine appellauit. ego contrà: Verè, inquam, inuictus es adoleſcens, cùm parem Dijs habeas poteſtatem: ecce enim quod*

dicunt Solem Luna obiecta laborare: idem & tu tuo aduentu effeciſti. Tum Alexander: Iocaris, inquit, Diogenes. Quid iocer, inquam? non ne vides me inceptam operam tua cauſa inter mittere? cùm non clarius quã noctu intuear; & cùm nihil præſtet mihi, in præſentia diſputare compellor. Nihil, inquit, p̃ſtat tibi Rex Alexander? Ne minimum quidem, inquam. Nullum enim rebus meis bellum indicit, nihil mihi eripuit, quemadmodum Macedonum, Lacedemoniorumque, & aliorum quorundam opes, in quibus ſingulis rege opus eſt. Propter paupertatem, inquit, cùm adeò mendicus ſis, vt omnium fermè indigeas. Ad hæc ego; Non eſt, Alexander, paupertas carere pecunijs, neque malum eſt mendicare: Sed omnia cupiditate complecti, & vim inferre, quemadmodum vos: propterea meæ paupertati fontes, terra, ſpeluncæ, pelles ſatisfaciunt, quorum gratia nemo terra aut mari bellum gerit. ſed ſcito, nos, vt geniti ſumus, ita viuere: veſtrę autem ſortis hominibus neque terra ſufficit, neque mare; ſed his relictis, in cęlum contenditis. Neque Homero creditis, qui ad noſtram emendationem, ne horum cupiditate moueremur, diuerſorum generum ſupplicia deſcribet. Hæc ego cum rationibus confirmarem, plurimo rubore perfuſus Alexander, ad quędam ex ſotijs conuerſus: Niſi eſſem, inquit, Alexander, Diogenes eſſe vellem. Inde me plurimum hortatus, vt ſecum militarem, vix à me dimiſſus abijt. Vale.

DIOGE-

DIOGENES OLYMPIADI

Noli *dolere cum familiaribus Olympias, quòd pallium induor, & hoſtiatim panem quærito. non enim turpia ſunt, & libero homine, (vt inquis) indigna, ſed bona & arma cõtra eos, qui falſis nituntur opinionibus, & qui vitæ bellum indixerint. Hæc ego non ab Antiſthene primùm didici, ſed à Dijs, & Heroibus, & ijs qui vniuerſam Græciam ad ſapientiam deduxerunt, Homero videlicet, & Tragediarum ſcriptoribus. Ii namq; Iunonem Iouis coniugem, in Sacerdotis faciem verſam tali habitu fuiſſe ſcripſerunt. Inclyta per ſacros cogentem numina fontes: Inachidas vitæ præſtantes munera nymphas. & Thelephum Herculis filium, cùm Argos proficiſceretur; noſtro longè abiectiori habitu extitiſſe, cùm in fortunæ auxilium vili panno corpus tegeret: & Vlixem Laertis, Ilio domum redeuntem, ſciſſum amitulum & fumo ſordidatum operuit. En age Olympias, nunquid hic meus habitus & mendicitas turpis tibi videtur? an potius bona & admiratione digna, & regibus, & cuique ſapienti ob tenuitatem expetenda? At Thelephus recuperandæ valetudinis gratia, Vlixes vt procos iampridem inſenſos vlciſceretur, huiuſmodi veſtibus laceris latuerunt. ego verò vt fœlicitatẽ cõſequar cuius minima pars eſt Thelephi bonum. Vinco enim falſas opiniones,*

quarum gratia non vnum dominum elegimus. fugio morbos & forenſes calamitates. paragro liber vniuerſam terram, neminem formido. quòd ſi mea hæc epiſtola, qua me longè meliorem pallio & pera, panem & ab inferioribus mendicare oſtendi, tibi aliquid conſolationis attulerit, Dijs gratias habeo, ſin minus fruſtra dolore afficeris.

DIOGENES ARISTOTELI PHILOSOPHO.

ABOMINARIS *pallium meum, & peram tanquam mihi moleſtia & grauia, vitæque nihil conferentia. Non rectè facis. tibi namque moleſta ſunt, & grauia, quippe qui quò Tyrannorum conuiuijs immodicè ſaturari, & pecorum ventre, non animi virtute ornari didiciſti. ego autem ex quo virtutē amplexus ſum, maius quiddam quā contra voluptatem tolerantiam, & cùm liceat præ me ferendū, mihi perſuaſi. ſi quidem præ cæteris hominibus meæ vitæ vtilitatē afferre arbitror, nō tā ex ijs quibus utor, q̄ quibus talis appareo. Qui enim tā tenuē & paucis contentū hominē hoſtili animo pugnare aggrederetur. contra quos autem, qui huiuſmodi delectātur, impetum facerent, nō ne contra regem, aut populum? ex ijs hæc ſequuntur, omni penitus malitia anima purgatur, inanem contemnit gloriam, immodicas reſtituit cupiditates, vera dicere, & ab omni abſtinere mendacio didicit. quòd ſi tibi hæc non perſuadent, dede te voluptati, & nos tanquam parùm ſapientes irrideas.*

DIOGENES SINOPENSIBVS S.

Vos *me exilio damnaſtis, ego vos domo. Nam vos Sinopem habitatis, ego autem Athenas: hoc eſt, vos cum negociatoribus, ego cum Solone, & ijs, qui Græciam à Medis liberauerunt; vos quidem aurigis, & vicinis Acheis, & hominium gene re Græcis inimico utimini; Ego Delphis, & Elienſibus, quibus cum Dij habent conſuetudinem. Sed hoc ne nunc vobis primum videatur. vtile nobis iampridem fuit Icatæ patris temporibus, nunc verò vnum id vereor, ne patriæ gratia non videar moleſtus eſſe. quod enim me exilio damnaſtis, hoc facit in meam defenſionem, & nihil hoc me magis perſuadet, ſi quidem longè melius eſt à vobis accuſari, quàm laudari. Veruntamen timeo, ne communis quidem patria mea mihi noceat, neque vos alterius rei vllam rationem habeatis. melius eſt enim vbicunque, quàm vobiſcum habitare. Valete.*

DIOGENES ANTIPATRO S.

Noli *nos reprehendere, quòd cùm nos in Macedoniam accerſieris, tibi non paruerimus. Non enim eò feci, quòd Athenenſem ſalem tuæ menſæ prætulerim: neque contemptum in me, aut ambitionem ſuſpiceris, quorum gratia alij fortaſſe id facerent, vt multitudini magnanimi viderentur,*

quod res paruifacerent: ſed nobis quàm Macedonum menſa Athenienſis longè eſt familiarior. Noſtri igitur dogmatis obſeruantia potius quàm tui contemptu tibi non paruimus. Ignoſce itaque nobis. Si quidem ſi pecora eſſemus, ignoſceres non parentibus. Neque enim & regis & pecoris victus idem eſt. Quamobrem ſine fortunate, Antipater, unumquemque ibi viuere, vbicunque ei licet; hoc enim præ cæteris regium eſt.

DIOGENES ALEXANDRO.

SCRIPSIMVS *ad Dionyſium, & Perdicam, præterea & ad te, qui cum aduerſus homines bellum geritis, primum locum tenere arbitramini. Atqui plurimum intereſt; alterum namque dementia eſt: alterum qua humano genere vtimur, ſcientia, & optimi alicuius gratia operatio. Tu autem contemplare, quid nunc facias, nihil ſanè noſti. committe te alicui qui tanquam medicus tibi ægroto medeatur, & falſa, qua imbutus es, opinione liberum reddat. Tu enim, vt mali aliquid facias, contendis, boni autem, ne ſi velis quidem, potes quicquam facere. Præterea imperium non eſt eiuſmodi, ut cum peſſimis hominibus habeamus conſuetudinem, & ſemper quicumque nobis obuiam fuerit, complectamur hoc enim non modo manſuetiores feræ non faciunt, verùm ne lupi quidē, quibus nullum neque peius animal eſt, neque damnoſius: quos mihi videris*

deris

deris tua ſtultitia ſuperare. Hi namque ſua duntaxat malitia contenti ſunt: tu autem mercede peſſimos homines allicis, & eo loci conſtituis, vt malè operentur. Præterea & quæ ipſe longè nequiora aggrederis. Damna hæc tandem, & reſipiſce. Vbi nam terrarum es? quid tibi apparatus & tãtarum rerum ſtudium vtilitatis afferunt? Noli ſanè iſta faciendo vllo te homine meliorem arbitrari. Quòd ſi nullo melior es, neque hoc quicquam curas. Putas ne, quæ moliris, aliud eſſe quàm calamitatem, formidinem & ſumma pericula? atque neſcio vbi in maiores poſſes incidere calamitates, quàm quibus opprimeris. Et quis nam iniuſtus non infœliciſſimus eſt? quis malus & violentus non idem malè operatur, & nihil quicquam habet boni? & hæc tibi vita bonum quidam eſſe videtur, pro qua ſubeundum tibi periculum arbitraris vel maximum, cùm tuæ poſſis ſatisfacere cupiditati. Neq; reputas eos tibi maximas inſidias tendere, ſi quidē multorum eſt peccare; neque cùm talis ſis, te vnquam bono viro vſum poſſes oſtendere: eiuſmodi enim hominum genere delectaris, qualis ipſe imprimis es, & plurimis malis, nullo autem bono afficeris. Neque tibi ſufficiunt muri; quos facilè mala ſuperſiliunt, atque irrumpunt: conſidera quo pacto morbis homines conficiantur, febrem neque murus arcet, neque ſatellitum impetus. non aliter quiuis Tyrannus morbis conficitur, quàm infimæ fortunæ homo. Qua nam igitur alia gratia ſaluta-

res tibi cuſtodiæ diſponuntur, quàm mera ſtultitia, vt quàm diutiſſimè in ea permaneas, & plurimis malis & perpetua afficiaris formidine? An ne putas aliunde hominibus mala prouenire, quàm ex rerum ignoratione, cùm quod ſibi faciendum ſit, neſciunt? profectò & tu mihi ex horum eſſe numero uideris. Neque enim Tyranni pueris ſapientiores ſunt Ceſſa igitur bone uir, & ſi quid tibi boni eſſe uis. Oſtende num quæ te deceant agas. Quod nunquam niſi edoctus aſſequi poſſes. Nunquid quempiam Athenienſium iudicum tibi mittendum cenſes? Sed ij quoque quotidie iniuſtè faciunt, & ſe maximos eſſe, & nullo malo alios afficere arbitrantur. Valetudinem autem, aut ſalutem tibi dicere nefas eſt, quoad talis fueris, & huiuſmodi moribus præditus.

DIOGENES GRAECIS.

CANIS *ijs, qui Græci appellantur, gemitum precatur. qui quidem, & ſi nihil dixero, vobis eſt: qui facie homines, animo ſimiæ eſtis. Omnia ſimulatis, nihil cognoſcitis. Vos natura vlciſcitur, cùm leges vobis ipſis feratis, quibus in ſuperbiam elati intumeſcentis malitiæ teſtem accepiſtis. Nunquam in pace, ſed aſſiduo in bello conſeneſcitis. mali & malorum authores; inuicem inuidentes, ſi paulò molliciei veſtræ, alio alium veſtitum, vel paulò ampliorem argento, vel oratione facundiore vel*

eruditiore potius præditum conſpexeritis. Nihil enim ſanè ratione iudicatis, ſed ad ea, quæ fidem vel perſuaſionem faciunt vel glorioſa videntur pro cliues omnia vitia datis. neque vos, neque progeni tores veſtri cognoſcitis. Sed ignorantia & amentia veſtra bonis viris maledictis vrgetis, & perſe quimini. Odio autem uos habet non modò canis, ſed ipſamet natura. Parua namque lætitia multo dolore afficimini. & ante ductam uxorem nihil, & poſtquàm ducta eſt, quid duxeritis, cogitatis. Perditis eſtis, & moroſi. O quot, qualeſque uiros alios quidem bello uictos, alios in pace quam appellatis, oblata cauſa intermiſiſtis, multi cruci affixi ſunt, utrum potius adnitendum fuit. O inſana capita, ut erudirentur, at ut interimerentur, ex mor tuis nullam ſanè accepimus vtilitatem, niſi in quan tum pecudum carnes veſcimur. hominibus autem bonis proculdubio eſt opus. vos inſani illiteratos & rudes muſicam docetis, vt ea vobis vſui ſit. viris au tem iuſtis. Quamobrem veſtra doctrina imbutis nō vtimini, quandocunque ijs opus eſſet, an quando iniuſtis indigetis, quādo ciuitatem vel exercitum placet diripere. Neque dum hoc magnum eſt: ſed quotiens vi bona operamini, & meliora direpta intueri licet, & quos attingere poteſtis, iniuria afficilis, cùm maiori vos digni eſſetis ſupplicio, & Mercurialium, & Quinquatriorum ſolemnitatibus in gymnaſiis & medio foro comeditis, bibitis, inebriamini, concubatris, deliratis, in vtramque partem cōſulitis,

litis, muliebria patimini, inde vos impiè, clam, atq; palàm facitis. hæc nihil curat canis. Sed vobis omnia curæ ſunt, & cum annali vita canes prohibetis. quo nam pacto in eos non peccatis. Ego quidem canis verbo; natura autem re ipſa, eodem modo vos omnes vlciſcitur. æquo namque iure omnibus mors impendet, quam vos formidatis & pauperes ſæpenumero vidi ob inopiam ſanos eſſe, diuites autem minimè, ob infælicis ventris ingluuiem, cui cùm indulgetis, breui titilatione & nimia voluptate affecti vehementiorem poſt modum dolorem ſubitis; neque quicquā vobis prodeſt domus, neque, quibus abundatis, pecuniæ, ſed cùm aureis atque argenteis thoris diſcumbatis, in ipſa fælicitate obduratis, neq; abduci poteſtis, vt bonorum reliquias cum oleribus edatis mali & malorū amici. Qđ ſi quid vobis mentis ineſſet, ſi nō ebrij deſciperetis, optimo illi Socrati ſanè fidem adhiberetis, & nihil communi omnium conſenſu aſſentiremini, at per omnes ętatis aut continentiæ ſtuderetis, aut ſuſpendio vitam finiretis. Neque enim aliter in vita fieri poteſt, niſi tanquam in conuiuio vino madidi vertiginibus & inteſtinorum doloribus ab alijs duci velitis, neque per vos liberi fieri poteſtis, & dum in luxuria & delitijs quæcumque in poteſtate ueſtra ſunt animo complectimini, ueniunt communes carnifices, quos uos medicos appellatis. qui quidquid ſibi in mentem uenerit dicunt & faciunt. ij autem, qui bene medentur, incidunt, urunt, ligant, intus, & extraque medicinas

cinas exhibent: quòd ſi conualeritis nullam gratiam habetis, ſed Dijs habendam profitemini, ſin minus medicos accuſatis. Potius autẽ mihi lætandum eſt, quàm dolendum, quòd plus ſcio quàm ignorem, quod mihi contigit ex quo cum Antiſthene ſapiente conſuetudinem habui, qui cum ijs duntaxat, qui ſe ipſum norant, diſputabat. Cæteros qui naturam, rationem, ueritatem, ignorabant penitus contemnebat, nulla cura adhibita pueris & carentibus ratione. allata eſt in epiſtola ratio canis barbaris cur eis gemendũ ſit, quouſq; Græcè edocti Græci efficiantꝰ: nã nunc lõgè elegantiores ſunt, qui barbari uocantur, & loci quem habitant, & morem ratione. Nam qui Græci nuncupantur, apud barbaros merent ſtipendia: barbari autem & ſibi res ſuas conſeruandas & ad tuendum ſe ſuffecturos arbitrantur, nobis autem nihil ſatis eſt, quippe qui ambitioſi & ſine ratione perditè educati uiuitis:

DIOGENES NIPPONI.

HORTARIS *me, vt ad te ſcribam, quid tandem de ſepulchro, & morte ſentiam, ac ſi perfectus Philoſophus minimè futurus ſis, niſi id à nobis didiceris. Ego autem ſatis nobis arbitror, ſi ſecundum virtutem, & naturam vixerimus: quod in noſtra poteſtate eſt. Quæ autem poſt mortem ſunt, ita à naturæ ratione ſeparari, quemadmodum quæ ante generationem, nobis perſuadendum eſt. Quo*

enim

enim modo homo natus eſt, eodem diſſoluitur. Nulla igitur omnino futurorum formidine moueare, cùm nihil ſenſurus ſis. Ego cùm moriar, iuxta me baculum ponendum ſtatui, vt quæ me offenſum veniunt animalia, abigam. Vale.

LIBANIVS ARISTENETO.

TV *de nobis quidem malè loqueris, nos autem de vobis bene prædicamus. Verùm neque tibi aliquis, neque mihi fidem habebit. Vale.*

LIBANIVS PHILIPPO REGI. S.

QVI *magnum aliquid à Dijs conſecutus eſt, ſi parum ſe accepiſſe arbitratur, illis iniuriam facit, qui de ſe benemeriti ſunt. Tum verò, ſi quid à Muſis adeptus es, q̃ illæ Daphni tradidernt, nõ iure in eorum te numero collocas, qui paruum quiddam acceperis. atqui reclamat tibi vir aliquis, omneſque gentes. At ſi te poetam appelles, audit aliquis, oppugnat nemo nobis autem maior æmulorum copia eſt, quàm illa ſit muſcarum numeroſa multitudo, quæ verno tempore ad ouilia confluunt. Si verò me ſophiſtam dixero, clam te eſſe oſtendis, quòd multo antè ſophiſtarum me ordo ſuſceperit.*

LIBANIVS DEMETRIO. S.

NON *relinquis petitioni locum, omnia mittens priusquam rogeris: ſimulac enim aliquid vobis terra produxerit, illud è veſtigio mihi à vobis traditur. Nec continuò mihi perſuaſerit, ſi quis ita loquatur, quòd bona ſunt arua ſuburbana, quòdq; nunc illud proferunt, & ſeruus quidem tuus prope adeſt ad nos illa deferens, quorum in aruis mira paucitas eſt. Quomodo autem fiat, agricola, cùm Iuppiter non pluuit, pluuias petit: pluente verò ſedens lætatur. verum non petit.*

PYTHAGORAS HIERONI. S.

SECVRA *& quieta vita mea eſt; tua quidē nihil ſimile cum mea habet. frugi enim uir, & continens Siculorum menſas nullo modo cupit. In quemcumq; diem venerit Pythagoras, abundabit. gratia enim Tiranni manſueto viro & inimica, & moleſta eſt; quippe maxima res eſt omnia in ſe poſſe. is neque inuidum habet, neque ſui proditorem. Quamobrem uilis uita uilis uiri, Deorum uitæ proxima uidetur. ſtatus bonus non rebus Venereis fit, aut delicatis cibis: ſed continentia, quæ ad uirilem uirtutem hominem ducit. Variæ quidem, & ſuperbæ voluptates ſeruos infirmorum hominum faciunt, præſertim hæ voluptates, qui-*

bus tu inuolutus es. Et quoniam ijs impeditis ſaluti te adiungere nullo modo poſſes, ſententiā quidem tua infortunitatis apta eſt. noli Pythagoram tecum victurū uocare, non enim medici cum ægrotis febrem pati uolunt. Vale.

DIOGENES N.

VENI *Megaris Coryntbum, ubi in forum profectus ad puerorum ludum conſtiti: qui cùm non rectè verſus canerent, ſciſcitanti mihi, quis nam ipſorum eſſet præceptor, reſponderunt, Dionyſium, Siciliæ Tyrannum. Quos cùm irridere, neque verum dicere arbitrarer, ludum ingreſſus, ſedato animo ſedi illum expectans qui in forum profectus dicebatur: non multò pòſt redijt. Tum ego aſſurgens his eum verbis compello: Quare non bene Dionyſi doces? Ipſe verò ſui me miſericordia motum ratus ob amiſſam Tyrannidem, & fortunæ commutationem. Hoc, inquit, pacto, Diogenes, res ſeſe habent: Verùm tu perhumanè facis, cùm noſtræ miſereris calamitatis. Cui ego verum aperu: Non quod Tyrannidem, inquam amiſeris, doleo, Dionyſi; ſed quòd liberè in Græcia verſaris, quòdque à Siculis calamitatibus liberatus es, quibus te abſumi oportuit, cùm terra mariq́ue tot mala commiſeris. Vale.*

THEMI-

THEMISTOCLES IONIIS. S.

IMPROBE agitis Ionij, qui Græciam ſeruam fieri contenditis, quam & parentem vobis eſſe recordari, & pro tuenda libertate veſtra dimicare, æquum fuerat. Quod ſi uobis minus probatur in neutram tamen partem concedatis: idque Carios agere hortamini. quod etiam ſi facere commodum uobis non ſit, cùm prælio interfueritis, ita uos geratis, ut uos à nobis oriundos, bellumque à uobis primo excitatum cognoſcatur. Valet.

PIVS. II. PONT. MAX. CHRISTOPHORO Mauro, Duci Veneto, S.

QVOD iampridem occulto concepimus animo, nunc in lucem venit, & omnibus patet, æſtate proxima bellum contra Turcas mouemus, & Apoſtolicus ſacer ſenatus comes erit: nec deerunt robuſtæ militum cohortes, quæ nobis oratione pugnantibus, ferro dimicent. Decretum noſtrum publicè lectum eſt, vndecimo Calendas Nouēbris. Quod promiſimus, fauente Deo Optimo Maximo, perficiemus; neque irrita fient verba noſtra: quantum pro uiribus poterimus, tanto fortiores ad bellum proficiſcemur. Comitabitur & vos dilectus filius, Philippus, Burgundiæ Dux, & claro Francorum ſanguine natus, quem validas & veteranas

nas legiones adducturum non dubitamus. de huius exercitu maximè ſperamus, nec minus de claſſe veſtra, quam paulò antè Pelloponeſum nauigare iuſſiſtis: cuius egregia facinora,& priſcis æquanda factis, multa cum gloria referuntur: hanc perſeueraturam in bello contra Turcas nobiſcum & cum Philippo duce confidimus; nam & ita cum Oratore veſtro ſtatutum eſt. Nec dubium nos habet, quin totis uiribus veſtris bello huic faueatis, quod pro amplitudine Fidei noſtrę ſuſcipitur. Hæc, quamuis magna ſint, fœliciſſimos curſus mihi tamen polliceri videantur, ac certiora & maiora victorię ſigna, ſi tu bello interfueris, teque nobis adiunges reipublice ductor & Princeps. Multum in bellicis rebus auctoritas valet & ſplendor & gloria Principum. Terrentque ſæpe magnis nominibus hoſtes, & fama magis quàm re ipſa diſſipantur. Multum (crede nobis) terroris affert inimicis noſtris magni Ducis Burgundiæ authoritas: nos quoque per Apoſtolicæ ſedis dignitatem hoſtilem metum nonnihil augebimus. Quod ſi tu pariter acceſſeris bucinatoria naui,& ducalibus ſublimis inſignibus, non Grecia ſolùm, ſed Aſia, & omnis terrebitur Oriens. Nec dubites, quin ſimul iuncti pro Sancto Euangelio, proque gloria noſtri Dei, authore ipſo, res clariſſimas gerere valeamus. Hortamur itaque te præſtantem virum, vt noſtro in hac parte deſyderio morem geras. Te igitur accingas huic bello, atque ita res tuas diſponas, vt nobis mare ingredienti-

gredientibus apud Anconam adſis copias iun-
cturus. erit hoc rei Venetæ maximè glorioſum, &
Chriſtianæ Republicæ maximè ſalutare; tu verò
beatæ vitæ præmio donaberis. Scimus apud Ve-
netos, non eſſe nouum vrbis Principem claſſem
aſcendere, ac bellum gerere. quod ſi vnquam licuit,
nunc imprimis decet, cùm pro religione dimica-
mus, & Chriſti ſaluatoris noſtri cauſa geritur.
Veni igitur fili, neque labore graueris, quem nos
ſponte etiam ſubimus. neque ſenem te dixeris
tanquam per ætatem debeas excuſari. Philippus
quoque ſenex eſt, & longioris quàm tu viæ incom-
modo properat, & nos ſenectus inuaſit annos duo
de ſexaginta natos. accedunt morbi, qui nos dies
& noctes torquent; nec tamen propterea laborem
detrectamus. Noli tanquam ſenem aut imbecil-
lum huic tam ſancto & tam iuſto bello te ſubtra-
hare. conſilium tuum & authoritatem quærimus,
non lacertorum robur, aut alias corporis vires.
quod Philippus bello præſtabit, hoc abs te peti-
mus. Cura vt uenias: tres erimus bello ſenes, quo
terno numero imprimis Deus Optimus Maximus
gaudet: Triadem noſtrã ipſa cæleſtis adiuuabit, &
coram nobis hoſtium cohortes conteret. Veni igitur
ac mecum bene ſperes. Datum Romæ, apud San-
ctum Petrum, anno Incar. Dom. 1463. Octauo
Kalendas Nouembris. Pontificatus noſtri anno. 6.

BARTHOLOMEVS GEORGIANVS, Maximiliano Boemiæ Regi S.

SÆPENVMERO *mecum cogitans, Inuictiſſime Rex, mirabar, quid illud eſſet, quòd cùm omnia pro Chriſtianorum victoria ſtare viderentur, ipſi tamen multis ab hinc annis in acie cæſi profligatique ſemper fuerint. Habemus Chriſtum, qui nocte vnica exercitum Sennacherib deleuit; qui mulieris Iudith manu Holophernem interfecit, & vt breui dicam, ab ipſo Deo Optimo Maximo victoriæ omnes pro arbitrio condonantur. Econtra verò, Turcæ habent Mahometem, qui viuens ſceleſtiſſimus fuit, & mortuus ſine ſpe denuo viuendi in ſepulchro iacet; ita, vt tantum inter vtrumque deum interſit, quantum inter viuentem Dei filium, & olētiſſimum cadauer hominis ex mortali homine progeniti. Adeò quòd in iis Chriſtianorum cladibus ſi quis exactè naturam vtriuſque numinis intueatur, mortui homines armis ac vi viuos vincere plane videntur. At nos, quamuis corporis robore animique viribus illis præſtemus, quæ ad victoriam plurimi fieri ſemper ſolent; verumtamen ubique locorum fundimur ac fugamur. Quis durior Vngaro? quis formidabilior Germano? quis præſtantior Gallo? quis firmior Hiſpano? quis clarior Italo: vt reliquos prætermittam, qui Turcis corporis viribus vel præſtantiores vel æquales iudicari*

dicari poſſunt. quod ſi qualitates animorum conſideres, quis in vulneribus ac periculis ſecurior Vngaro milite? quis generoſior Germano? prudentior Italo? elatior Gallo, callidior Hiſpano: quæ omnia ſponte ſua victoriam comparare nobis facilè poſſunt. Sæpe nullis alijs viribus audacia victoriã parat, ſæpe animi altitudo, ſæpe præſtantia, ſæpe prudentia, ſæpe etiã calliditas: nobis tamẽ miſeris continuò uictoria ferè parta effluit è manibus.

Nunc ſi bello res opportunas, armorumq́ue genera cõferamus multis rationibus liquet, nos Turcis præſtatiores. tormentorũ inuentum noſtrum eſt, noſtrum tot omniũ armorũ genus. Perſę inermes, aut ferè nudi in aciem prodeunt; Ii arcubus, nos ſclopetis; nos fulminibus, ipſi ſagittis vtuntur, quę armorum duritie eludũt. Tormentis verò non rupes, nõ ſcopuli ipſi obſiſtere aut ſufficere queant. Ipſi quos Muſalmanos vocant ſclopetarios ſed numero pauciores, ac minus peritos habent. At, quæſo, quas gentes in aciem educunt Scythas, & Thraces, quibus nihil Italæ ſapientiæ, nihil Hiſpanæ calliditatis ineſt? in eorum animis feritas, barbaries, ac rerum omnium ignoratio dementiæ immixta dominatur. Iis additur Græcus longa iam deſidia imbellis, Aſiaticus præ luxu nimio languens, Aegyptius & corpore & animo mollis, Arabs exuſtus, puſillus & exanguis: quis ab huiuſmodi militibus fortiſſimos Gallos, audaces Germanos, Italorum ingenia, Hiſpanorumq́ue verſutias vinci poſſe animum induce-

ret? Veruntamen vincimur, & ab ijs vincimur, qui iure optimo in ſeruitutem à nobis vendicari poterant: ſerui ipſi, vt iugum à maioribus noſtris ſibi impoſitum detrectent, nobis, quibus libertas ampliſſima ac pulcherrima relicta fuerat, bellum indixerunt. Si verò leges vtriuſque gentis, ſi ritus proſpicias, nec ijs aliqua ex parte inferiores ſumus. Nam quæ res auguſtior Euangelio? quæ maiori ordine diſpoſita q̃ ius pontificiũ? quæ ſapientior ac grauior ciuili iure? at e contrà viuunt ij Alcorani legibus non minus ineptis, quàm vanis, quem librum à Chriſtianis legi ac propagari miror, ac ſi nos eorum leges addiſcamus de noſtris aliquando iacturum facturi, vt primùm Turcæ animo efficiamur, deinde Otomano Imperio adiungamur. Cur igitur tot tantiſque rebus maximis præſtantes ijs ſuccũbimus? vnde eſt, vt vexilla cruce ſignata, quę aliquando & Turcis & dæmonum turmis formidini eſſe ſolebant, nunc tam facilè capta hoſtibus ludibrio fiant? Id dicam, & breui dicam: nos Deũ magnum & verum, ſed nobis iratum infenſumq́; habere ita, vt vnà cum Vate illo non populus Dei dici poſſimus. Cur autem Chriſtus tot falſis opinionibus & ritibus diſcerptus nobis præſto eſſe debeat? præter nomen Chriſti, nihil nobis iampridem reliquum eſt: noſtra hac tempeſtate agricola obſcenus eſt & gladiator, ciuis nobilis doloſus & auarus, qui præſunt curiæ, retributiones quærunt, & numera amant, nobiles luxui proni ſunt ac deſi
diæ;

diæ;miles præter ſtipendia ſpoliaque, nihil magnopere curat, quò ceſſura imperia ſint, nihil cogitat, ſine delectu amicis hoſtibusque æquè infenſus. viri autem ſacerdotes præter pompam & regios faſtus, nihil ſancti habent, non religionem, non ſanctitatem, non doctrinam nouerunt. omnes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, curant. Nihil eſt igitur, quòd miremur, ſi Chriſtus huiuſmodi moribus aduerſatur; nos ſine Deorum præſidio pugnamus, & quod deterius eſt, aduerſum Deum dimicamus: nos crucem ſignis impictam proferimus, at Chriſtus cruci affixus ex aduerſo acie; nobis opponitur. omnia igitur corruunt & maximis calamitatibus inuoluuntur, cùm alteri Chriſtianorum populorum aduerſus Turcas pugnant, alteri & alijs bellis implicantur, aut deſidio ocioque torpeſcunt. miles in aciem eductus, pecunijs, non Chriſto inſeruit, niſi illi quamprimum ſtipendia pendantur, continuò caſtris excedit, aut transfugit. Quid igitur ſapientia Italorum, quid induſtria Hiſpanorum, quid robur Germanorum, quid indomatæ Gallorum vires, quid Vngarorum audacia proſint, vbi miles non Chriſtum, non gloriam cogitat, bellumq; quaſi tabernam ingreditur, eo conſilio vt diuina humanaque omnia euertat? Leges ſanctiſſimæ nobis propoſitæ ſunt, at moribus perditiſſimis tenemur; armis optimis, at animis peſſimis militamus. ſummamque gloriam arbitramur ciuilibus armis egregiè digladiari. Si verò aduer-

ſus Turcas ſegniter pugnemus, aut nullo vitio datur, aut nulla pœna propterea plectimur. Dicat mihi aliquis, quando quiſpiam miles militiam deſerens, aut transfuga ſupplicio vel minimo affectus fuit? at priſcis ijs temporibus pro tuenda militari diſciplina deſertores, transfugę, & huius modi capite plectebantur, decumiſque legiones vniuerſæ aliquando imminuebantur. Prodeamus ergo in bellum pauci numero, moribusq; impuris contaminati aduerſus innumerabiles hoſtiũ copias militaris diſciplinę apprimè obſequẽtes. Turcę enim in caſtris vitia exuunt, Chriſtiani induunt; Turcæ neſciunt delitias, caſtra Chriſtianorum ipſæ delitiæ dici poſſunt Vbi luxus & licentia dominatur, pluresque in exercitu meretrices quàm milites enumerantur. Vngarus proditionibus ſtudet, Hiſpanus furatur, Germanus vino indulget, Italus ſcortatͣ, Gallus cantat, Anglus vorat, ita vt vix ne militem vnum militari diſciplina dicere iure poſſis. nulli mirum ſi ſobrij, ſi frugiq́ue homines, continentes, ac vigilantes vincant, vicanturq́ue qui errantes furantur, alij inter pocula, alij ſomno ſtertentes, aut cum ſcortis deprehenſi intercipiuntur. Hoc verò plebi populoque vitio dari debet; at quòd nos Turcis pares copias in aciem educere non poſſimus, Reges ipſi in culpa ſunt. Nunc bellorum Gallorum tandem finem ſuum ſortitum eſt, ex quo fit, vt non modò hereſes vniuerſas extingui, ſed & Principum odia ſimultatesq́ue omnes, ac tandem

dem firma ſubſidia aduerſus Turcas mitti poſſe aliquando ſperemus. Germania igitur ſola quinquaginta millia peditum in aciem educet, nec pauciores Italia armabit. Totidem, ac plures è Gallia expectabimus, Hiſpaniaque pari militum numero Chriſtianorum rebus fauebit. Quid de Barbantia? quid de Flandria, Hollandia, Zelandia, Friſiaque dicam? ipſæ decẽ millibus equitũ XX peditum præſto aderunt. reliquiæ Pannoniorum, Morauiæ, Sleſia, Boemia & quicquid gentium Iſtro flumine alluitur, Poloniæque ac Ilyrico nomine continetur quàm facillimè ſexaginta equitum millibus aduerſus communes hoſtes in aciem prodire poterunt. Quis dubitet huiuſmodi copijs procuratis diuinis rebus, moribus noſtris aliqua ex parte inſtauratis, nos de Turcis triumphaturos, Græciam, Thraciamque totam de hoſtibus recepturos, quibus in locis adhuc etiam Chriſtiani ritus & religio uiget. ij enim homines ancenſis arrectiſque animis Chriſtianorum arma expectant, ad minima quæque rerum momenta defecturi, Othomanorumque regum iugum detrectaturi. poſt unicam uictoriam uideo planè latiſſimos aditus ad Pannoniæ res inſtaurandas dari; futurum ut Iſtro flumine tormenta, reſque bello opportunæ ad oppugnandum Biſantium conparentur, ad quarum rerum apparatus exciti Perſæ ipſimet ad vſque ſuburdia Biſantij excurſitiones facient. aderunt & nobis Ruthenus, & Georgianus reges, quibus aduerſus Tur

cas nec uires nec odia ullo tempore defuere. Ethiopum Rex Ioannes non conquieſcet, ſed ab India mouens communi hoſti clades quàm maximas poterit, inferet. Hæc uolui tibi dixiſſe, Maximiliane optimorum Imperatorum filio, tum quòd maxima ex parte Chriſtianorum calamitates expertus ſim, tum etiam quòd ea ſibi omnes de uirtute tua polliceri uidentur, ut te alterum Maximilianum ataum, Ferdinandum parentem, Carolumque Cæſarem patruum futurum ſperent. quæ hominum maxima ſpes percrebeſcit, uireſque ſumit tuis aucta virtutibus. Nos igitur Deum oramus, vt inimicæ tuæ tantæ expectationi faueant, cui te nunquam defuturũ vereamur, vt tandẽ Chriſtianorum res profligatæ ac feſſę in virtute tua conquieſcant.

ISOCRATES PHILIPPO Macedonum Regi S. D.

SI *eſſem iunior, non per literas tecum agerem, ſed iſtuc profectus coram diſſeruiſſem. Sed cùm adoleſcentiæ meæ tempus, & rei gerendæ occaſio non vnà inciderint, (nam & ego ſenectute pigreſco, & illa nunc rectiſſime adminiſtrari poteſt) ita eam tibi explicare conabor, vt tali ſtatu rerum fieri poteſt, equidem haud ignoro quantum ad perſuadendum interſit, vtrum viua voce, an per literas conſilium detur: non eo tamen, quòd iiſdem de rebus præſenti cum præſentibus agere, quàm*

ſcriptis

ſcriptis facilius eſt, aut quòd omnes dictis quàm ſcriptis plus credunt, & illa tanquam decreta, hæc vt figmenta audiunt: ſed propterea imprimis, quòd in congreſſibus ſi quid fortè vel non rectè intelligitur, vel non creditur, is, qui coram adeſt, vtrique incommodo leui opera medetur: in ſcriptis ſi talis ſcrupulus inciderit, nemo eſt qui tollat, ipſo authore & defenſore non præſente. Sed cum totius rei penes te iudicium ſit, bona mihi ſpes eſt, orationem noſtram ponderis aliquid apud te habituram, quem reiectis omnibus id genus impedimentis, res ipſas inſpecturum arbitror. Quidam autem qui in congreſſum, & colloquium tuum venerunt me ab hoc inſtituto deterrere ſunt conati, dicentes apud te aſſentatores in precio eſſe, contemni monitores. Quorum verbis ſi crederem, altum ſanè ſilentium tenerem: ſed nemo unquam mihi perſuadebit poſſe fieri, ut quiſquam tanta rerũ geſtarum gloria, et laude, ſapientiæ cæteris antecellat, niſi ex alijs diſcat, alios audiat, alijs benefaciat, & undecũq; accerſat & colligat ea, quibus ingeniũ excolatur. & hæ me cauſæ, ut ad te ſcriberem mouerunt. Dicturus autẽ magnis de rebus, deq; ijs, quas audire nemini mortalium, quã tibi magis conuenit, te alacriter adeò eſſe hortandũ exiſtimaui, ut ſcriptã orationẽ audire dignaretis. Neque enim aut ego nũc gloriolam capto, aut te huiuſmodi orationes, uel ad ſatietatẽ audiuiſſe ignoramus. adhæc illud etiã oĩbus eſt perſpicuum, ſi qui oſtẽtare ingenia cupiant, celebres eis conuentus

tus

tus eſſe petēdos, in quibus plurimos inuenient eloquētiæ ſuæ admiratores. Si qui autem perficere aliquid ſtudeant, ijs cum eo diſſerendum eſſe, qui rebus ipſis, quæ oratione fuerint expoſitæ, ſummum faſtigium quamprimùm imponat. Quod ſi vrbi alicui conſilium darem, cum magiſtratibus, & principibus ciuitatis ſermonem haberem. Cum verò de ſalute Græcorum tuenda ſuadere inſtituerim, quis nam mihi æquiùs appellandus erit, quàm is, qui & nobilitate & potentia Græcis omnibus præſtat? Nam dum Lacedemonij rerum potirentur, difficile tibi fuiſſet gentis noſtræ ſuſcipere curam, illisque aduerſari. Nunc verò in eo loco res eorum ſunt, vt bene ſecum agi putant, ſi ſuam ditionem tueri queant. Noſtra verò ciuitas promptiſſimea tecum ſuas opes coniungeret ſi de Græcia benemerire ſtudebis. Quæ igitur hac melior occaſio tibi dari queat? Mirari autem non debes, me, qui neq; orator ſim, neq; Imperator, nec alioqui vir potens, negocium tam arduum ſuſcepiſſe, duasque res maximas conari, vt de ſtatu Græciæ orationem habeam, & tibi dem conſilium. nam ego, vt nunquam geſſi remp. (qua quibus de cauſis abſtinuerim dictu operoſum fuerit) ſic nemo negabit, opinor, me ea doctrina, quæ res minutas deſpicit, & conſequi arduas conatur, non eſſe deſtitutum. Quare abſurdi nihil fuerit, me quid publicè proſit aliquanto acutius proſpicere quàm qui iſtic reipublicæ præſunt, magnamque authoritatem

tem habent Statim autem declarabimus, an alicuius precij ſimus, cuius rei teſtis aptiſſimus ipſa erit oratio.

ISOCRATES PHILIPPO REGI S.

EQVIDEM ſcio ſolere gratiores eſſe omnibus laudatores, quàm monitores, præſertim ſi quis præcipiendi munus non rogatus ipſe vltrò ſuſcipiat. Ego verò, niſi prius optimo ſtudio te monuiſſem ijs de rebus, quæ officij tui eſſe maximè videbantur, fortaſſe nunc de ijs, quæ tibi acciderunt pronuntiare non inſtituerem. Sed quia nihil propoſitum eſt rerum tuarum gerere curam, cùm patriæ meæ, tum cæterorum Græcorum cauſa, turpe mihi ducerem de rebus non perinde neceſſarijs conſilium tibi dediſſe, nunc longè grauiorum nullam facere mentionem. Tum enim gloria tantùm agebatur: hæc verò ad ſalutem tuam pertinent, quam neglexiſſe viſus es omnibus qui conuicia in te dicta audiuerunt. Nemo enim eſt quin ſtatuat te in adeundis periculis magis eſſe temerarium, quàm regia dignitas patiatur, & de laude fortitudinis, quàm de ſumma rerum eſſe ſollicitum. Atqui æquè turpe eſt, & hoſtibus circundatum ſtrenuè pugnando alijs non ſuperiorem eſſe; & cùm nulla talis vrget neceſſitas, in ea te diſcrimina conijcere, quibus ſuperatis nihil memorabile geſſeris, interfectus omnes fortunas vnà euertas. Neque verò ſemper præcla-

præclarum habendum eſt in bellis occumbere, ſed quando id fit, pro tuenda patria, parentibus, liberis, laudabile eſt. Cùm verò talis obitus, & ijs omnibus nocet, & ſuperiorum temporum ſucceſſibus labem aſpergit, turpis habendus, & fugiendus eſt, vt ignominię conciliator. Eam potius ingerendis bellis rationem tibi ſequendam cenſeo, qua vrbes vtuntur: nam hæ omnes, quum aliquò mittunt exercitus, rempublicam, & ſenatum de rebus præſentibus deliberantem in tuto collocare ſolent: vnde id etiam euenit, vt ſi qua plaga fuerit accepta, non tamen vnà robur totum amittant, ſed & multas clades perferre, & tandem vires ſuas reficere poſſint. Quod & tibi propoſitum eſſe debet, neque vllum ſalute maius eſſe bonum exiſtimandum, vt etiam victorijs, quæ contigerint rectè vti queas. Non vides quanta ſit Lacedemoniorum de Regum incolumitate ſolicitudo? adeò vt clariſsimi quique ciues eos tueri ſoleant, quibus turpius eſt à capite regis pericula non depuliſſe, quàm clypeum abieciſſe. Neque illa etiam ignoras, quæ Xerſi Græcis inſidianti, & Cyro Perſarum regnum aggreſſo, acciderunt. alter enim tantis prælijs victus, tot cladibus affectus, vt nullum ſimile exemplum quiſquam nouit, tamen, quia vitam ſeruarit, non ipſe modò regnum recuperauit, ſed idem filijs ſuis reliquit, & Aſiam ita firmauit, vt nihilominus ſit, quàm prius formidanda. Cyrus autem victis omnibus regis exercitibus,

cùm

cùm ſumma rerum potitus eſſet, temeritate ſua non ſe ipſum duntaxat tanto Imperio priuauit, ſed & milites ſuos in ſummas clades coniecit. Innumeros enumerare poſſem, qui, cùm maximorum exercituum Duces eſſent, quia ipſi immaturè perierunt, vnà ſecum multa millia in exilium traxerunt. Hæc exempla tibi conſideranda ſunt, vt eam fortitudinis laudem, quæ cùm vecordia, & intempeſtiua ambitione coniuncta eſt, non appetendam iudices: neque ipſe vbi in tot regnorum periculis, alia ignobilia, & militaria accerſas, neque cum iis certes, qui aut vitam calamitoſam perdere volunt, aut ſtipendij maioris impetrandi cauſa temerè in pericula ſe conijciunt; neque gloriam deſideres tibi cum aliis multis & barbaris & Græcis communem: ſed eam, cuius tanta ſit amplitudo, vt tibi ſoli noſtro ſæculo contingere queat. neque tales virtutes nimis adames, quæ contemptis etiam viris haud negatæ ſunt: ſed illas, quarum nemo malus particeps eſt. neque bella geras obſcura, & moleſta, cùm magis honorifica & ſuàuia ſuſcipere liceat. neque ea, per quæ & tibi coniunctiſſimos moleſtiis ac ſolicitudinibus afficias, & hoſtibus tuis magnā ſpem ſubminiſtres, id quod nunc abs te factum eſt: ſed barbaros iſtos, cum quibus nunc bellum geris, tantiſper viciſſe ſuffecerit, dum regnum tuum in tuto collocaris. Iſte verò, qui nunc Rex magnus appellatur, regno euertendus eſt, vt & gloriam

tuam

tuam amplifices, & Græcis oſtendas cum quibus bella gerenda ſint. Vehementer autem optarim me hæc ad te ſcripſiſſe ante ſuſceptum bellum, vt vel ſi paruiſſes, in tantum periculum non incidiſſes; vel ſi mea monita neglexiſſes, ego non viderer ea ſuadere, quæ nunc euentu magiſtro edocti omnes probant: ſed vt exitus teſtaretur vera & recta fuiſſe mea ijs de rebus conſilia. Cũ verò huiuſce diſputationis ea natura ſit, vt latam dicendi materiam præbeat, ego pluribus verbis non vtar, quòd exiſtimo & te ipſum & ex amicis tuis viros honeſtiſſimos facilè quàm multa volueritis ad hæc adiecturos. Præterea vereor, ne fuerim in hoc loco tractando curioſior; Nam dum paulatim progredior, non animaduerti me, neglecta epiſtolæ breuitate, iniuſtæ orationis prolixitatem inceſſiſſe. Quæ quamquam ita ſunt, non tamen prætterire debeo quæ de noſtra vrbe dicenda ſunt: ſed danda eſt opera, vt te horter ad ineundam cum ea familiaritatem & amicitiæ vſum. Arbitror enim eſſe multos, qui nuncient, atque dictitent nõ odioſiſſima tantùm, quæ apud nos de te dicta ſunt, ſed quædam etiam de ſuo affingant. Minimè autem te illos audire decet. Nam abſurdum fuerit, te, qui noſtrum populum eo reprehendas quòd calumniatoribus facilè aures præbeat, illos magnifacere, qui artem calumniandi exercent. Satis enim intelligis iſtos, quo facilius ciuitatem noſtram à quibuſlibet in quamuis poſſe deduci partem aſſerunt,

runt, tibi magis opportunam eum oſtendere. nam ſi ij, qui nulla in rempublicam beneficia conferunt, ſolis verbis quicquid volunt impetrant: quì conſentaneum eſt, te, qui ipſis factis nos plurimum iuuare potes, quicquam à nobis non conſecuturum? Acerbis autem noſtræ vrbis accuſatoribus illos eſſe opponendos video, qui Athenienſium omnia eſſe dicunt, neque minus eos, qui Athenienſes nulla vel magna vel parua in re deliquiſſe aſſerunt. Abſit autem, vt ego tale aliquid dicam. nam cùm alij, nec Deos omni crimine vacare putent, ego erubeſcerem gloriari, nos nihil vnquam peccauiſſe: illud tamen dicere non verebor, te nullam aliam vrbem inuenturum, quę vel Græcis, vel tuis rebus magis opportuna ſit: quod tibi eſt quàm diligentiſſimè conſiderandum. Nec enim tantum ſi tecum ſocietatem inierit, ſed ſi vel amica tibi eſſe viſa fuerit, maximas tibi allatura eſt vtilitates. Nam & hos, qui tibi nunc parent, ſi non habebunt ad quos confugiant, facilius in officio cōtinebis & quoſuis barbarorum celerius ſubiges. An verò talis beneuolentia non alacriter expetenda eſt, qua non modò partum imperium ſecurè teneas, ſed amplam etiam ditionem ſine periculo acquiras? Miror equidem eorum Principum rationes, qui milites conducunt, & magnas in eo impenſas faciunt, à quibus & ipſi norunt plures eorum, quibus illi crediderunt, eſſe proditos q̃ ſeruatos; tā potentis verò vrbis adiūgere

gere ſibi ſtudia non conantur, quæ cùm ſingulas vrbes, tum vniuerſam Græciam ſæpe iam ſeruauit. Illud cogita multos laudare prudentiam tuã, quòd ita cum Theſſalis egeris, vt & æquum erat, & illis expediebat; qui quidem viri ſunt, non facillimis ingenijs, ſed animoſi & ſeditionibus gaudentes. Iſthæc eadem ratio de nobis etiam erit ineunda, quum ſcias, vt regionem Theſſallorum, ſic Athenienſium potentiam tibi eſſe finitimam, quam tibi omni ſtudio conciliare debes, cùm ſit multo præclarius beneuolentiam ciuitatum capere, quàm mœnia: hoc enim non modò inuidioſum eſt, ſed quicquid fit huius generis exercitibus plerumque aſcribitur: ſi autem familiaritates contrahere potueris, & hominum beneuolentiam colligere, ſapientiam tuam mirabuntur omnes. Hæc quæ de vrbe noſtra diſſerui affirmanti mihi iure credas. ſatis enim conſtat, me, & meis ciuibus adeò aſſentari non ſolere, vt nemo ſit omnium qui ſæpius eos reprehenderit, neque etiam in magno eſſe pretio apud vulgus & temerarios æſtimatores, ſed illorum alijs & ignotum eſſe, & alijs æquè inuiſum ac te. hoc tamen inter nos intereſt, quòd tibi opes & potentiam inuident: mihi, quòd me illis ſapientiorem eſſe profiteor pluresque ſunt, qui mea conſuetudine, quam illorum delectentur. Vtinam verò tam facile mihi eſſet quàm tibi conceptam de nobis vulgi opinionem abolere. Nunc id in tua manu eſt, modò vilis; mihi verò cùm propter ſenium,

nium, tum pluribus alijs de cauſis boni fortunæ eſt conſulenda. Quare non video plura dicere quor ſum attinent: hoc tamen addam, licere nobis, vt veſtrum imperium ac fœlicitatem Græcorum fœlicitati & beneuolentiæ commendatis. Vale.

ISOCRATES PHILIPPO REGI S. D.

ET *ſi cum Antipatro etiam & de noſtræ vrbis, & tuis commodis ſatis, vt mihi perſuadeo, copioſè differui: tamen ad te quoque ſcribere volui, quòd pace iam facta mihi agendum eſſe videatur, non multum abſimilia ijs, quæ in oratione perſcripta ſunt, ſed multò breuiora. Tum enim ſuadebam, vt compoſitis noſtræ vrbis, & Lacedemoniorum, & Thebanorum, Argiuorumque controuerſiis, Græcos in concordiam reduceres; exiſtimabam enim ſi id à principibus ciuitatis impetraſſes, quamprimùm reliquas quoque ſecuturas. ac illo quidem tempore alius erat rerum ſtatus. nunc verò in eo loco res ſunt, vt ſuadere nihil ſit neceſſe. nam propter commiſſum prælium omnes coacti ſunt ad ſanam mentem redire, & ea deſiderare, quæ te velle tum agere tum dicere cogitabam, bellum videlicet omiſſa, inſania & auaritia, qua contra ſe mutuò graſſarentur, in Aſiam eſſe transferendum. Præterea illud etiam complures ex me requirunt, vtrum ego tibi ſuaſerim, vt expeditionem contra barbaros ſuſciperes, an verò cùm*

tu iam id decreuiſſes, ego ſententiæ tuæ approbator acceſſerim. Ego verò cùm nunquam hactenus te conuenerim, nihil de hoc comperti me habere dico, ſed putare tamen te id iam antea conſtitutum habuiſſe, me verò tuis deſiderijs ſuffragatum eſſe: quæ illi cùm audirent, me rogabant vt te hortarer, ne mutares conſilium. nunquam enim edi poſſe illuſtria facinora vel Græcis vtiliora, neque vnquam poſſe dari meliorem gerendæ rei occaſionem. Si igitur ea, qua olim florui, facultas ingenij mihi ſuppeteret, neque ſenectus omnes vires ademiſſet, non per literas tecum agerem, ſed coram te extimularem, & hortarer ad hoc negociũ ſtrenuè ſuſcipiendum. Nunc, vt poſſum, te hortor, ne hæc negligas, aut deſiſtas, priuſquam rem omnẽ confeceris. Alterius porrò alicuius rei cupiditate inſatiabili æſtuare non eſt boneſtum. Nam pleriſque probabatur mediocritas. Sed magnam, illuſtremque gloriam deſiderare, nec eius vnquam ſatietate affici debẽt, qui alijs multum antecellunt. Id quod tibi contigit. Tum autem ad famæ tuæ ſplendorem nihil poſſe accedere putato, eamque rebus tuis geſtis parem fore, cum barbaros (ijs exceptis qui ductum & auſpicia tua ſequuntur) Græcis ſeruire coegeris, illumque regem, qui nunc magnus appellatur, eò redegeris, vt iuſſis tuis obediat. Hoc autem rerum ſtatu, nunc hæc tibi perficere multò facilius eſt, q̃ eã conſequi potentiam & gloriam, quam tibi vetuſti regni ſubſidio comparaſti

paraſti. neque enim quicquam tibi eſt reliquum, niſi, vt deus fias. Ego verò ſenectuti ob hoc vnum habeo gratiam, quòd eò vſque produxi vitæ meæ tempus, vt ea quæ adoleſcens animo agitaui & tum in pangyrica, tum ad te miſſa oratione ſcribenda ſuſcepi, partim nunc per te geri & adminiſtrari videam, partim deinceps perficienda eſſe ſperem.

ISOCRATES PHILIPPO REGI. S. D.

QVAMQVAM *apud nos periculoſum eſt literas mittere in Macedoniam, non modò nunc quum bellum vobiſcum gerimus, ſed pacis etiam tempore fuit. Ego tamen ad te ſcribere de Diodoto institui. æquum enim eſſe exiſtimo, vt magnifaciam, cùm omnes familiares meos, qui ſe nobis dignos prębuerunt, tum verò hunc propter & beneuolentiam erga nos, & morum integritatem. maxime autem vellem eum per nos fuiſſe commendatum. Poſtquam verò aliorum opera ei aditus ad te patefactus eſt. hoc mihi relinquitur, vt teſtimonium de eo dicam, eamque cognitionem veſtram, quæ mutuò intercedit confirmem. Nam cùm multi, & varij viri, atque ex illis plerique gloria celebres mea conſuetudine ſint vſi, reliquorum alij eloquentia, alij prudentia, & rebus gerendis claruerunt, ac alij quidem vitæ modeſtia & ſuauitate morum commendati ſunt, cùm ad alios vſus,*

& actiones prorſus inepti eſſent: huic autem contigit ingenij dexteritas, vt in ijs, quæ diximus, omnibus ſit abſolutiſſimus; quæ ego dicere non auderem, niſi & ipſe ab omni parte proſpectum eum haberem, & omnino putarem te idem cogniturum partim ex familiaribus cum eo congreſſibus, partim ex eorum, quibus notus eſt, ſermonibus. Quorum nemo erit, niſi ſupra modum ſit inuidus, quin fateatur eum & eloquentia, & conſilijs nulli eſſe inferiorem, virumque iuſtiſſimum, & modeſtiſſimum, & ab auri cupiditate alieniſſimum, inque vitæ conſuetudine ſuauiſſimum hominem, & diſertiſſimum. Adhæc magnam eſſe in eo dicendi libertatem, non illam quidem indecoram, ſed hanc quæ iure maximum ſignum habetur beneuolentiæ erga amicos, quam ex principibus ij, qui tantos animos habent, quantos Imperij maieſtas requirit, tanq̃ vtilẽ venerantur: qui aũt imbecillioribus ſunt ingenijs, q̃ potentiæ amplitudo poſtulat, vt moleſtiam aduerſentur, quaſi verò per eam cogantur aliquid contra ſui animi voluntatem facere, ignari nimirum cùm de vtilitate deliberatur, eos, qui aduerſari audent, maximam eis dare poteſtatem ea, quæ velint, faciendi. Conſentaneum enim eſt, eos, qui ad gratiam loqui omnia ſtudent, non modò regum. Imperia, quæ multa, (idq́ue aliter fieri nequit) pericula ſecum trahunt, firmare non poſſe; ſed ne rerum publicarum quidem, quæ aliquanto tutiores ſunt, libertatem. Decet autem eos, qui

propter

propter audientium vtilitatem liberè, quę ſentiunt, dicunt, multa conſeruare poſſe quæ alioqui peritura videbantur. His de cauſis æquum eſt apud omnes principes, maiorem eſſe eorum, qui vera dicere non dubitant, authoritatem, quàm horum, qui ad gratiam omnia, nihil autem gratia dignum loquuntur: fieri tamen ſolet, vt illi apud pleroſque minore in precio ſint, quàm aſſentatores, id quod etiam Diodotum apud quoſdam Aſiæ proceres afflixit, quorum commodis cùm multis in rebus conſuluiſſet, non dandis modò conſilijs, ſed rebus etiam gerendis, adeundisque periculis, quia tamen liberius eos officij ſui monebat, tum honoribus, quos in patria tenuit, ſpoliatus eſt, tum ampliſſimorum ſpe præmiorum decidit. Ita plus valuerunt leuiſſimorum hominum adulationes tanti viri meritis. His de cauſis tametſi ad vos ſe conferre ſemper in animo habebat, tamen neſcio quo timore eſt retardatus, non quòd omnes in altiori dignitatis gradu collocatos ſimiles eſſe putaret, ſed quia propter obiectas ab illis difficultates minus auidè ſpem, quę à vobis oſtendebatur, amplecti audebat. In quo idem illi accidiſſe videtur, quod nauigantium pleriſq;, qui vbi ſemel in tempeſtates inciderunt, non amplius ſecuris animis mare ingrediuntur, etſi ſciunt ſæpe proſperam etiam nauigationem ſolere contingere. Sed quoniam tibi commendatus eſt, id bene eſſe factum, eique profuturum puto; quod vt exiſtimem, tua imprimis facit humanitas, quæ ab exte-

ris hominibus prædicatur. Deinde vos præterire nō arbitror, nihil eſſe vel ſuauius vel vtilius quàm fideles ſimul & vtiles amicos parare beneficijs, & de talibus viris benemereri, propter quos multi etiam alij gratiam nobis habituri ſunt. Omnes enim boni & docti eos, qui præſtantibus doctrina & virtute viris honorem habent, nō minus laudent & venerentur, quàm ſi in ipſos collata fuiſſent omnia. Sed ipſum Diodotum ſuapte potiſſimum induſtria effecturum eſſe arbitror, vt ſui curam geras. Author autem eius filio fui, vt ſe ad vos conferret, ſeque vobis in diſciplinam quaſi traditò proficere atq; operepretiū facere conaret. Quod vbi ex me audierat, ſe quidē veſtræ amicitię percupidū eſſe dixit; ſed eodem eſſe erga illā animo quo erga certamina pugilum: cupere .n. in illis victoriam conſequi, ſed ad ea præterea deſcendere non audere, quod ſibi vires coronis dignas deeſſe animaduerterat. Eodemque modo deſiderare honores à vobis conſequi, ſed eam ſibi facultatem negatam arbitrari. nam & imperitia ſua & ſplendore veſtro ſe deterreri. Huc accedere corpuſculum quoque minus elegans & reprehenſionibus obnoxium, quod exiſtimet in multis ſibi rebus impedimento fore. & hic quidem, quod è re ſua eſſe putabit, id faciet. ſiue autem ad vos ſe contulerit, ſiue quieti, ac otiò dans in hiſce locis verſabitur, curæ tibi eſſe velim, cùm cætera, quibus indigebit, omnia vt ſubminiſtres, tum verò, vt & huius & parentis eius vita

in

in tuto collocetur. Exiſtimare enim debes te hunc tanquam depoſitum habere; à ſenectute noſtras (quæ minimè certè negligẽda eſt) & ab ea authoritate (ſi quo fortè nomine digna videbitur) quam habemus, & ab ea beneuolentia, qua vos per omnẽ ætatem ſum proſecutus. Neque mireris, ſi vel prolixiorem ſcripſi epiſtolam, vel aliquid in ea curioſius, aut ſenilius diximus. ego enim neglectis cæteris rebus omnibus in hoc vnum toto animo intentus fui, vt appareret mihi maximæ curæ eſſe amicorum commoda, quos ſumma charitate complector. Vale.

ISOCRATES ALEXANDRO REGI. S. D.

CVM *ad patrem tuum literas darem, abſurdè me facturum putabam, ſi te, qui in eodem loco cum illo verſaris neque compellarem, neque ſalutarem, neque tale aliquid ad te ſcriberem, quod efficeret, ne ij qui me ignorant, putarent me iam ſenio deſcipere aut prorſus delirare; ſed ingenium, quod adhuc mihi reliquum eſt, nec vnà cum vigore corporis interijt, non indignum eſſe ea facultate, qua iunior florebam. Prædicari autem te ab omnibus audio, vt & humanum, & Athenieñſibus amicum, & ſapientiæ ſtudioſum, in quo profectò non inſipienter, ſed prudentiſſimè facis. Illo quoque laudem mereris, quòd ex noſtris ciuibus amare & magnifi-*

care diceris, non eos, qui nullum virtutis & doctrinæ ſtudium habuerunt, malarumque rerum cupiditate conſtricti tenentur; ſed hos, quorum diſputationibus audiendis nullas moleſtias capias, quorumq; commercijs & conſilijs vtendo, neque damnis, neque iniurijs afficiaris. talium enim conſuetudo prudentibus expetenda eſt. Inter doctrinarum porrò genera ne dialecticas quidem diſputationes improbare diceris, ſed ſic de illis ſentire, vt eas exiſtimes in priuatis congreſſibus permultum valere, non tamen vel populi gubernatoribus vel principibus eſſe opportunas, neque expedire, nec decere, vt qui dignitate cæteris præſtant, vel ipſi cum ciuibus rixentur, vel cæteris dent contradicendi licentiam. Hoc igitur ſtudium te non amare ferunt, ſed eloquentiæ diſciplinam permagni facere, qua vtimur, & in quotidianæ vitæ negocijs, & cùm de republica deliberamus; per quam id ibi contigit, vt & nunc de futuris rebus prudenter tuis populis, & quid ſingulos facere deceat, non ſtolidè præcipere, & de rebus honeſtis & iuſtis, horumque contrariis rectè iudicare videaris: præterea ſic vel pœnis, vel præmijs afficere vtroſq; vt mereantur. Magna igitur laude digna eſt tua ſapientia, qui talibus ſtudijs occuperis. ſpem enim & patri & reliquis amicis facis, vbi ætate proceſſeris, & in ijs actionibus perſeueraueris, fore vt reliquos tantum ſapientia ante eas, quantum pater tuus omnibus antecellit. Vale.

Iso-

ISOCRATES IASONIS LIBERIS. S. D.

RENVNCIAVIT *mihi noſtrorum legatorum quidam, ſe à vobis ſeuocatum, ac ſeorſum à cæteris interrogatum eſſe, an perſuadere mihi poſſit, vt peregrè profectus veſtra familiaritate vtar. Ego verò propter Iaſonis, & Polyacis hoſpicium libenter ad vos venirem: cùm enim congreſſum poſſe omnibus vobis prodeſſe ſcio. Sed multa me impediunt atque illud imprimis, quòd & itineris labores ferre nequeo, & tam grandi ætate peregrè viuere indecorum eſt. Deinde quòd omnes audita ea peregrinatione iure me contemnerent, qui reliquo vitæ meæ tempore ocium ſectatus in ſenectute demum peregrinari inſtituerē, quum deceret etiam, ſi prius alibi vixiſſem, nunc domum feſtinare, poſtquam ab obitu tam propè abſum. Adhæc (vera enim dicenda ſunt) etiam ciuitatem meam formido, dum initas cum ea ſocietates celeriter ſolere video dirimi. quod ſi & erga vos tale aliquid accideret, quomodo & crimina & pericula effugere poſſem (id quod difficile admodum eſt) & non admitterem dedecus, ſiue aliqui putarent, vos à me propter vrbem meam negligi, ſiue propter vos patriæ rationem non haberi? Cùm autem non communis ſit vtilitas, haud ſcio quomòdo vtriſque gratum facere queam. Cauſæ igitur propter quas, quæ vellem, mihi facere non licet, tam multæ inciderunt*

derunt; neque tamen decere exiſtimo, vt de meis dumtaxat ſcribens, res ueſtras negligam. ſed quæ iſtic coram diſſeruiſſem, hæc eadem nunc ita, ut potero, explicare conabor. Minimè uerò putetis hanc epiſtolam non hoſpicij ueſtri, ſed oſtẽtationis cauſa à me ſcriptam eſſe: non enim ita inſanio, ut ignorem me hac affectũ ætate meliora ijs, quę prius edita & cum aplauſu excepta ſunt, ſcribere nequaquam poſſe, ſin deteriora protulero gloriæ meæ multum deceſſurum. Deinde ſi oſtentationi ingenij ſeruire magis quàm ſerio uobiſcum agere ſtuderem, non hoc argumentum ex omnibus delegiſſem, de quo haud difficile eſt apte diſſerere, ſed alia longè pulchriora & uberiora reperiſſem. Sed neque hactenus unquam de ijs mihi placui, ſed ob alia potius, quæ plerique ignorant, neque nunc eo animo laborem hunc cepi. Ad cùm uos multis arduis negocijs implicatos eſſe uideam, oſtendere uolo, quæ mea ſit de illis ſententia, ac dandi quidem conſilij facultatem ætati meæ adeſſe cenſeo; nam experientia, & rerum multarum uſus ſenes erudit, atque efficit, ut quid expediat acutiùs quàm alij perſpicere uideantur. De propoſitis autem rebus ſuauiter & cõcinnè atque elaboratè dicere non iam noſtræ ætatis opus eſt. proinde hoc mihi ſufficerit, ſi meam ſententiam non diſſolutè prorſus expoſuero. Neque uerò miremini, ſi quid dicere uidebor quod priùs audiuiſtis. nam eorum quædam fortaſſis inuito in mentem uenient, quędam quòd inſtituto meo idonea

ſciam

ſciam aſſumam. ineptus enim eſſem, cùm alios uideam dicta mea mutuari, ſi ego ſolus ijs, quæ priùs ipſe dixi, abſtinerem. Hæc propterea præfatus ſum, quòd id quod prius occurrit vnum ex peruulgatis eſt: ſoleo enim ad noſtræ diſciplinæ ſectatores dicere ante omnia eſſe cōſiderandum, quid nam oratione & partibus orationis efficiendum ſit: quod vbi inuenerimus, & accuratè confecerimus, rationes, & ornamenta quærenda eſſe dico, quibus argumentum expoliatur, & finem eum, qui nobis propoſitus fuerat, conſequatur. Hæc de orationibus dicimus; eſt autem idem & aliarum rerum omnium & veſtræ deliberationis fundamentum. non enim fieri poteſt, vt quicquam prudenter agatur, niſi hoc primum ſingulari ſapientia cogitaueritis, & conſtitueritis, quales vos in poſterum præbere uelitis, & quomodo vitam veſtram inſtituere, qualemque authoritatem expetere, & vtrum honorem adamare, eum ne, quem ciues ipſi vltrò deferunt, an qui ab ijſdem inuitis extorquetur. His iam definitis & decretis, ſingulæ actiones, quæ in dies incidunt, conſiderandæ ſunt, & efficiendum, vt ad eum finem, qui initio propoſitus fuit referantur. Quod ſi hoc modò quæretis ſapienterque cogitabitis, veſtra conſilia ad rationem vtilitatis tanquam meta propoſita accommodabitis, eamque magis aſſequemini: ſin nullum tale fundamentum iacietis, ſed id quod fortuitò incidet, agetis neceſſe eſt, vt animis veſtris erretis, & multis rebus

fruſte-

fruſtremini, fortaſſis autem, eorum aliquis, qui temerè vitam inſtituerunt, has rationes perſtringere conabitur, & vt certi aliquid de quæſtione ſupra agitata dicam, poſtulabit. Non igitur quid tota de re ſentiã, diſſimulandum eſt. mihi ſecurior eſſe videtur, & melior priuatorũ hominũ quam Tyrannorum vita; & iucundioris eos honores eſſe puto, quos principibus viri magnanimi habere ſolent, quàm quos à ſeruitute oppreſſis extorquet metus. Quamquam autem ſcio fore multos, qui mihi aduerſentur, & familiares veſtros imprimis hac de re diſſerendum eſt. Hos enim vos magnopere ad retinendam firmandamque Tyrannidem incitare opinor: non enim rei naturam vniuerſæ, nec ab omni parte intuentur, ſed hallucinantur, & in errores ipſi ſe coniiciunt: authoritatem illi quidem, & emolumenta, & uoluptates uident, iiſque ſe fruituros ſperant; ſed turbas, & terrores & clades principibus obiici ſolitas, illorumque amicis non conſpiciunt. Idemque illis euenit, quod iis, qui turpiſſima & maxime nepharia facinora moliuntur: qui tametſi rerum prauitatem non ignorant, tamen id commodi, quod illis ineſt, excerpere ſe poſſe ſperant; pericula verò & mala omnia rebus annexa effugituros, eamque de ſe rationem inituros, vt à diſcrimine omni ſint remotiſſimi, vtilitatibus verò proximi. Si qui igitur ita ſentiunt, illos ego ſua ſocordia beatos eſſe facilè patior: me verò puderet in dandis conſiliis meum duntaxat compendium

ſpecta-

ſpectare, illos autem, quibus conſulerem, prorſus negligere, nec (repudiares & commodis, & cæteris rebus omnibus vt à me alienis) vtiliſſima ſuadere. mihi igitur ſic auſcultetis velim, vt me hoc eſſe animo non dubitetis. Valete.

ISOCRATES TIMOTHEO S. D.

QVA neceſſitudine inter nos coniuncti ſimus, ex multis te audiuiſſe arbitror: gratulor autem tibi primùm, quòd iſta poteſtate melius vteris, quàm pater, ac prudentius, deinde quòd honeſtam famam parandi, quàm magnas diuitias coaceruandi es ſtudioſior. Non enim paruum ſignum virtutis oſtendis, ſed q̃ fieri pōt maximquiũ, tali animo ſis prœditus. Quarè ſi ut cœpiſti, paſſimquè de te dicitur, perrexeris, non defuturi ſunt, qui & ſapientiam tuam & inſtitutum iſtud laudibus illuſtrent. Arbitror autem etiam ea, quæ de patre tuo dicuntur, momenti plurimum ad hoc eſſe allatura, vt ſapere, aliјsque præſtare videaris. Solent enim plerique non ita commendare, & venerari laudatis patribus natos, vt eos, qui patrum ſæuitiam, & immanitatem nulla ex parte imitantur. Quicquid enim boni mortalibus præter expectationem offertur, id omnibus in rebus longè gratius eſt, quàm ea, quæ vſitata & legitima ratione contingunt. His igitur conſideratis, quærendũ tibi & ſolicitè cogitandum, quibus modis, & quorum opera, quo-

rumq; ue

rumque conſilijs tum vrbis calamitates emendes, tum ciues ad beneficentiam & modeſtiam cohorteris, atque efficias, vt & ſuauius & ſecurius euum exigant, quàm ſuperiori tempore. Nam hæc officia ſunt bonorum & cordatorum Principum. Quibus nonnulli contemptis in id vnum intenti ſunt, vt cum ſumma licentia voluptates atq; libidines ſuas expleant, eiectis, aut ſpoliatis optimis & prudētiſſimis ciuibus. Ignorant illi nimirum dicere viros prudentes in hoc honorum & dignitatis faſtigio collocatos, non ex aliorum miſerijs ſuas parere voluptates, ſed ſua ſolicitudine & laboribus ciuium fœlicitatem augere; neque acerbitatem & ſæuitiam in omnes exercere, ſuamque ſalutem negligere; ſed Imperium ea clementia & æquitate adminiſtrare, vt nemo eis audeat inſidiari, & non minore vitam ſuam diligentia munire, quàm ſi omnes in eorum exilium conſpiraſſent, hac ratione fiet, vt & ipſi extra periculum ſint, & apud Græcos cæteros gloria floreant. quibus maiora bona inuenire difficile eſt. Inter ſcribendum autem in mentem mihi venit, ſecundiſſima tibi omnia accidiſſe: opum enim abundantiam, quæ ſine tyrannide parari nequit, pater multa violentia & magnis odijs partam tibi reliquit. His verò benè & humaniter vti in tua manu eſt, & in eo te ſummo ſtudio elaborare decet. Quæ mihi igitur conſulta videantur hæc ſunt. Sic autem ſeſe res habet. Si pecunias, magnamque potentiam, & pericula,

ſine

ſine quibus hæc parari nequeunt, adamas, alij tibi in conſilium adhibendi erunt; ſin tibi harum rerum abundè eſt, virtutis verò & honeſtæ famę ac popularis beneuolentiæ deſiderio teneris, & orationi meæ obtemperandum erit, & cum illis certandum, qui præclarè ſuas vrbes adminiſtrant; non modò vt par illis euadas, ſed etiam vt eos ſuperes. nam & Cleomium audio, qui Methymnæ dominatur, cùm in alijs actionibus boni viri & prudentis fungi officio, tum tantum abeſſe, vt quemquam occidat, aut in exilium agat, aut proſcribat, aut ſimili clade afficiat, vt ciues eius in ſumma ſecuritate degant, vt patria pulſos ab exilio reuocet, vt reſtitutis poſſeſſiones, vnde eiecti fuerāt, reddat: ijs verò qui eas tenuerint, tantum pro eis numeret, quanti emerunt. Neque ijs cōtentus ciues omnes armis inſtruat, exornet, nihil metuens, ne qui nouarum rerum ſtudioſi inſidias ipſi ſtruant: quòd ſi qui audeant, mortem oppetere eſſe ducit in tanta humanitate & benignitate erga ciues, quàm crudeliter in eoſdem graſſando, vitam vltra vſitatum mortalium terminum producere. Plura fortaſſe de ijs & accuratius tecum diſſeruiſſem, niſi mihi hæ literæ cum magna feſtinatione ſcribendæ fuiſſent. Sed aliàs iterum, tibi (niſi me ſenium prohibuerit) cō ſilium dabimus. In præſentia verò de priuatis rebus agemus. Antacrator, qui literas has tibi reddit, eſt mihi familiaris. nā & ijſdem ſtudijs delectāt, & eius arte vſus ſum, ſępe denique illi author fui,

vt

vt ad te proficiſcerẽt. his oĩbus de cauſis eũ honorificè itaq; tractes velim, vt noſtrũ vtriq; expedit, ac præ te feras quicquid officiorum in eum contuleris aliqua ex parte, mea quoque gratia fieri. Neque miteris me tam expedite ad te ſcribere, qui à Clearcho nihil vnquam petierim. Nam ferè omnes, qui iſthinc ad nos nauigant, te ſimilem eſſe dicunt prǽſtãtiſſimis eorũ, qui nobiſcum vnà verſati ſunt. Clearchum verò quo tempore apud nos fuit, fatebãtur omnes, qui rei aliquid cum eo habuerant liberaliſſimum eſſe, & manſuetiſſimum, & humaniſſimum inter diſcipulos: poſtquàm autem principatum eſt adeptus, ita mutaſſe animum viſus eſt, vt omnes, qui eum priùs nouerunt, demirentur. Ob eas igitur cauſas factus ſum ab eo alienior. Te verò & amo & probo, ac vehementer velim te nos complecti familiariter. Sed & tu ipſe quàmprimum oſtendes, an idem tuus ſit erga nos animus, & cùm Autocratorem commendatum habebis, tum epiſtolam ad nos mittes, qua vetus amicitia noſtra & hoſpitium renouetur. Vale; & ſi quid aliud à nobis tibi præſtari volueris, ſcribito.

ISOCRATES DIONYSIO.

SATELLITES, *lictores, caduceatores, & altiſſimi ſolij adeptio, ſapientiæ ſtudio tenebras offundunt, nec vlla res eſt, qua virtus faciliùs & celeriùs exterminetur. Non vnà cùm fortuna mutaſti*

etiam

etiam naturam. adhuc pelliceo ſacco amictus es. Nam natiuitatis tuæ primordium mortale fuit, cur igitur inanis iſta gloriola ſectilem vtrem ita inflauit? ingenti amentia repletus es, ò infœlix, & naturæ fragilis agnitione ſpoliatus. Ita ne verò te ſublimes iſti fortunæ motus à vetere contemplatione deſciſcere coegerunt, eòque redegerunt, vt ſobrium illum furorem deſereres? fuit olim illuſtris tua moderatio: nunc verò humi depreſſa eſt, fortuna tuà peruenit ad ſummum. falſa igitur fœlicitatis vmbra recede, & fugitiuam fortunam effuge. Cuius leuitatem, & perfidiam ſi anteuerteris, mutatione ſubitò ingruente minus percelleris. Vale.

ISOCRATES AD MITYLEnæorum Principes.

APHANEI *liberi mei nepotes ab Agenore in muſicis eruditi, me orarunt, vt vos per literas rogarem, vt poſtquam etiam alios nonnullos ab exilio reuocaſtis, & hunc cum patre, & fratribus reſtituatis. Quibus ego cùm dicerem, vereri me ne nimis abſurde, & impudenter facere viderer, qui rem tantam a uiris, cum quibus nũquam prius vel collocutus, vel familiaritate coniunctus eſſem, impetrare ſtuderem; hac excuſatione audita rogando multò magis inſtare cœperunt. Vbi verò ſpe ſua prorſus fruſtabantur omnibus apparebat eos affici moleſtia, & grauiter ferre repulſam. cum*

autem eos vehementius dolere viderem, quàm decebat; tandem pollicitus ſum me hanc epiſtolam ſcripturum & ad vos miſſurum. Atque hæc habeo, quæ rectè dicam ad deprecandum ſtultitiæ & importunitatis crimen. arbitror autem vos prudenter feciſſe, qui & cum ciuibus veſtris in gratiam redieritis, & operam dederitis, vt exulum numerus minuatur, ſociorum in republica maior fiat, & in iſta ſeditione vrbis noſtræ exemplum imitemini. Illud autem imprimis laude dignum eſt, quòd exulibus ereptas opes vnà cum patria reſtituiſtis. Oſtenditis enim, & omnibus declaratis, vos nõ alienarum opum cupiditate impulſos, ſed reipublicæ metuentes vrbe eos eieciſſe. Verùm etiam ſi nihil horum decreuiſſetis, nec vllum exulem recipeгetis, è re noſtra tamen eſſe putarem, vt ijs, de quibus ego ſcribo, patriam redderetis. Quum enim inter omnes conſtet, vrbem ueſtram peritia muſicæ omnibus antecellere, & viros in ea arte celeberrimos apud vos eſſe natos; turpe fuerit, eum, qui cognitione huius diſciplinæ noſtræ ætatis artifices ſuperat, tali ciuitate exulare: & quum cæteri Græci eos, qui aliquo honeſto ſtudio eminent, tametſi prorſus alienos ciuitate donare ſoleant, vos, quorum apud alios hæc de cauſa celebre nomen eſt, ita eſſe negligentes, vt ciuem veſtrum apud exteros inquilinum agere patiamini. Miror equidem eas ciuitates, quæ maiora præmia victoribus in ludis gymnicis decernunt, quàm his, qui ingenij ſolertia & induſtria

duſtria ſua vitæ aliquid vtile repererunt; neque conſiderant pedum celeritatem, & robur, morte vnà cum corpore interire, artium autem eam naturam eſſe, vt perpetuò durent, ſuique ſtudioſos ſem per viuent. Hæc prudentibus conſideranda ſunt, vt maximi faciant bonos & iuſtos rerum publicarum gubernatores. Proximum honoris gradum ijs tribuant qui ciuitatibus ornamento & gloriæ eſſe poſſunt. Plerique enim in hæc ceu ſpecimen quoddam intuentes, reliquos ciues vniuerſos talibus viris ſimiles eſſe iudicant. Fortaſſis autem dixerit aliquis, ſi qui beneficium petant, non rem ipſam tantùm eſſe laudandam, ſed oſtendendũ etiam ipſos non eſſe indignos ea re, de qua uerba faciant: ſic autem res ſe habet. Ego reipublicæ adminiſtratione, concionibus audiendis abſtinui, propterea quòd & vox, & audacia me deficiebat. non tamen omninò nullius mei vſus, aut nulla fuit authoritas. Sed me his, qui veſtræ, cæterorumque ſociorum dignitati ac cõmodis patrocinati ſunt, & conſiliarium & adiutorem fuiſſe comperietis. Præterea plura verba feci de libertate & iure ſuo Græcis reſtituendo, quàm omnes iſti, qui ſuggeſtum cre bris concionibus contriuerunt. pro quibus rebus vos mihi meritò maximam gratiam haberetis. Nam hunc reipublicæ ſtatum maxime perpetuò deſideraſtis. arbitror autem Cononem & Timotheum, ſi viuerent, ac Diophantum, ſi ex Aſia rediſſet, mea cauſa ſtrenuè fuiſſe laboraturos, uolentes idem mihi

à vobis tribui, quod ſibimet ipſis, ſi veſtra ope aut opera indigerent; De quibus neſcio quo, ſum attineat plura verba facere. Nemo enim veſtrum ita vel adoleſcens vel obliuioſus eſt, quin collata in vos beneficia ab illis nouerit. ſic autem de negocio rectiſſime deliberaturi uidemini, ſi conſideretis & quis ſit qui orat, & pro qualibus hominibus intercedit. Reperietis enim me coniunctiſſimum & amiciſſimum fuiſſe ijs, qui uos & alios ſummis beneficijs affecerunt: eos uerò pro quibus intercedo, eius generis eſſe homines, qui nec ſenioribus & magiſtratu fungentibus moleſti ſint, & adoleſcentes ſtudijs iucundis & utilibus, & huic ætati, conuenientibus exerceant. Ne uero miremini me tam facile ſcribere, ac tum de cæteris omnibus, tum mihi chariſſimis literas ad uos dediſſe. nam & filijs noſtris obſequi, & ſimul oſtendere cupio etiam ſi remp. non attingerint, ſed mores dumtaxat & inſtitutum meum imitentur, fore tamen vt apud alios in prætio ſint, & magnifiant. Vnum adhuc eſt reliquum ſi precibus noſtris locum dare uiſum fuerit, ut Agenori & fratribus eius ſignificeris eis mea cauſa ex quadam parte ea tribui, quæ ſibi tribui vehementer optant. Vale.

THESSALI PHOCENSIBVS S. D.

DISSIMVLATIS *adhuc etiam, Phocenſes, quantum uiribus uobis præſtemus? cum nos & quandiu,*

quandiu Græcorum partes ſecuti ſumus, tandiu priores partes habuerimus; nũc uerò apud Perſarum Regem eum locum tenemus, ut pro arbitrio noſtro uos patria deturbata ac quaſi ſeruos uendere poſſimus. Sed tametſi tantum uirium habeamus id ſcelus moliri nunquam auderemus: nihil eſt enim, quod facilius quàm iniurias obliuiſcamur. Pollicemur igitur nos operam daturos, ut uobis, agroque Phocenſi parcatur, ſi nobis quàmprimum quinquaginta auri talenta pendantur, quod cùm nobis magno commodo, tum uobis maiori uſui futurum ſperamus. Valete.

PHOCENSIS THESSALIS.

SI *nos non puduiſſet Græciam per proditionem fallere, neque nobis apud Perſarum Regem honorificentiſſimus locus defuiſſet, nec eſſet quod fortunæ veſtræ aliqua ex parte inuideremus. At illud nobis imprimis ſtatutum eſt, omnia extrema potius quàm proditionis notam ſubire, patriæ communi deeſſe. proinde deſinite vel nobis interminari, vel de fide noſtra quicquam dubitare. Valete.*

MARDONIVS PERSA ATHENIENSIBVS.

HAEC *mihi Perſes meus perſcripſit; Oẽs iniurias quibus reſp. Athenienſis me affecit, illi condono: Tu verò Mardoni ita etiam facies: Athe-*

nienſibus vrbem, agroſque reddas, aliumque locum, quem maluerint, ſibi deligant, liberi immuneſque ſint; Templa Deorum immortalium deiecta & combuſta quamprimùm mecum fœdera percuſſerint, inſtaurentur. Nunc partes meæ ſunt regis iuſſui obtemperare, modò hæc vos probetis. Dicite, quæſo Athenienſes, qua dementia aduerſus Perſarum Regem bellum geritis, quem nunquam vincere, nec ſemper æquare poteritis? Arbitror vos ſcire quas, & quãtas copias adhuc in acie habeam, quæ tametſi à vobis fugentur ac frangantur, nec propterea ocium ac quietem ſperare debebitis; nam & maior exercitus ac firmior facile cogeretur. ne patiamini patriam veſtram interire, ne ve illa voſmet veſtro ſcelere priuetis, iam longis laboribus finem imponentes, oblatamque pacem ſine vllo proditionis metu cum maxima veſtra dignitate tandem complectamini, & quod reipublice vtile eſt, ſtatuatis. Valete.

LACEDEMONII ATHENIENSIBVS.

HVC *nos Lacedemonij vos oratum miſere, ne quid noui aduerſus res Græciæ ſtatuatis, ne ve barbarorum verbis pro factis fidem aliquam adhibeatis. Hæc verò nullam Græcorum gentem decent, imprimis autem Athenienſes: vos enim primi abſque conſilio noſtro bellum excitaſtis, quod deinde vniuerſam Græciam inuaſit, noſque pro tuenda libertate*

libertate veſtra in hæc belli incommoda incidimus, nec vnquam adduci poſſumus, vt pro tantis erga vos officijs Græciam barbaris gentibus prodere ac ſeruituti obiectare uelitis:maiores ueſtri alijs tempeſtatibus non modò urbis ſuæ libertatem,ſed & communem omnium tutati ſunt. quòd ſi primis rerum periculis regio ueſtra expoſita eſt, periniquo animo patimur,eoq; magis,quòd duarũ meſſiũ fruges uobis ab hoſtibus interceptæ, domusque ueſtræ maxima hoſtium clade direptæ captęque fuerint. Quod proſpicientes Lacedemonij ſocijque omnes, uobis filijsq; urbes domusque ſuas totas donant,pollicenturque imbellem turbã publicè alere quouſquę Perſas, Medoſque communes hoſtes domuerimus, Cauite ne vos Mardonij literæ, Alexandrique Macedonis uerba fallant, qui Perſarum rebus tantum tribuit.nihil enim eſt mirum Tyrannũ alterũ,alteri rationibus quibuſcumque fauere;nullum penes uos pondus ea verba habere debent, cùm ſciatis barbaros omnes fidei nullam vnquam rationem habuiſſe. Valete.

ATHENIENSES ALEXANDRO MACEDONI.

NOS *amplitudinem Perſarũ Regis, viresque maximas planè cognouimus, & quantum nobis Rex præſtet, facilè quiuis hominũ ſciat : at propterea nihil eſt,quòd res noſtras tueri deſiſtamus. Eſt enim virtutis Athenienſium pro tuenda libertate*

tandiu pugnare, quandiu ſpiritus ipſe nos non deficiat, Deſine igitur nos ſuadere, vt cum barbaro rege pacem ineamus, nec illud ſibi Mardonius polliceatur, cui verbis noſtris illud dices, quandiu Sol proprio curſu, circumagetur, nos libertatē noſtram deorum immortalium præſidio defenſuros eorū inquam Deorum quorum ſimulachra & templa flammis cōſumpſerunt ac impiè demoliti ſunt: poſtremū hoc à nobis Alexander ne petas. Hæc enim non ſine maximo dignitatis noſtræ dedecore agere ac paciſci poſſumus: nobis amicus ac perfamiliaris, pro mutua neceſſitudine inter nos nihil tentari niſi honorificum honeſtumque debueras. Vale.

S. P. Q. R. M. CLAVDIO MARcello Proconſuli.

MILITIBVS, *qui ad Cannas commilitones ſuos pugnantes deſeruiſſent, nobis prorſus videtur non recte remp. committi. Si tibi aliter videbitur, facias quod è republica fideque tua duxeris, dum ne quis eorum munere vacet, neu dono militari virtutis ergò donetur, neu in Italiam reportetur, donec hoſtis intra Italiam erit. Vale.*

BOSTARES & HANNO CARTHAginenſes, Hannibali S.

CAPVAM *abs te proditam & ſi minus dignum*

gloria

gloria tua videatur, at longè indignius, nos Pœnos de te benemerentes & præſidium vniuerſum omnibus hoſtium cruciatibus expoſitos. Nunciatum nobis eſt, te in Brutios abiiſſe veluti auertentem te, ne Capua in oculis tuis caperetur, at Hercule Romani ne oppugnatione quidem vrbis Romæ abſtrahi è Capua obſidenda potuere, tanto conſtantiores inimici, quàm amicus Annibal. Si redeas Capuam, bellumque omne eò vertas, & nos & Campanos paratos eruptioni futuros ſcias. Tu iam meminiſſe deberes, non cum Rheginis neque Tarentinis bellum geſturum tranſiſſe Alpes, vbi Romanæ legiones ſunt, ibi & Carthaginenſium exercitus debet eſſe. Sic ad Cannas, ſic ad Traſimenū res benè geſta coeundo conferendoque cum hoſte caſtra, fortunamque tentando. Vale. Capuæ.

MARCELLVS CONSVL S. P. Q. R. S. D.

ETSI ſcio uobis Quirites non gratum nuncium allaturum cæſo ad Herdonem Fuluio proconſule collega cum tredecim millibus hominum: uerumtamen nihil eſt, quod terreamini: ego enim idem qui poſt Cannenſem pugnam ferocem uictorem Annibalem contudi, aduerſus eum cum inſtructis legionibus iter arripui, breuem illi lætitiam qua exultat, facturus. Quare omnes vos præſenti animo eſſe magnopere volo. Valete ex Samnio.

SYPHAX

SYPHAX NVMIDARVM REX, SCIPIONI Conſuli. S. D.

CVM ad me in Africam ueniſſes, id inter nos actum eſt, vt paribus auſpicijs bellum aduerſus Carthaginenſes gereretur, tuque quamprimùm cum legionibus in Africam trajceres: nunc verò ea rerum mutatio facta eſt, vt filiam Aſdrubalis Carthaginenſis vxorem duxerim, quam & iure hoſpitij & affinitate coniunctum deſerere ſcelus maximum cēſeri poſſit. Adde etiam, quòd publico fœdere omnia cum populo Carthaginenſi mihi vincta ſunt. Quarta te hortor primùm, vt procul ab Africa, ſicut adhuc fecerunt Romani bellum geras, ne mihi intereſſe certaminibus eorum, armaque aut hæc aut illa abnuentem, alteram ſocietatem ſequi neceſſe ſit. Scias enim velim, niſi Africa abſtineas, & Carthagini exercitum admoueas, mihi neceſſe fore, & pro terra Africa, in qua ſim genitus, & pro patria coniugis meæ, proque parente ac penatibus dimicare. Erit igitur tuæ prudentiæ, quod optimum conſilium videbitur capeſcere, dignitatiſque meæ rationem aliquam habere. Vale.

SCIPIO SYPHACI REGI S. D.

NVLLVS eſt omnium hominum, quem magis fides deceat, quàm Regem: at literis quas proximè

mè accepi adeo dignitatis tuæ oblitus vt etiam pro tuendis Carthagineñſium rebus aduerſus Populum Rom. in acie ſtaturum dicas. Quare te etiam atque etiam moneo, ne iura hoſpicij mecum, neu cum Pop. Rom. initæ ſocietatis, neu fas, fidem, dextras, Deos teſtes, atque arbitros conuentorum fallas. ſi enim harum omnium rationem habueris, polliceor tibi, in meque recipio futurum, vt & rebus tuis ampliſſimis acceſſiones, maximæ fiant, & dignitati nominique tuo optimè proſpicias. Vale.

IOACHINVS SERRALIVS CAPONIO dictatori Flor. S. D.

QVONIAM *non ſemper tuta mihi affertur occaſio ſcribendi, præſentem nactus nuncium nolui differre, quin te facerem de inſtituto negocio certiorem, de quo probè ſcis ex arcano me agere cum graui illo, quem noſti, homine, maximeque familiari Pontificis. Is mihi retulit, Clementem ſatis proſperè & firmiter conualeſcentem eo eſſe animi decreto, vt ſe honeſta conditione cum ciuitate concilìet, & belli conſilia penitus abijciat, neque ægerrimè ſit laturus, quòd populus perpetuò rempublicam adminiſtret, & parta libertatis iura tueatur, modò per æquas conditiones ciuili more propinquorum ſuorum ratio apud magiſtratus habeatur. Sed quoniam plura ſcribere non licet, à te vehementer petimus, vt ad condictum locum extra vrbem*

bem colloquendi cauſa Petrum filium ad me mittas: ab eo enim cuncta fideliter exprimente, preclare cognoſces, quæ in conficiendo negocio opus ſint. Vale.

DIVVS AVGVSTVS CAIO nepoti. S. D.

AVE *mi Cai iucundiſſime, quem ſemper mediusfidius deſidero, quum à me abes, ſed imprimis diebus talibus, qualis eſt hodiernus; oculi mei quærunt meum Caium. at vbicumque fuiſti ſpero hunc diem te beneualentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. nam vt vides* κλιμακτῆρα *communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum euaſimus annum. Deum autem Opt. Maximum oro, vt mihi quantumcumque ſupereſt temporis, id ſaluis vobis, agere liceat in ſtatu reip. fœliciſſimo, fortiter ac viriliter agentibus vobis ſuccendentibus atque ſuſcipientibus ſtationem meam. Vale.* VIII. *Kal. Octob.*

ALEXANDER MACEDO. N.

TABVLAS *teſtamenti ad te dedi perferendas: nam ſæpe periclitor de ſalute, nec corpore rite valeo. Teſtamentum confeci, vt ſi quid contingat inopinatum ſine tua iniuria proficiſcar ex hac vita; cum tu vnus omnium maximo me amore proſe-*

quutus ſemper fueris. Quæ mandauimus, diligenter ſeruare ſtude, tum propter ætatem, tum propter neceſſitudinem. eſto memor quantum fidei tuæ committam, & quæ apud te deponam, tuque id molis habes, vt res meæ omnes apud te honeſtè depoſitæ ſint. Vale.

ALEXANDER MACEDO. N.

EGO *me fortuna & gloria te anteire exiſtima, at diſciplinis ſtudijsque liberalibus & perfecta fœlicitate quam tute poſſides, longè abs te me præcelli ſentio. Quocirca te orare ſtatui, vti ad me proficiſcaris, ſperans preces meas apud te maximum pondus habituras. Tu igitur viribus omnibus enitere, vt tua familiaritate quotidiana utamur. Id tibi perſuadens te non mei tantùm, ſed omnium ſimul Macedonum moderatorem ac magiſtrum futurum. nam qui Macedonum regem erudit atque ad uirtutem impellit, eum & populos vniuerſos ad fortitudinem ac probitatem uocare certum eſt. cujuſmodi enim fuerit Dux, tales, vt plurimum, ſubditos fieri neceſſe eſt. Vale.*

N. ALEXANDRO.

AMPLECTOR *tuum maxime diſcendi ſtudium, quod veram, vtilem, ac maxime neceſſariam non popularem ad peruertendos mores eruditio-*

nem apprehendere inſtituis. Qui enim philoſophiæ amore ac ſtudio tenetur, declinat communem illam ac vulgarem voluptatem, quæ quorundam adoleſcentulorum animos frangit, cùm non natura modò nobilitatem tueri, verùm virtutis inſtituto manifeſtum eſt. Porrò liberali ac nobili ingenio ſi adijciatur modica exercitatio, neque deſit præceptoris copia, maturè ad perfectam virtutis euadit frugem; equidem niſi ſenectus obſiſteret (ſum enim octogenarius, corpusque præterea inualidum) ipſe ad te pergerem, vt iubes. quia verò id non datur quoſdam ex contubernalibus meis ad te mitto, qui animi bonis me minimè inferiores ſunt, & corporis commodis exuperant: his ſi tu ſtudioſè congrediare, nihil quod ad veram pertineat beatitudinem deſyderabis. Vale.

N. PISISTRATO.

TVAM *erga nos beneuolentiam mirificè amo, ac niſi apud me ſtatuiſſem iampridem ibi ſedem habere, vbi reſp. ſit libera, mallem apud te in tuo regno quàm Athenis vitam ducere, violenter tyrannidem excercentem, Phiſiſtrate. Verumtamen licèt libentiùs illic ex inſtituto noſtro viuamus, vbi ſunt omnibus æqua & communia iura, veniam tamen ad te, vt tuo hoſpitio tantiſper fruar. Vale.*

SOLON, LIDIAE REGI. S. D.

IVBES *me in Lidiam venire inſpecturum opes tuas; egò & ſi illas minimè aſpexi, nihil ambigo Aliactis filium regum omnium eſſe opulentiſſimum. Neque verò nos quicquam amplius habituri ſumus, ſi Sardis ad te acceſſerimus: auro enim ipſi non indigemus contenti modico vitæ ſtipendio: veniam tamen, vt tibi perhumano, & hoſpitali viro familiaris efficiar.*

C. FABRITIVS, & AEMILIVS, Conſules, Pyrrho Regi.

NOS *pro tuis iniurijs continuo animo ſtrenui inimiciter bellare ſtudemus: ſed communis exempli, & fidei ergo viſum eſt, vti te ſaluum velimus; vt eſſet quem armis vincere poſſemus. Ad nos venit Nicias, familiaris tuus, qui ſibi à nobis pretium peteret, ſi te clam interfeciſſet. Id nos negauimus velle, ne ue ob eam rem quicquam commodi expectaret: & ſimul viſum eſt, vt te certiorem faceremus, ne quid eiuſmodi, ſi accidiſſet, noſtro conſilio ciuitates putarent factum, & quòd nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. tu niſi caueas, iacebis. Vale.*

IVLIVS CAESAR IMP. M. Tullio Ciceroni.

RECTE *augurаris de me, vnde & tibi cognitus. nihil a me abeſſe longius crudelitate, atque ego cùm ex ipſa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te triumpho, & gaudeo. Neque id me mouet, quod qui a me dimiſſi ſunt, diſceſſiſſe dicantur, vt rurſus mihi bellum inferant. nihil enim malo, quàm & me ſimilem eſſe mei, & illos ſui. Vale.*

TVRCARVM REX. ROM. PONT.

CORYNTHVM *Achaiæ nobiliſſimam, Etholos Acarnanes, Macedoniam, atque omnem Peloponeſſum armis inuaſimus; vicos præterea, agros, & oppida latè incendio depopulati, vt mox in Italiam bellum transferamus. hæc tibi omnia ſummo Christianorum metu ac detrimento nunciamus. Vale.*

ROM. PONT. TVRCARVM REGI.

QVOD *Græciam omnem ferro igneque vaſtaueris, non tam crudelitatem in hac re tuam, quàm tot vrbium direptiones vlciſci paramus. neque enim victor hoſtibus ignoſcere poteras, qui tuis*

tuis etiam immanitati, ſceleri, libidini nunquam pe percisti. Neque enim pium fas ve apud hominem eſſe poteſt, cui neglecta religione Deus contemptui ſit. nos nullum abs te bellum in Italia metuimus: facilè enim ſcelerata hominum arma contemnit, qui Dei numine ac præſiduo tutus eſt.

TVRCVS AMAZONIIS. S. D.

SI *pro tuenda ciuium libertate, Amazonij, bellum aduerſus me ſuſceperitis, non tam vos ipſe hoſtes iudicarem, quàm egregios ciues pro patria, liberis, ac parentibus arma ſumpſiſſe. ſed nulla quidem ratione perſuaderi ualemus, eos nunc virorum imperia recuſare quos olim regna fœminarum tandiu pertuliſſe audio. Vale.*

AMAZONII TVRCO.

AMAZONIDVM *Regna, quæ nobis ad contumelia obijcere videris, nos minimè quidem alijs parere hortantur. Turpiſſimum quippe ducimus, viros fœminarum virtute ſuperari. Eos igitur inuictos armis, & principatu digniſſimos arbitrare apud quos etiam mulieres imperare didicerint:*

TVRCARVM REX, VENETIS.

CLASSE *veſtra, quã ad belli naualis vſum maxi*

mam comparaſtis, Lyciæ maritimæ infeſtari audio, ac vos latè regni mei fines depopulatos, Atholiam Pamphyliæ vrbem armis circumſediſſe. Videte, obſecro, quos tandem exitus hæc habitura ſint; aliena temerè oppugnat, qui ægrè ſua bello tuetur. Vos namque poſt amiſſam Calcidem ſeruare potius remp. ac nominis dignitatē retinere oportet, quàm armis Imperium quærere.

VENETI TVRCARVM REGI.

NEC *Peloponeſſus, nec Calcis quidem ipſo iampridem bello amiſſo nos ab oppugnatione perterrent, quas non ipſa virtute militum, nec viribus expugnatas, ſed facta noſtrorum deditione in poteſtatem redegiſti. Nos tamen, qui nō armis perfidiam ſed victoriam quærimus, omnia tuis infeſta mari ac terra claſſe reddidimus. Nec enim ad generoſi principis animos virtute accedit, qui non iure belli captas vrbes, ſed inſidijs proditas in deditionem accepit.*

DEMOSTHENES SENATVI, POP. Athen. S. D.

QVOD *de meo in patriam reditu ſemper omnibus vobis deliberandi copiam fore puto, nunc de eò nihil ſcripſi. cùm verò videam hoc nunc eſſe tempus, quo vos, ſi recta conſilia ſequamini ſimul & gloriam*

gloriã & ſalutẽ & libertatẽ adipiſci poſſitis nõ modò vobis, ſed & reliquis vniuerſis Græcis: ſin erraueritis, deceptiue fueritis, non facilè poſſe eandem occaſionem recuperari, quam de hiſce haberem opinionem in medium proferre duxi. Difficilè quidem eſt per literas conſilium dare. Multa enim uos ante rem cognitam ſoletis interpellare. ac dicẽti facile eſt, quid velitis, animaduertere, quodq́; ignoratur rectè explicare: libello autem nullum tale adiumentum ſuppetit contra tumultuentes. Si tamen audire uoletis cum ſilentio, ac expectare, dum rem omnem dignoſcatis, ſpero Dijs fauentibus, quamquàm breues hæ literæ ſint, futurum, ut appareat me & optimo ſtudio ea conari pro uobis quæ deceant, & quæ uobis expediant; neq; uerò eo conſilio haſce ad uos dedi literas quaſi deſint oratores, alijve, qui imparati quicquid in mentem uenerit, dicant. Sed quæ per experientiam, & ut in gerendis rebus uerſatus cognoſco, cùm expoſuerim, dicendi ſtudioſis in publico vberem materiam copiamque ſuppeditarem, ac optimorum conſiliorum delectum facilem redderem. Primum omnium, Athenienſes, vos concordes eſſe propter communem ciuitatis commodum oportet, ortasque in prioribus conuentibus diſſenſiones miſſas facere: deinde conſentientibus animis omnes alacriterque quicquid decretum fuerit, adiuuare. Nihil enim conſtanter, nihil ſimpliciter agere non modò eſt indignum vobis, & animi parum generoſi, ſed ſum-

mo etiam cum periculo coniunctum. Iam nec il-lud vobis ignorandum eſt, ea, quæ per ſe ad ſta-tum rerum veſtrarum tuendum ſatis non ſunt, ſi ad reliquas copias adiungantur, effectura, vt multò faciliùs omnia conſequamini. Quæ igitur illa ſunt? Neque ciuitati vlli, neque aliquibus, qui ſingularũ vrbium vetera inſtituta defenderũt iraſcendum eſt, ſed delenda potius ex animis memoria iniuriarum: nam huiuſmodi metus efficit, vt qui ſe fœderatis in aperto periculo verſantibus neceſſarios eſſe ſciunt, opem iiſdem promptiſſimè ferant: qui metu iſto liberati omnes fient mitiores, in quo non parum eſt vtilitatis. per ſingula verò oppida talia inclamare ſtultum fuerit, imò ne fieri quidem poteſt: ſed pro vt vos cum ciuibus veſtris egiſſe viderint, efficietis, vt ita quiſque cum cæteris actum iri expectet. Proinde cenſeo neque ciuitatem, neque Ducem, neque Oratorem, neque plebeium quamquam, qui ante hac ſtatum illorum temporum defenderunt, a quoquam vel taxandum vel obiurgandum, ſed concedendum hoc eſſe, omnes ciues ea egiſſe, quæ oportuerit. Poſtquàm benignitate deûm ſeruata reipublica vobis licitum eſt de integro arbitratu veſtro deliberare, & cogitare quemadmodum in naui, cùm ij velis, illi remis vti ſuadent, dici ab vtriſque omnia pro ſalute tuenda; id verò latiſſimum eſſe conſilium, ab ipſis Dijs immortalibus fœlices & vtiles rerum euentus proficiſci: quod ſi de præteritis, vt dicebam, ſtatuetis,

&

& fidem inuenietis apud omnes & officio bonorum virorum fungemini, & res veſtras non parum erigetis; & eos, qui in vrbibus aduerſati vobis fuerunt, eò redigetis, vt aut conſilia mutent omnes, aut omnino aliqui in culpa eſſe videantur. Quæ igitur è rep. ſunt, ea magnis animis & ciuiliter adminiſtrate, & priuatarum rerum recordamini. atque hæc ego moneo, non eandem humanitatem expertus apud nonnullos; ſed per iniuriam & ſeditionem in aliorum gratiam quaſi propinatus. Verùm nec priuatæ explendæ iracundiæ gratia reipublicę commodis nocendum puto, neque vllam priuati odij partem publicis vtilitatibus adgniſceo; ſed quæ alijs ſuadeo, mihi primò facienda cenſeo. Quæ igitur paranda, quæque cauenda ſint, & quibus agendis proſpero euentu rerum vti poſſitis, ferè à me explicatum eſt. Quotidianis autem negocijs preeſſe, & caſibus ſubitis rectè vti, & cuiuſque rei intelligere occaſiones, & iudicare quæ verborum lenitate obtineri poſſint, quæ item vi extorquenda ſint, Ducum officium eſt, qui rebus præficiuntur, qua etiam de cauſa duriſſima eſt dicendæ in conſilio ſententiæ prouincia. nam rectè conſulta & magno ſtudio laboreque probata, ſæpe corrumpuntur, quòd ij, qui ea in mandatis habent, ineptè exequuntur. Nunc tamen bene ceſſura omnia ſpero. Si quis Alexandrum eò fortunatum putat, quòd ei proſperè ſucceſſerint omnia, is illud reputet eum agendo, & laborando, & audendo, nõ

deſiſtendo fuiſſe fortunatũ. Poſtquàm igitur nunc mortuus eſt, fortuna quærit aliquos, quibus adſit, ij vos eſſe debetis,& Duces.per quos res geri neceſſe eſt, gratos & iucundos copijs præficere, quodq́ue vnuſquique veſtrum facere poterit & volet, id ad ſe ipſum dicat & promittat, caueatq́ue ne mentiatur.neque tergiuerſandi gratia ſibi data eſſe verba, non perſuaſum eſſe cauſetur: quicquid enim vos neglexeritis, qui reſarciat, non inuenietis. neque idem periculum eſt in ijs rebus, quas tum cùm vultis agere licet, conſilia ſæpe mutare, & in ijs, propter quas bellum erit gerendum. Sed in huiuſmodi rebus ſententiæ mutatio, non eſt aliud quàm conſilij & inſtituti clades. ne verò tale quippiam committite, ſed quicquid acturi eſtis, id generoſis & paratis animis decernite, & vbi ſemel decreueritis ductu & auſpicijs tum Dodonæi Iouis, tum reliquorum Deorũ, qui multa nobis præclara, & bona, & vera oracula reddiderunt: illorumq́ue ope implorata, votiſq́ue omnibus pro victoria nuncupatis fauente fortuna libertatẽ Græcis reſtituite.

ROBERTVS, ROM. REX
Domino Pad. Salutem.

PROBATAM *fidei tuæ conſtantiam quotidie magis ac magis admiramur, imprimis verò inuictum animum tuum in obeundis belli muneribus nunquã ſatis laudare poſſumus: nam & Veronam*

vrbem

vrbem cum arce minitiſſima imperio noſtro reſtitui ſedulò curaſti: nec ullis laboribus, aut vigilijs pepercisti, vt ceteræ vrbes quæ iampridem ab Imperio noſtro deſciuerant, nobis redderentur. Quæ rata & grata habentes tum multis maximis laudibus te cumulamus, tum acceſſionibus Imperij meritò gratulamur. Age ergo, ac perge qua cœpiſti via, Vicentiamq; vrbẽ de hoſtiũ manibus extorque, reliquaque oppida per Catherinam de Vicecomitibus & liberos eius minus iuſtè occupata. Nos profectò fidei ac virtuti tuæ nunquam deerimus, gratoque animo tuo quàm liberaliter reſpondebimus. nam & ſanctiſſimo domino noſtro Rom. Pontifici, Illuſtri Duci Venetiarum, venerabili Patriarchæ Aquileienſi & alijs noſtris ac ſacri Imperij ſocijs te diligentiſſime commendauimus, orantes, vt tibi in noſtris ſacri imperij negocijs ac quibuſcumque rebus præſto eſſent, quos & certiores fecimus, nos ad te legationem cum locupletiſſimo mandato decreturos, ac in Italiam quamprimùm venturos. Veronæ autem reſidebimus ad negocia & Imperij munera vberius obeunda. Vale in Caſtro noſtro Heydelbergh. menſis Maij die. XII. 1404. *regni vero noſtri anno quarto.*

IANVENSES DVCI ET Reipublicæ Venet.

MAXIMO *dolore intelleximus nos cum do-*

mino Paduæ grauiter diſſidere, magisque iam bellicis apparatibus utrinque acriter confligere ſtatuiſſe. quod quidem quanto cum periculo partium fiat, uos pro ueſtra prudentia iudicabitis. eſtis enim potentes, & proximi, & habet utraque pars ſub ictu quod feriat: ita quidem, ut niſi opportunæ pacis remedio occurratur, timeri ſanè poſſit, nedum partis vtriuſque interimus, ſed totius ferè Italiæ anceps & periculoſa perturbatio. Nos autem hæc ipſa animo uoluentes, qui uos & remp. ueſtram fraterna pietate complectimur, & eundem dominum Paduanum, ſuoſque natu maiores nobis coniunctiſſimos, ſereniſſimoque noſtro Regi deuinctos, finem tantis diſsidijs & cladibus imminentibus dari maxime cupimus. Delegimus igitur legatum noſtrum, quem ad uos, & ad Carrarienſes Paduam mature mittemus, vt quantum in nobis erit, legati noſtri operæ, & quibuſcumque alijs rationibus diſſidium veſtrum ſalubri pactione tollatur. Cùm vero faciliùs omnia ſedari poſſint, ſi nondum ad cædes, direptiones, aliaque belli incommoda deuentum ſit, vos mirum in modum rogamus, ſicuti etiam domino Paduæ & Veronæ ſcribimus, vt pacis commoda præ oculis teneatis, & bellorum clades metientes, ad vſque legati noſtri aduentum bello prorſus abſtineatis. Hoc enim & vobis & illi maximo vſui futurum planè videmus, hoc Deo Optimo Maximo pacis authori imprimis probabitur, & Sereniſſimo Regi noſtro, nobiſque

gratiſſimum

gratiſſimum feceritis. Nihil enim opus erit, vt idem ſereniſſimus rex noſter nobis iniungat, vt auxilijs dicti domini Paduani, amici ſui, faueamus, nos potius de mutua inter vos pace vti volumus maximè ſperamus: ſuper quibus omnibus animum veſtrum per eundem Tabellarium cognoſcere optamus. Ianuæ, 1404. Conſilium Ancianorum, & officium prouiſionis Ianuen.

IO. DE FABA DVCIBVS SAXONIAE, S. D.

VIX *adduci poſſum, vt credam, quæ indecens rumor ad nos inuexit. Aiunt enim inter vos ſapientiſſimos, & præclariſſimos Principes, ac illuſtrem matrem veſtram quædam bellorum ſemina excitari: quòd, vt magis demirer, facit virtus veſtra, qua vno omnium ore adhuc celebres extitiſtis, famaque præſtantiſſimæ optimæque parentis veſtræ, quæ innocentia ac fide coniugali imprimis chariſſima vobis omnibus eſſe debuit. Quamobrem ſi meus erga vos amor apud amplitudinem veſtram quid meruit, vos oro & obſecro, vt depoſitis quibuſcumque ſimultatibus recta animi ratione genitricem veſtram complecti velitis. Moueant vos diuina oracula, parentes honorare iubentia: rurſum, & comminantia, quòd cui mater maledicat, ei funditus omnia euertãtur; moueat ſplendor nominis veſtri, moueat domeſticæ dignitatis integritas, & matris ſanctiſſimum nomen, nomen, inquam,*

quo

quo vno duntaxat preſſa Romani Imperij amplitudine hoſtis Coriolanus deuictus eſt, imminensq; vrbi amouit excidium. Voluite animo, cùm nequeant Principum acta latere, quid populi, quid Principes orbis dicturi ſint, cùm audient tantis filijs talem matrem viduam, iamque ſeneſcentem eſſe cõtemptui. Si quis alienus à vobis matrem veſtram non modò iniuria, ſed vel minima ſuſpitione contemptus dignam duxerit, non ne ad veſtram id ſummam contumeliam, & dedecus fueritis accepturi? nonne totis viribus vlciſci contenderetis? proinde clariſſimi principes, nepotesque, date operam, & hæc omnia rixarum initia ſopiantur; iungite animos matri, cui tanto naturæ pignore coniuncti eſtis, vt maiore prorſus non poſſitis, cuius optimæ mulieris conſilijs, & res veſtræ, domi fœliciores, & foris gloriæ nominique veſtro maximæ acceſſiones fient. Valete. Quinto Martij. 1394.

FRAN. CARRARIEN. REIP. FLOREN. S. D.

QVAMQVAM *abundè vobis de ratione iurati fœderis cúm Ianuenſibus ſcriptum arbitrabar, quia tamen poſtulatis eadem uobis expreſſius declarari, pauca etiam ſcribam. Ego ita ſenſi nos nobiſcum collegari optimum fore, ac propterea ratione fœderis, pacis tempore ducentarum lãcearum, belli uerò quatuorcentarũ impenſis teneri: reliquos verò pro ſua rata, vt planè intellexiſtis. Cæterùm*

terùm ſi quid ſub conditione literæ noſtræ ſignificare videbātur, non erat, quòd cogitarem pactionibus deeſſe; verùm quòd nouas pecuniarum impenſas nunc omnino pati non poſſem. Addite, quòd à fœderatis ipſis. XXV. millia ducatorū ex honeſtiſſima ratione mihi debent, de quibus & inſtrumenta publica, & ſuorum fideiuſſores ciuium patent. quem quidem cumulum totum nil grauor impendere pro rata mihi contingente ſoluenda. Additis inſuper non eſſe bella in pace quærenda, quòd vobiſcum vnà pacis auidiſſimus ipſo confitear. Profectò nolim in cuiuſpiam mentem venire, bella à me vel expeti vel tentari: quin ſi cuiusuis, vel vltimi ſociorum fines impeteret, abſque maximo dolore audire non poſſem. Certè nemini adeò pax optanda, adeò formidanda ſunt bella quàm mihi. Eſſem ne prudens in periculum cognitum ruiturus? verùntamen ſcitis ipſi comitem Henricum, de cuius virtute nihil eſt quod dubitetis illius innixum autoritate, quæ apud me quoque exigua non eſt, non autem Ang. qui quanti ſit faciendus, non me fugit, licèt huiuſmodi homines etſi omnino credendi non ſint, tamen audiri debent, cùm ex vaniſſimis relationum verbis contra vera diſcrimina reſides etiam excitemur. Ego tunc quæ ſenſeram, conſcripſi, ne quid vobis incognitum foret, quod ſi vobis minus placere intelligam, à ſignificandis huiuſmodi rebus prorſus abſtinebo. At qui nouiſſimè ſcribebatis legatos Comitis Virtutum de exigendis Italiæ ſocia-

libus

libus propoſuiſſe, meamque ſententiam quæſiuiſtis. Ego verò eos cenſeo nullatenus audiendos. Hinamque bellorum motus, ij Italiæ tumultus, quò ſerpant quis ignorat; cùm in omnibus, quæ ſecum geſſiſtis, tanta verborum perplexitate, tanta morarum interiectione vos fatigarit, ne dicam fefellerit, vt iam nullum apud vos fidei locum eius hominis authoritas habitura videatur? Quæ non res ſecum agi cœpta finem vllum ſortita eſt, & non potius aut verbis inanibus, aut verius fraudibus acta, aut mora diuturniore ſuſpenſa? Quare adduci non poſſum, vt eos legatos admitti ac nobiſcum imiſceri cenſeam. Paduæ. 5. Maij.

IOANNES DE FABA, COMITI Friderico de Otemburgh.

GRAVITER, *moleſteque tuli generoſæ veſtræ prolis occaſum, ac vti læto animo cuncta vobis fœlicia audirem, ita veſtro hoc tanto doloris vulnere vobiſcum amicè condoleo. veruntamen ſi diligentius perpendamus, in morte neceſſitas, ordo non eſt. Conſideremus quanta mala, à quibus hic filius veſter moriendo iam adepta ſecuritate quieſcit, imminere victuris. Illud denique meminiſſe debemus, vt diuine voluntati aſſentiri nos deceat, cui plus æquè dolendo aduerſamur. Quæ cùm ita ſint, nihil ſuper, eſt quod doleamus. Illud quoque doloris leuamen maximum debet eſſe, de ſinu veſtro, ſine vllo*

alio

alio incommodo, ſed omni adhibita cura, innocentem, ſicuti vera fide credere compellimur, Deo qui dederat vobis illum, reddidiſſe. Animaduertite inſuper, quòd ætate ſimul cum caſtiſſima vxore florentes in prole numeroſa adhuc eſtis diuino munere peruaſuri. Proinde miſſas facite turpes lachrymas, & quæſtus, induite vultus cultuſque lætitiæ, vt veſtrorum amicorum ac populorum fractos dolore veſtro animos erigatis, Deoque Optimo Maximo in huiuſmodi orbitate gratias agatis, uirum illum inſignem imitantes dicite, Dominus dedit Dominus abſtulit; vt ipſi placuit, factum eſt. Vale. XXVIIII. Martij. 1394.

FRANCISCVS DE CARRARIA MAPHEO Memo Veneto.

AEQVISSIMVM *eſt, quem rerum geſtarum merita maxime comprobarunt, non modò dignis honorum premijs, verùm inſuper charitate, beneuolentiaque ſingulari complecti. Expertus igitur ſemeſtri decurſo tempore in Patauina prætura quàm æquus, quàm & in adminiſtranda vrbe mea ſollicitus, omnibusque ciuibus acceptus fueris, decreui & volo, quæ tua eſt virtus, pro futuro quoque ſemeſtri tempore, die* XVIIII. *menſis Inſtantis Aprilis fœliciter inchoando, te ad ipſam præturam ſtipendijs, honore, emolumentis, conditionibusq; quibus primùm, vocari: & confirmari, ſicq; accipio*

&

& harum literarum ſerie te confirmo, quam præturæ confirmationem, quæſo, vt grato animo ad commodum, & iucũditatem noſtram, & populi Patauini accipere velis. Ad huius autem præturæ promulgationem faciendam, ſapientem virum D. Antonium de Sancto Leonardo, ciuem Pataŭinum, iureconſultum, ſtatui tranſmittendum, cui in hac parte veram fidem dari planè volo. Paduæ 16. Aprilis, 1394.

FRANCISCVS DE CARRARIA, REIP. Florentinæ, S. D.

Ex *legatione mea, nuſquam deceptus ſum, quin captiones & fallacias allatura eſſet, quarum vos non modò conſcij iampridem eſſe debetis. Quando enim vir ille bonus verba non dedit? quando non implicauit ambigibus? quãdo per irritas ſponſiones non traxit? quid ſolidi certive vnquam reportauimus? quò magis miror, vos oculatiſſimos dominos rerum & hominum, imprimiſque huius hominis expertiſſimos hoc non videre. Quid ijs moliri voluminibus cenſeamus, niſi vt in ſtructas antè inſidias imprudentes aliquot præcipites agat? illa dudum & nunc Petri vox omnibus audienda: Vigilate, quoniam inſenſiſſimus hoſtis veſter tanquam leo circuit, quærens quem deuoret. Tandem igitur deſinite de veſtræ fidei ſynceritate illius verba metiri: excitemini vel potius, excitatos vos dudum eſſe*

fateamini, ea nimirum ratione, vt quod hactenus factum fuiſſe, præſtitiſſet M. F. V. P. me. D. B. in conſtituenda creandaque Ba. velitis conſilium imitari, quo nimirum alæ, (vt dici ſolet) ſuper alios ni tentis cadent, & improbæ ſpei pennæ decreti huiuſmodi forcipe truncabuntur. Tradico vobis quantum illi fiduciæ decreſcet, tantum rebus veſtris, tantum animis ſociorum, tantum communi paci quam ſummopere inuiolatam ſeruare deſidero, veſtriſque foueri ſuffragijs, firmitatis acceſſurum vobis, & in gerendis facultas plenior: & vtiliſſimo tutior ſilentio cauſa reddetur, ſi ſepultis in paucorum optimatum pectoribus quæ agenda decernitis omnis conſcius repellatur. Quid nempe ſalubrius pro veſtra reipublica? quid tam illius aduerſum conatibus quàm ſi ei facultas aliena conſilia ſciſcitandi ſubtrahatur. Certè videre mihi videor hunc doloſum hominem nihil inquiore animo acceptum fore, quàm ſi Ba. dignitatem ſuis fraudibus obiectam eſſe cognouerit: ad quod amplitudinem veſtram pro viribus hortor, & hortationibus cumulatiſſimas preces addo, vt cùm omnium animi, oculi, fortunæ ad hoc vnum præſidium intenti ſint, velitis pro amplitudine veſtra, pro ſalute communi, pro ſpe ſociorum ad creandum hunc magiſtratum animos veſtros intendere. Valete.

FRAN-

FRANCISCVS DE CARRARIA Bononienſibus S. D.

Et *ſi vigiliæ veſtræ diligentiſſimæ, ardorque animi pro communi omnium vtilitate in prouidendo, agendo, conſulendoque cognitus hactenus fuerit; nunc uerò ueſtris ita literis patefactus eſt, ut de prudentia, conſilio, ac magnitudine animi veſtri nuſquàm dubitari iam debeat, in hoc præſertim, quòd deprehenſis tenebris, quas oculis omnium Comes Virtutum ingerere nititur, opportuniſſimas atq; oppidò ſalutares, M. F. V. per me. K. D. F. pro creando Ba. officio cohortationis ardentibus luminibus occurriſtis; ut quos non mouerent exempla, ſaltem conſilia excitarent. Profectò nec ſanctiore, nec laudabiliore fungi opera potuiſtis, quàm ſi ueſtra id ſuaſione in illa urbe officium ſtatuatur: erit enim hamus quo ſuos allapſus intercipi metuat, erunt obices, quibus ſe irrito labi ſciat. O utinam cæteri ueſtra ſecuti ueſtigia eò recurriſſent; multum enim ſuſpitionis, multum curarum, pectoribus noſtris demptum foret; ei uerò, qui pacem omnium turbare contendit, adiunctum foret. Ego quamquam hanc creari dignitatem, ut firmitati ſociorum ſaluberrimam maxima animi cupiditate expectabam, nuper tamen ueſtris excitatus exemplis omni contentione hortationeque eoſdem D. Florentinos nitor animare, ut uel nunc, atque utinam*

utinam non ſerò, ad Ba. creationem intendant, quippe qui non modò remp. ſed & tutos ſecuroſque ſociorum animos facturi ſint. Vt autem cognoſcatis quo feruore animi ſcripſerim, incluſum exemplum literarum, quas D. Florentinis ſcripſerim, mitto. Valete.

FLORENTINI FRANCISCO CARRARIÆ S.D.

VENERVNT *ad nos legati Comitis Virtutum, quorum uerba nihil aliud fuerunt, quàm eadem met quæ aliorum. Reſpondimus autem, nos pro fœderis debito, & pro commodo colligatorum, & expeditione gerendorum decreuiſſe omnino, ut hæc colloquia in ciuitate Bononiæ indicerentur, opportunitate loci, ut decuit, commendata. Ad quæ reſponderũt, ſe non poſſe ſuper hoc alibi quàm hìc, agere attento reſponſo domini ſui, cui & ipſi ſcripſerunt. Hæc hucuſque geſta ſunt; quæ ſequuntur, ordine literarũ cognoſcatis. Volumus te certiorem facere F. V. nos operam daturos, ut hæc negocia Bononiæ conficiantur. cæterùm cùm. V. F. ſit diſpoſita non ſoluere illa decem millia florenorum, adeò populum in dolorem deduxit, ut ne ſcribere quidem poſſemus. Dicunt ſanè omnes, uos nolle de ſtipendijs militaribus aliquid ſoluere, quos præcipuè milites pro tuendis ueſtris comparauimus: item nihil pro fœdere Ianuenſium, niſi per compenſationis ſupputationem; nunc uos*

velle præcipitare fœderatos in bellum, quod nulla poſſit iuſtitia palliari. Nos verò videmus populum noſtrum ita fore affectum, vt ſi contingat ex huius ceſſatione ſolutionis bellum excitari, vt nunquam poſſit ad exhibenda vobis auxilia perſuaderi. Quamobrem pro tuenda nominis veſtri dignitate, ac ſtatu rerum veſtrarum, & ne quis pacis turbatorē vos dicat; hortamur ne ſolutionem iſtam negligere velitis, nec ex parte veſtra committere, vt ille .D. poſſit contra nos, aut fœderatos iure bellum indicere. Datum Florentiæ. Die XIII. Iunij.

FLORENTINI BONONIENSIBVS, S. D.

VIDIMVS literas vel potius exemplum literarum, quas vobis non communis tantùm, ſed totius libertatis Italiæ publicus hoſtis in forma ſuperbiſſima deſtinauit; quarum quidem ſerie vos debetis maximè lætari, videntes cauſam leuiſſimam, qua aduerſus vos perditiſſimus oīum concitatur: vbi ſe aſſerit non propter commiſſa, ſed quæ per vos committi poſſint pro tuenda republica noſtra commoueri. O iuſtam, o egregiam indicendi belli cauſam, ò validum hoſtium regiæ amplitudinis, quam ambit, vt arma capiat, fundamentum. Non ob aliquam iniuriam, inquit, quā ſubeſſe nō fatemur; ſed ne vobis quietis & intactis Florentinis ſubſidia miniſtretis, vt hoſtibus noſtris ab hac die bellum nunciamus. non proſequitur hic effectum,

ſed affectum: nec vult amicos ſub conditione admonere, ſed quaſi iam conditionem impleuerint, inſectatur, vt ſatis manifeſtè animaduertere poſſitis ipſum non perſequi quod intendit, ſed oppreſſioni prorſus imminere. Arbitratur autem & vos à nobis, ſi inuadimur, habituros nõ eſſe ſubſidium, ſed ſemper indigos noſtri futuros auxilij, vt ſolùm modo meditetur, cùm vobis bellum indixerit, ſic nos hinc inuoluere, vt vos iuuare nequeamus. At bellum inferat, meditetur, & audeat quicquid libet, ſemper nos pro tuendis vobis, non minus promptos quàm pro vrbe noſtra cognoſcet. Vos autem, fratres optimi, nolite verbis, aut minis terrere, ſed ea animi conſtantia, qua maiores veſtri Regis Erij ſuperbiæ reſtiterunt, contra ſerpentis inſidias ac impetus confirmate, nos hinc ita illi occurremus, vt vobis obeſſe non poſſit, cæterùm comminationum, & fictionum ſuarum exemplum cum reſponſo noſtro ijs literis vobis deſtinauimus. Valete Florentiæ. 3. Maij. XIII. *Indict.*

GALEATIVS, COMES VIRTVTVM.
Reip. Florentinæ S. D.

PACEM *Italiæ omni ſtudio curauimus, nec laboribus, aut impenſis pepercimus. optabamus enim, ut diuturno bello defeſſa Italia, tandem noſtra tempeſtate reſpiraret, idque tam inteſo animo operam dedimus, vt nonnunquam à pleriſque*

 maleuolis

maleuolis nobis id uitio datum fuerit, quod humanitate, beneuolentia, charitateque agere nitebamur. Sed hæc omnia irrita & vana fuerunt, cùm improborum conſilia præſtiterint. Maluit enim (non dicam reſpublica veſtra) de qua nihil opinari poſſumus, ſed paucorum virorum Archiguelphorum rabies, bellum, quàm pacem eligere, & Italiam magna ex parte bellorum motibus inuoluere, & quod maius eſt, in magnum detrimentum magnificorum Seneſium, ac Peruſinorũ, ignominiamq; noſtram, primò occultè quãtum fieri potuit, deinde palàm fœderibus ruptos, quæ iampridem maximis cerimonijs percuſſa. vtinam in ipſos ſolos & non in alios pacis auidos, in ipſorum capita, non ipſam afflictam patriam peſſima hæc conſilia ſua reddundarent: ex quibus præter naturam noſtram & omne conſilium ad vlciſcendum illatas amicis iniurias accendimur ac inflammamur, & per has literas bellum vobis nunc indicimus. Papiæ, xx. Aprilis.

FLORENTINI IOANNI GALEATIO Vicecomiti, Mediolani Duci.

HODIE *nobis reddita ſunt hoſtiles literæ nomine Galeatij Vicecomitis, qui ſe dicit Virtutum Comitem, & Mediolani dominum, & Vicarium generalem, totas quidem plenas mendacijs, atque dolis, & tam ſuperbè quàm infideliter concludentes. Pacem Italiam omni ſtudio ſcribit ſe*

quæſiuiſſe

quæſiuiſſe, nec pepercisſe laboribus, aut impenſis: qđ quidē verbũ, quod eiuſdem epiſtolæ primũ eſt, q̄ impudenter & mendaciter aſcriptum ſit, declarat inuaſio per ipſum facta contra dominum Veronenſem, quem infœliciſſimo bello implicādum afflixit, qui miſer bis laceſſitus & victus, vix poterat mœnia vrbis tueri, nec eſt quod illius amplitudinem timere dicat. Adde & illam fidelem ſocietatem initam cum D. Paduano, in qua de partiendo ciuitates eiuſdem D. Verōnēſis ſpecialis conuētio facta fuit, cuius obſeruatio ſecuta eſt in occupanda Vincentia, quæ Carrarienſi debebatur. imò ruptis ſocietatis fœderibus bellum eidem inuidia, & ambitione diu quæſitis fictis coloribus illatum eſt. Hæ ſunt pacis rationis, hæc illa ſtudia, quibus tranſmiſſor literarum ſe Italiæ pacem peperiſſe aſſerit. Illud etiam ſatis conſtat confectis calumnijs, nobis magna ſimplicitate ſcribentibus poſt fœdus percuſſum noſtrorum animorum conſilia indicando, nos publicè ſtatuiſſe ipſum aliqua ratione punire, cùm id turpiter ſit conqueſtus: declarant & copiæ, quas Oratores ſui reuocare promiſerunt, quaſq; iuxta fœderis leges in Thuſciā mittere, niſi pro tuendis amicorum rebus, minimè debebat quas omni offenſione ceſſante non modò non reuocauit, ſed & potius auxit. Et turbando patriam, peſſima bellorum ſemina iecit: Scimus Senenſes pacem deſiderasſe, ſed ſub tali domino, nec ſibi, nec patriæ pacem quærere vel tueri potuiſſe. Si rupti

fœderis arguimur. Dicat, ſi poterit, in quo fuerit per nos contra pactiones commiſſum aliquid, vel omiſſum. Habebamus copias, quas ipſe ſolas, vt po te ſibi ſuſpectas, formidabat, ipſas noſtris expenſis ſoluimus. habebamus amicos, & cenſuarios, quibus cum Senenſibus bellum erat, quos ab omni bel li conſilio ad pacis & concordiæ iucunditatem duximus conuertendos. Sed quid profuit, aut prodeſſe potuit pacis ſtudium apud illum, qui pacis uerbũ enunciãs bellũ totis viribus meditatur? Nos voluit eſſe inermes, vt lęderet armatos Senenſes & alios, ne poſſent cũ veteribus ſuis coniunctiſſimis in gratiã redire: & tamẽ audet nobis rupti fœderis notã inurere, qui fœderi nõ conſenſit, niſi quo poſſet facilius ſupplantare, quique cũ aliis, & nobiſcũ armatorum ſocietates etiam diſſoluere pepigiſſet: vix be ne ſiccatis literis pactionũ, nouã armatorum ſocieta tẽ ad colligatorũ excidiũ conflauit. quippe qui non prius hoc fœdus firmare, quã rumpere cogitauerit. Quòd ſi Montempolitianum, vt promiſimus & tenebamur, adiuuimus, & nobili viro Bertaldo de Vrſinis Comiti Suanen. & Palatino filio, & cenſuario noſtro ruptis fœderum legibus per Senenſes inuaſo ſubſidio fuimus, quod per pactiones commu[illegible] dictum fuerat: quomodò dici poteſt nos pa[illegible]s fœderibus non ſtetiſſe? Nam de Peruſinis quid loquamur, quorum ciuile bellum expulſis bonis ciui[illegible] dici debet? Sed profectò noſmetipſos vana ſpe deluſi decipiebamus perſuadentes nobis illum fo re

re fidelem, qui tam perfidus nepos, & gener, & frater, in patruum, ſocerum, & fratres extiterit, cuius animus, ac fides totiens cognita nihil habet conſtantiæ, niſi in hoc, vt promiſſam fidem nunquam ſeruare didicerit. Eſſet quòd poſſemus illi gratias egere, quòd voluntatem ſuam literis ſignificare voluerit, niſi per ſuos Duces, vt facilè demonſtrare poſſemus, ſtatutum diem iampridem antè agris noſtris multum cladium intuliſſet. Sed hic eſt optimorum mos, primùm deſtinatos hoſtes inuadere, quàm ſe vel verbo vel literis infenſos declarare. Nos autem contra huiuſmodi calumnias obtulimus & remp. noſtram iuxta fœderum leges, & fœderatorum paratos iudicium ſubire: quod minus ab ipſo probari animaduertimus. Ex quo poſtquàm de iure diſceptare non licet, noſque turpiter & crudeliter inuadimur, vt eiuſdem iurati fœderis verbis vtamur ſuperbiſſime laceſſiti, nos verſa vice tyranno Lombardiæ, qui ſe regem cupit inungere, bellum indicimus, & pro tuenda libertate populorum, arma capimus, ſperantes Dijs bene fortunantibus, Lombardorum calamitatem defenſam iri: qui Dij hominis vnius nequiſſimi ambitionem libertati tot populorum, & ſaluti tot vrbium, quot per vim euertit, nunquam præponet. Vnum autem omittere noluimus, te maximè tua ſententia falli, quippe qui tibi paucos Florentinos archiguelphos virtute aduerſaturos ſperes; bellum enim egregia omnium ordinum virtute animoque geretur; cùm præſtet omni-

bus potius mori, quàm ſæuiſſimi tyranni iugum grauiſſimum ſubire. Florentiæ, 81. Maij. 1390.

FRANCISCVS IVNIOR CVRRARIA Marchioni Eſtenſi.

VSV, *inſtitutoque maiorum factum eſt, vt priuſquàm hoſtiliter aliquid agat, vel literis, vel oratio ſtem quis præmoneret, vt vel reſipiſcat, vel dire pta, ablataq; alteri reddat; ſin autem Mars ſæuiat, nullusque locus paci detur, fortunæ belli reliqua comittere. Nos nunquam adduci potuimus, vt vel nobis, vel Florentinis, ac Bononienſibus, ſocijs noſtris quicquam iniuriarum fieret, memoria repetẽtes, qua neceſſitudine atq; adeò affinitate cõiuncti ſemper fuerimus: quod & vobis, & quibuſcunq; gentibus ſatis eſt cognitum ac proſpectum, eoque magis, cùm nullæ belli cauſæ ſubeſſe viderentur. Sed vos aliorum ſuaſione in fœderatas vrbes ac in me quaſi antiquos hoſtes animum atque manum armauiſtis. Quibus omnibus æqua lance libratis, nolui latere Amplitudinem tuam, me cum nobilibus illarum rerumpub. legatis ac earũ copijs Pellicinum armatum veniſſe, ac ibi conſtitiſſe, quod egimus inuiti à vobis, vt iam diximus, iniurijs pluribus laceſſiti. Iniuria profectò nulla maior, quàm quæ per amicos & affines illata fuerit. Nos tamen quàm minori poterimus damno veſtro in ijs locis commorabimur, quouſque animum veſtrum exploremus, quem à peſſimis conſilijs reſipiſcere*

maxi-

maxime optamus. Quòd ſi pertinaciùs æquitati reluctari volueritis, ſciatis velim copias noſtras ad quæque veſtrorum peruaſuras, prout belli furor ſuadebit; de quibus à vobis excuſari iure optimo debebimus. Conſtituentes & præfinientes vobis totam diem Martis proximè venturam ad quodcunque malueritis conſilium capeſcendum. In caſtris, ad Abbatiam Pollicini. Die 17. Septembris. 1390.

FLORENTINI. FRANCISCO Carraræ. Pad. Domino. S. D.

NVNQVAM *ſatis pro rei magnitudine mirari poſſumus, vos adhuc illa decem millia florenorum Comiti Virtutum quæ iampridem ex pace illi debebatis, nō ſoluiſſe: quod quidem nihil aliud eſt, quā pacem rumpere, & contra vos bellum iuſtiſſimum excitare. Quàm facile autem viribus veſtris tanti Principis vim ſuſtinere poſſitis, pro veſtra prudentia iudicetis. Nam & colligatorum auxilia quo vultu implorabitis ſi æs alienum non exoluatis, ſi veſtra ſit culpa, ſi vos met id bellum concitetis? Quòd ſi vnanimes cum aliꝭs vos defendere vellemus, qua iuſta cauſa poterimus arma mouere? Quomodo vniuerſis hominibus belli cauſas reddemus? hoſtis ipſe nos damnabit, ſi per iniuriam, quæ debueritis, ſoluere, abnueritis. Durum eſt, & difficile cum potentiori decertare, at ſi cui iuſticia etiam aduerſe-*

tur

tur, qua ui duobus validiſsimis hoſtibus reſiſtet? omittamus famam, omittamus cauſam & pericula, non ne declinando nunc hoc onus expenſarum, quas pace ſubire non vultis, longè maioribus ſumptibus atque bello vos implicatis, agros prædiaque veſtra direptionibus ac incendijs exponitis. Vobis igitur id conſilij damus, & per publicã fidem obteſtamur, vt has pecunias ſoluere velitis, ne ſponte veſtra rem eò deducatis, vt aliquando vos pertinaciæ veſtræ pœniteat. Quòd autem oporteat vos & alios collegatos cauſam veſtram indefenſam inter belli anguſtias ob ſui turpitudinem relinquere, nihil eſt quod dubitetis. nam & fouendo iniuſtam cauſam fatuum profectò eſſet, ſi quis ſibi de victoria quicquam polliceri auderet. nos verò ſolutis quæ iure Vicecomiti debentur pecunijs, nunquam fœderum legibus deerimus. Vale. Florentiæ.

FRANCISCVS IVNIOR CARRARIENSIS Marchioni Ferrariæ.

ACCEPI binas literas Illuſtriſsimo patri deſsinatas; alteræ ſignificabant, vos copias à caſtro Monbaranzoni abduxiſſe, & veteranis noſtris, qui ad vos miſsi fuerãt, collaudatis, eos miſſos facere conſtituiſſe: alteræ nos certiores faciebant, Marchionem Azonem ad Piſanos conceſsiſſe: ex quibus facilè intelligo vos Illuſtriſs. patri meo omnia conſilia veſtra impertiri. Quare vobis pro veſtra

ſtra in nos beneuolentia immortales gratias ago, hortorq́; vt viterani noſtri uob's aliquo uſui eſſe po terunt, illorum opera uti, quàm maxime velitis: nihil eſt enim quod tanti quàm amplitudinem ueſtram, faciamus. Vale.

CAROLVS V. ROM. IMP. AVG. collegio Cardinalium.

ALLATVM *ad nos eſt triſte & lugubre nuncium de obitu fœlicis memoriæ Pauli III. Pont. Maximi, quem ſanè virum cùm ætate & moribus, tum authoritate venerandum & longo rerum vſu clarum & inſignem. Niſi Deo Optimo Maximo viſum eſſet in beatiorem illam vitam euocare, Eccleſiæ ſuæ ſuperſtitem diutius optaremus. Verùm, quoniam diuinæ illius bonitati atque ſapientiæ ita viſum eſt decernere, eius voluntati nos aptare & ſubijcere par eſt, atque interim ſummis precibus flagitare ac pro uirili ſua quemque contendere, vt populo ſuo alium paſtorem & epiſcopum concedere velit, qui illi gratus ſit & acceptus, & Eccleſiæ ſuæ, quàm maxime commodus atque utilis. Huius quidem rei cura vobis Reuerendiſſimis patribus præcipue incumbit: & ſi nihil dubitamus vos pro veſtro officio in remp. Chriſtianam, & pietate prouinciam hanc ea prudentia & maturitate geſturas, qua & præſens reipublicæ Chriſtianæ ſtatus & omniū de ſe expectatio poſtulat; ac neq; noſtræ*

ſtræ, neque alterius monitionis ad eam rem opus eſſe arbitramur; attamen, vt in mentem venit, nos aduocati Eccleſiæ munus & prouinciam ſuſtinere, eoque nomine ex veteri maiorum inſtituto in partem huius ſolicitudinis vocatos eſſe, non potuimus, neque certè debuimus officio noſtro deeſſe, quin huic rei omnium maximæ grauiſſimæque partes noſtras interponeremus: quod vt eo magis præſtare cupiamus & ſtudiũ religionis nos inuitat, & muneris noſtri ratio, ac iuris iurãdi religio qua Eccleſię Dei, & huic ſanctę ſedi deuincti ſumus ad hoc quaſi adigunt & impellunt. Proinde vos, Reuerentiſſimos patres, ſummopere hortamur & obteſtamur, huic rei omnem curam, & cogitationes impendere, atque Dei imprimis cauſa, depoſito omni alio humano affectu, in deligendo vno pontifice hoc ſolum ſpectare velitis, quicumque tandem ille talis ſit, qui meritò Eccleſię Dei utilis & commodus cenſeatur, atque quoad eius fieri poſſit, his donis ornatus ſit quæ in epiſcopo & paſtore maximè requiruntur, & patrum monumentis prodita ſunt. eorum præcipuè qui primæ religionis & fidei noſtræ fundamenta in ipſa alma Vrbe iecerunt, ac ſanguine conſecrarunt; omninoque vos monitos velim præſentis reipublicæ ſtatus, qui talis planè eſt, vt non minor cura religioni inſtaurandæ adhibenda ſit, quàm priſci illi patres in illa propaganda iam olim adhibuerunt, in qua re Deo imprimis gratam & acceptam, reipublicæ vtilem & neceſſariam,

officio

officio ueſtro dignam, ac noſtræ omnium expectationi conſonam rem facientis: quos rectè fœliciterquè ualere maxime opto. Datæ in oppido noſtro Bruxellis, die XX. *Nouembris.* 1549. *Imperij noſtri.* 30. *regnorum.* 33.

IANVENSES PAPAE CALISTO.

NEMO *propè eſt, Beatiſſime pater, & Domine nobis colendiſsime, qui neſciat quantus terror, & animi cõſternatio populos inuaſerit Pontici maris, tunc cùm capta Conſtãtinopoli Machometus Turcarum Rex, Thraciam, Boſphorum ita clauſiſſe viſus eſt, vt Pontum inacceſſibile feciſſe putaretur. Nam cùm illic Europam ab Aſia anguſtum dirimat fretum. Rexque in vtroque littore immania tormenta diſpoſuiſſet clauſtra inieciſſe mari, non ſine ratione dictus eſt. tantusque pauor in omnes, qui mari negotiantũ effuſus eſt, vt annum nemo introrſum penetrare auſus ſit. Parauimus autem nos ingenti quidem mercede naues duas, in quibus arma, viri, tela, & reliqua neceſsaria Capham mittebãtur: ſed nauium magiſtri, cùm peruenere Peram falſis pollicitationibus decepti deſcendentes in vrbem capti & in vincula coniecti ſunt, atque ita conatum noſtrum perfidia regis irritum fecit. Interim terreſtri via frequentes ad nos afferebãtur literæ, quibus miſerabiles illi populi opem orabant. Horum cùm nos pericula, lachrymæque flexiſſent,*

aliàs

alias iterum naues maiore ſtipendio conductas, omnia portantes, quæ deſiderabantur, Capham penetrare iuſſimus, quæ Aprili ſuperiore ſaluæ eò peruenerunt: tantumque ſpei trepidis populis iniecerũt, vt qui de deſerenda patria conſilia ſæpius agitauerant, non modò in fiduciam erecti ſunt, ſed alij quoque inualida oppida relinquentes, Capham migrauerint arbitrantes eiuſmodi auxilia ſibi nunquam defutura eſſe. Verùm cùm redeuntibus nauibus ipſis, earum altera tormentis icta mox obruta mari ſit: certũm videtur ciuitates illas in priorem deſperationem collapſuras eſſe, nec facilè inueniri poſſe nauem, quæ audeat etiam geminata mercede tàm certo diſcrimini ſeſe abijcere. Hæc dum cogitamus, Sanctiſſime pater, facilè præuidemus populos illos deſperata ſalute animum abiecturos eſſe, niſi vel nouis auxilijs, vel ſpe certa foueantur, Et ne quis forſitan putet pro vili plebecula verba facere, habet Ponticus ille angulus Imperium Trapezontanum claris vrbibus frequens: habet Capham non ambitu quidem mœnium, ſed populorum multitudine Conſtantinopoli facilè præferendam: habet Soldaiam, habet Simbolum haud contemnenda oppida: habet denique Amaſtram vrbem quondam celebrem, ſed ſanctorum Epiſcoporum fama celebriorem. præter quos inſuper populos, extenditur latè ora maritima, quam Hoſtiam vulgò nominamus, quàm ſoli incolunt Chriſtiani. Cum igitur, vt perſpicuum eſt, nobiliſſi-

marum vrbium ac maximorum populorum ſalus aperto in diſcrimine verſetur, qui ſine ope, Sãctitati veſtrę ſalui eſſe nequeunt, orandam duximus benignitatem veſtram, velit ad eorum calamitatem animum, oculosque conuertere; eamque illis opem ferre, quæ pro rerum, ac temporum conditione præberi poteſt. Super quibus omnibus venerabilis ſacrarum literarum profeſſor Deodatus à nobis pridem miſſus ad Beatitudinem veſtram: ſi quid opus fuerit, particulariùs verba faciet: quem vt audire, & exaudire dignetur, eam iterum atque iterum precamur, cui nos, & noſtra omnia ſupplices commendamus. Data Ian. M. CCCCLV. *die* 5. *Nouembris.*

PETRVS, DVX & CONSIL. Caliſto Papæ.

LEGIMVS, *Beatiſſime pater, & Domine nobis colendiſsime, literas Sanctitati veſtræ.* XXIII. *die Maij ſuperioris datas. Legimus item exempla literarum Reuerendiſsimi Domini Cardinalis Sancti Angeli, quas ex Vngaria* XVII. *die menſis Aprilis miſiſſe videtur. Ex his cognouimus quanta ſit Sereniſsimo illi Regi ſpes repoſita in claſſe Sanctitatis ueſtræ, quàmque cupiat eam litora, terrasque Turcarum mox incurſare. Nobis multa cogitantibus uerba profectò deſunt, quibus ſtudium, ardoremque ueſtræ Sanctitatis ad*

fidei

fidei defenſionē dignè extollere, ſatiſq; laudare ualeamus. Quid enim addi poſſe dicemus tanto animi feruori, qui erogatis auro, argento, gemmis ſe ipſum cupiat pro ſuo grege in captiuitatem dare? Verùm quoniam hæc pia animi noſtri conſcientia in Deo requieſcens humanas laudes aſpernatur, miſſa hæc facimus. Quod nos reſpicit, Sanctiſsime pater, non eſt ignotum ſapientiæ ueſtræ, hanc Remp. etiam priuſquàm Machometus Conſtantinopoli poteretur, non exiguum Turcici belli pondus ſubijſſe. Ex eo omni tempore nauibus, uiris, armis, tritico urbibus Pontici maris ſuccurrere cœpimus, uixque unquam poſtea eiuſmodi ſumptus ceſſauit. Poſtquam autem à conſpectu ueſtræ Beatitudinis redierunt legati noſtri, cùm Rhodus, Chius, Teſbus, aliæque vrbes, & inſulæ manifeſtis periculis obiectæ viderentur, præter Ponticarum vrbium curam, ad has quoque terras conſilia conuertere neceſſarium fuit. Itaque naues duas cum viris circiter quingentis, armiſque, & inſtrumentis bellicis Chium miſimus; vnam Mitilenas cum ducentis, & omni telorum, armorumque genere. tritici autem tantum conueximus Chium, vt ſi vel Rhodus, vel alij vicini populi eſuriant, inde fami eorum ſuccurri poſſit. Capham autem, & ad alias Ponticas vrbes duas item miſimus alias naues, magnā frumentorum vim ferentes: quarum altera omnium maxima, quæ Mediterraneo mari nauigarit, fulmine icta malo, & antennis ambuſtis

buſtis facta inutilis eſt: ingruitque neceſſitas aliam loco eius quærere, quæ in Pontum penetret, & onus incenſæ non ſine nouo & graui ſumptum illuc perferat. Hæc quiſque rectè cogitare voluerit, licèt ingens aliqua, & hoſti formidabilis claſſis à nobis comparata non ſit, inueniet tamen nos hoc longo, & aſſiduo bello tot naues, tot viros armaſſe, tantum pecuniarum profudiſſe, vt longè minore ſumptu prævalida claßis parari potuerit. Lætamur claſſem Sanctitatis veſtræ nūc ſolui, & Orientem petere: quæ vtinam Calendis Maijs, vt fama erat, in Aſiam perueniſſet. fouiſſet enim bona ſpe Chriſtianorum populorum animos. quorum quidem perterriti, abiecta ſpe Occidentalium præſidiorum, pacem cum rege Turcarum agitare feruntur. Nos Beatiſsime pater, quanquàm diuturni belli mole defeßi, non deſinemus tamen terris, & inſulis, quas nominauimus, opem ferre, quamdiu vires patientur. Et ſi reges, ac populos Chriſtianos Beatitudo veſtra in vnum conſenſum adducet, præclaram aliquam magnificamque expeditionē aduerſus Turcas parare; annitemur profectò ſpei, quam de nobis Sanctitas veſtra concepit, reſpondere, nec promptitudine, vel ardore cuipiam cedere conabimur, qui nos noſtraq; omnia benignitati veſtræ propenſiùs commendamus. Data Ian. die XI. Iulij. M. CDLVI.

PETRVS DVX, & CONSIL. SACRAE Regiæ Maieſtati Angliæ.

ET *ſi nobiliſſimum illud regnum Angliæ, Sereniſſime, & præcellentiſſime Princeps, remotum eſt admodum ab Imperio Turcarum, arbitramur tamen non eſſe ignotum Maieſtati veſtræ quanto cum periculo verſentur vrbes illæ, inſulæque Chriſtianorũ, quæ Turcis propiores ſunt, Chius certè, Lesbus, aliæque his vicinæ inſulæ, & Amaſtrata præterea, ac Simbolum, Caphaque, & aliæ Pontici maris ciuitates, adeò attonitæ, & tremefactæ ſunt, vt niſi præſidijs noſtris ſeruarentur, vix in diem vſque præſentem perdurare potuiſſent. Nos, annus iam tertius elabitur, ex quo his populis aduerſus Regem Turcarum naues, viros, arma, triticum aſſiduè prope ſubminiſtramus, tanto quidem ſumptu, vt defeſſi & exhauſti vix ſpiritũ trahamus. Nõ ignoramus, præclariſſime Princeps, ex ijs, quæ rerum geſtarum ſcriptores prodiderunt, perrarò vnquam aduerſus infideles bella eſſe ſuſcepta: in quibus incliti quondam Reges Angliæ, viri Chriſtianiſſimi, & diuini cultus zelantiſſimi magnam laborum, ac periculorum portionem non ſubierint. Quæ nos mouent Maieſtatem veſtram orare, vt ad reprimendam inſolitam hanc Turcarum ferociam, velit iam oculos, & cogitationes ſuas conuertere: ita quidem, vt Chriſtiani populi in Oriente, ac ſeptentrione*

trione poſiti tanti Regis auxilia ſentiant, & R. c ipſe Turcarum, apud quem omnes Reges noſtri irriſui ſunt, ſciat eſſe ſublimitati veſtræ vires, quæ ſibi terrori, ac formidini eſſe poſſint. Cæterùm iniecta nobis ſuſpicio eſt, quoſdam tentare, vt ciues noſtri Londinij negotiantes contra ius, faſque, contraque fœdus, & colligationem, quæ multis iam annis eſt cum Maieſtate veſtra, ſubijciantur nouis grauaminibus: de quibus aliquando ſuſcitata lis fuiſſet, virtute eius fœderis liberè ab ijs abſolui fuere; non arbitramur, æquiſſime Princeps, humanitatem veſtram expectare à nobis hæc loco preces exagerrari. Nam quò excelſiore loco ſublimata eſt ſerenitas veſtra; eò magis decet promiſſorum ſuorum curam habere. Ex quo, vt duorum ſaltem meminerit, ſumma ſit precum noſtrarum preimi noſtros, vt diximus, in reuerentiam eius fœderis iamdudum abſolutos fuiſſe: reliqui quòd cum celeberrimæ memoriæ domino quondã parente veſtro Henrico glorioſiſſimo Rege ad fœdus contractum eſt, quod ob memoriam eius decet Maieſtatem veſtram longè maiore ſtudio obſeruare, ac tueri: in cuius gloriam ſumus omni tempore cupidè parati. Data Ian. M.CCCCLVI. die VII. Aprilis.

PETRVS DVX, & CONSIL. SACRAE Regiæ Maieſtati Angliæ.

SI ad memoriam ſuperiorum temporum ani-

mum reuocemus Sereniſſime, & præcellentiſſime Princeps, & ſeniores noſtros inclitũ illud regnum frequentare ſolitos audiamus, fuerunt profectò, in quibus non iuſtitia modò, ſed leges inſuper, ac mores, omniſq; præclara virtus aulas clariſſimorum quondam regum Angliæ inhabitare videbantur: ipſaque vrbs regia Lodinium non tam vna ciuitas, quàm veræ libertatis, incorruptæque iuſtitiæ templum quodam dignè vocari merebatur. Quæ dum recogitamus, non miramur modò, ſed obſtupeſcimus cognito nunc impetu, qui ſuperioribus diebus in mercatores noſtros, cæteroſque Italicos factus eſt. Quis enim non miretur quoſdam licèt paucos ex ea plebe, quæ mitis hactenus, & quieta leges, ac iura venerari ſolebat, tanto furore exarſiſſe, vt more ſeuientis alicuius belluæ in homines innocentes irruerint? domos eorum refractis portis irruperint, bona diripere non erubuerint; & mortem minitantes à vulneribus etiam, & ſanguine non abſtinuerint? hãc eam barbaram tamque inauditam, licèt paucorum, inſaniam vix nobis perſuadere quiſquam potuiſſet, niſi iam adeò per omnes terras vulgata eſſet, vt teſtes vltrà non deſiderentur. Nec ignoramus præclariſſime Princeps ſcelera hæc non minus atrocia viſa eſſe Maieſtati veſtræ, quàm ijs ipſis, qui ea paſſi ſunt: nam eo metu cognito non præmiſit quempiam ſuorum ad opprimendum furorem veſtra ſublimitas, ſed ocius aduolauit, & diſcuſſa multitudine quoſdam in vincula coniecit,

de quorundam capite ſupplicium ſumpſit, de reliquis nondum perlatam eſſe ſententiam, fama eſt. Quæ in ſontes talis animaduerſio profectò fuit, qualis eum Regem decuit, qui Deum iuſtitiamq; reſpiciat, famamque ac dignitatem ſuam vitæ anteponat. Nos, vt de nobis ipſi loquamur, quemadmodum re cognita plurimum irritauerat iniuriarum magnitudo, quibus indignè noſtri affecti fuerant, ita dolorem mitigauit ſæueritas pœnæ, qua in reos Maieſtas veſtra vſa eſt, nec mitigauit tantum, ſed fiduciam inſuper præbuit digna his malis remedia mox adhibenda fore, talia quidem, vt bonorum innocentia etiam inter improbos tuta fiat. Exploratum habet veſtra Serenitas mercatores illic noſtros ita negotiari ſolitos, vt magna ab his commoda in alios, & multos quidem diffundantur. Nec ignorat non pacem modò nobis eſſe cum ea, ſed fœdus quoque, & colligationem ſanctè à nobis incorruptèque ſeruatam, & ad Excell. veſtram, aliosque quondam Reges Angliæ eam venerationem, atque obſeruantiam, qua neminem nobis præferendam putamus. Hæc cùm ita ſint, oramus Maieſtatem veſtram, eamque iterum, iterumque precamur, vt eam ſecuritatem, easque prouiſiones adhibeat, per quas ea, quæ indignè direpta è domibus noſtrorum fuere, mox reddantur, & ciues noſtri in veſtris regnis procul ab iniuria, proculque ab omni terrore, ac metu ſecuram vitam degāt. Id quoniam ad famam, dignitatem regij nominis

pertinet, ſuperuacuum duximus alias ſuper alias exaggerare preces. Quod reliquum eſt, nos, noſtraque omnia in gloriam ſublimitatis veſtræ parata ſemper deferrimus. Data Ian. IIII.*Iunij.*

PETRVS DVX, & CONSIL. SACRAE
Regiæ Maieſtati Portusgalliæ.

OBIECTAVERVNT *nos, Sereniſſime & preclariſſime Princeps, magnaque ſpe ſimul & voluptate affecerunt literæ Maieſtatis veſtræ pridie Calendas Maias datæ, hodie tamen nobis redditæ, quibus cognouimus, eam ſtatuiſſe ſuſceptum aduerſus atrociſſimum Chriſtiani nominis hoſtem Machometum, Regem Turcarum, bellum piè, ac ſtrenuè iuuare. qui certè ardor veſtræ ſublimitatis eſt admirabilior, & maioribus laudum præconijs extollendus, quò in tam longa nauigatione multo plus laboris, ac ſumptus ei ſubeundum eſt: diſcedentibus enim è regno veſtro, quod in extremo prope Europæ poſitum eſt, Thraciamque, & Conſtantinopolim petituris, pars maxima longitudinis terræ habitabilis metienda eſt. Quo fit, vt longè præclarius ſit hoc fidei veſtræ propoſitum, & omni commendationis genere prædicandum. Accedunt, vt literæ veſtræ pulchrè loquuntur, curæ, ac labores tuendæ Ceſareæ, quæ in littoribus Mauritaniæ ſita & infidelibus populis vndique cincta, armis ac inſidijs barbarorum per opportuna eſt. Sed has difficultates,*

ficultates, ac labores contempſiſſe videtur generoſitas animi veſtri, probè ſciens hanc illi militiam prę ſtari, cui debemus omnia, per quem ſumus, ac ſperamus: apud quem meritorum præmia, & immenſa ita perpetua ſunt. Quod autem Excell. veſtra noſſe cupit, quidnam & nos in id bellum moliamur, quæ, qualiaque paremus, libenter cupiditate veſtræ morem gerimus. Nos quamprimùm Machometus iſte Moratho patri ſucceſſit, ſuſpectum habere cœpimus ingenium eius: cùmque ſæuus, & ſanguinis auidus ferebat̄, tùmq; in oēs omnis generis Chriſtianos odium profitebatur: pp quæ naues, arma, propugnatores ex tunc fidelibus populis in Orientem miſſimus. Poſtea verò quàm Conſtantinopoli potitus reliquas vrbes terrore, ac formidine compleuit, tum demum velut ſuſcepto bello neceſſe fuit, Chium, Zesbum, Capham, Simbolum, Amaſtram, aliaque oppida Pōtici maris, aut præſidia mittere, aut infœlices illos populos in exitum corporum, & animarū ſæuiſſimis hoſtibus prodere. Itaque quartus annus circumagitur, ex quo naues, viros, arma, tela, triticum his, aliiſque vrbibus ſuppeditamus. qui tam aſſidui ſumptus, quamquam nos plurimum exhauſerint, cùm tamen Reges, ac populi Chriſtiani ingentem aliquam expeditionem parare ceperint, annitemur & nos nec dignitati noſtræ deeſſe, nec ad diuini cultus amplitudinem inter poſtremos haberi. Nunc autem neque numerum, neque reliqua ſatis explicare poſ-

ſumus: eòque minus, quod Sereniſſimus Rex Aragonum fractis indignè inducijs nuper cepit nos mari, terraque vexare. Conatus verò veſtros, Excellentiſſime Rex, vt maximi habendi ſunt, ita nos plurimi facimus, eòque pluris, quòd plerique Reges, ac Principes, cùm viderint Maieſtatē veſtram in altero prope orbe poſitam tam multa moliri, dedecori ſibi fore ducent, ſi ipſi propinquiores in communium Chriſtianorum bello ceſſarent. Si quid autem eſt, aut erit rerum noſtrarum, quod huic expeditioni veſtræ conducere poſſit, id quicquid eſt, & nos ipſos paratos ſemper deferimus in omnem gloriam veſtram. Data Ianuę, die III. *Septembris M.* CCCCLVI.

PETRVS DVX, ET CONSILIVM, Illuſtriſsimo, & præclariſsimo Principi, Domino Philippo, Duci Burgundię, Brabanciæ, & Limburgiæ, Comiti Flandriæ, Artheſij, Hannonię, Holandię, Zelandię, ac Namurci &c.

Dvm *recogitamus, Illuſtriſſime, & præclariſſime Princeps, quantas, quàmque præclaras res geſſerit Excel. veſtra, vel ad diuinū cultum, vel ad pietatis opera pertinentes, non ſine ratione confidimus fore, vt humanitas veſtra Deum reſpiciens, miſereatur tandem Oliuerij Maruffi, ciuis noſtri. Nam ſiue, quod ignoramus, nihil debeat ſublimitas*

tati veſtræ, ſed iuſta aliqua indignatio aduerſus eum concepta ſit, ſatis pœnarum pro ea culpa pendiſſe videtur: ſiue multa debeat Celſitudini veſtræ, quod credibilius eſt; quales forent hominum cogitationes, quales rumores, ſi pauperrimus hic ſenex in uinculis moreretur? Nec latere arbitramur ſummam prudentiam ueſtram, hunc uirum ita ſemper deditum in obſequia Excell. ueſtræ, cuius multis maximiſque beneficijs creuerat, ut omnium Regum, ac Principum neminem veſtræ ſublimitati adæquaret, laudes ueſtras adeò profuſe die ac nocte prædicaret, ut liquidò apparerent. Hæc cùm ita uera ſint, ut omnem dubitationem excludant, orandam duximus humanitatem ueſtram, quæ libentius ſibi theſaurizat in cœlis, quàm inter tineas, & fures, ut memor diuinæ admonitionis, qua ſuadet eos dimittere liberos, qui confracti ſint, dignetur huius inopis ſenis erumnas miſerari, eumque, ſiue dignum, ſiue indignum plenæ libertati reſtituere. Si enim libertate dignus eſt, vinciri non debet: ſi indignus, erit eius liberatio hoſtia quædam acceptiſſima Deo, cuius intuitu is liberatur, qui libertate fuerat indignus. Nos autem, quorum animum calamitas vxoris, ac familiæ ſuæ meritò torquet, hoc ipſum accipiemus loco ingentis beneficij, cupidè ſemper parati in omniem gloriam veſtram. Data Ianuæ. M.CCCCLVI die XX. Octobris.

PETRVS

PETRVS DVX, ET CONSILIVM Sacrę Regię Maieſtati Aragonum, & utriuſque Siciliæ.

ADMONVERVNT *nos nuper Sereniſsime, & præclariſsime Princeps, ex tranſmarinis regionibus ad nos miſsi legati duo Peræ, pauidi ad huc recordatione periculorum, quæ æſtate ſuperiore egrè deuitarunt, pauidiores noui terrore belli, quod aduerſus Conſtantinopolim, & Peram Machometus, Turcarũ Dux, in ver proximum ſumma vi molitur. Namque hic præcipitis conſilij iuuenis recenti Imperio ferox, eò cogitationes ſuas, eò conatus omnes obſtinatiſſimo propoſito vertiſſe videtur, vt has, quas diximus, vrbes ferro excindat, & Chriſtiani nominis memoriam in tota regione illa penitus deleat, eo forſitan conſilio, vt, quemadmodum prior Machometus decepta Aſia, & Africa inter clariſſimos viros colitur, ita hic ſecundus armis ſubacta haud ignobili Europæ parte ingens ſibi nomen, ac gloriam comparet. Dumque implorãtibus legatis ipſis properè ad ſe præſidiũ mitti, omnia diligẽtius percunctamur; renũciauerunt nobis Oratorem ab Imperatore Græcorum ad Maieſtatem veſtram mox eſſe venturum, qui oret imperio illi iam ſeneſcenti, ac defeſſo ociùs ſuccurri. Nos Imperatoris conſilium & laudauimus ſæpe, & iterum, iterumque laudamus, quòd poſt Romanum*

num pontificem ſpes omnes ſuas in Maieſtate veſtra collocauerit. Nam quem ſperare potuit Chriſtianorum regum æquè velle, ac poſſe ſibi aduerſus hũc Machometum opem ferre, quàm in ſublimitate veſtra & ſperare, & certo ſperare debuit? ab his enim regibus ortum ducit clariſſima domus veſtra, qui multis iam ſeculis occupantes Beticam Mauros vi, ac ferro domitos, ex ijs ſedibus eiecerũt, plurimasque vrbes, & quidem nobiliſſimas Chriſtiano cultui reſtituentes vix vnquam poſitis armis à perſecutione infidelium quieuerunt. ac ſic ſuccedente temporum ſerie eo parente genita eſt Maieſtas veſtra, qui ſuſcepto aduerſum Granatanum regem bello, multas illi terras, multa paruo tempore oppida eripuit: nec infideles modò populos Hiſpaniam incolentes, ſed ipſam quoque ſummotam freto Mauritaniam velut fulmen quoddam belli ſolo nomine plerumque terruit. His accedit, quòd veſtra ſublimitas mari ac terra latiſſime imperans ſex & quidem opulẽtia regna in ditione habet longa pace florentia, nullo hoſtis incurſu, nullis minis exagitata: quorum quædam adeò Græcorum imperio vicina ſunt, vt Cipro excepta, cætera Chriſtianorum regna in eorum comparatione alio prope in orbe poſita videantur. Quæ cùm ita ſint, iure optimo exigere creditur Deus, cuius eſt regna dare, atque eripere, ne patiatur Excellentia veſtra hãc Chriſtiano nomini maculam inferri, vt Orientale Imperium, totque fideles populi Occidentalibus auxilijs deſtituti

tuti calcādi, ac dilacerandi pollutis gentibus relinquantur. Nos, quibus ſolis Peram tueri neceſſe eſt, vt precibus etiam ſalutem illius Imperatoris adiuuemus, Maieſtatem veſtram orandam duximus, ut hæc, quæ dicta ſunt, cogitans uelit cùm pro gloria, tumque (quod maius, certiusque premium eſt) pro cauſa Dei infœlicibus populis illis ocius ſuccurrere, neque expectare, ut Reges in lōginquo poſiti & grauibus præterea bellis inpliciti; dum ſerò auxilia moliantur, interrim ferro Chriſtianorum Imperium eruatur. Nos autem, ne quis ocioſos putet, arma, uiros, tela, naues magna feſtinatione paramus, ut, ſi fauerit Deus, illuc præſidia noſtra ueris initio perueniant, pro ui ſemper in omnem gloriam veſtram parati. Ianuæ.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI, & domino nobis colendiſsimo: Domino Caliſto diuina prouidētia Sacroſanctę Romanę ac vniuerſalis Eccleſię digniſsimo ſummo Pontifici, Petrus Dux, & Conſi. Ian.

QVID *rei eſſe dicemus, Beatiſſime pater, & Domine nobis colendiſſime, quòd capta iam biennio ab Rege Turcarum Conſtantinopoli, & nunc perdomita aut vaſtata ea parte Meſiæ, q̃ Heruiā vocamus, exterritis aut in ditionem redactis omnibus prope Aegei maris inſulis, omnes ſomno ſopiti eſſe videamur? Eſt ne hæc negligentia, an cæcitas*

potius

potius, & amentia quædam multorum flagitiorum noſtrorum mentibus noſtris innata? Accepimus frequenter ex Lesbo, Chyſo, Rhodo, Cipro, alijſque inſulis literas, quibus certi reddimur infœlicibus illis populis exitium ſuum oculis aſpicientibus, omnem eſſe ſalutis ſpem in ſubſidijs regum Chriſtianorum repoſitã. qua ſi deſtituant, reliquum eſt, vt aut deſperatione celebrentur, aut abnegato Chriſti nomine Machometicarum ceno ſpurcitiarum ſeſe immergant. Hæc ſi ætas noſtra ſpectatura eſt, Sanctiſſime Pater, ſi hæc malorum omnium ſuprema in æuum noſtrum eruptura ſunt, quanto ſatius eſſet non vixiſſe? & ex vtero, vt flens ille cecinit, ad tumulum eſſe tranſlatos? Ad hos præcipue queſtus nos nunc mouet, quòd fama eſt, eius Regis claſſem, & quidem præualidam iam Chyum infeſtam perueniſſe: qua ſi potiatur inſula, fruſtra Cipro, alijſque inſulis ſuccurretur. Ex quibus orare ſtatuimus Sanctitatẽ veſtram, dignetur primùm, ſi quæ in Italia reliquiæ ſunt contentionum, aut bellorum, vel Iacobi Piccinini, aut aliorum, eas vtcunque tollere quod ſupremæ quidem ſapientiæ veſtræ pronum, ac facile fuerit: deinde cogitationes, conſilia, totum denique animum ad defenſionem Fidei vertere: pacatis enim ciuitatibus, ac populis Italiæ inueniet profectò Beatitudo veſtra cætera uel prona, uel non ad modum difficilia. In his ſi, ut confidimus, verſentur conſilia veſtra, præter laudes humanas, quæ virtuti debẽtur, ex-

pecte Sanctitas ueſtra immortales illas diuitias, quæ fideli ſeruo promiſſæ ſunt. Nos denique & omnia noſtra Benignitati ueſtræ peculiariter commiſſa eſſe præcipuum uotum nobis eſt. Data Ianuæ. XXVI. Auguſti.

ILLVSTRISSIMI DVCES MEDIOLANI AD Sereniſsimum Regem Ferdinandum.

SI *iuſto animo fortunam tuam metitus fuiſſes, Rex Ferdinande, ad quietem potius quàm ad arma conſilium deduxiſſes. Verùm & ſi bellandi cupiditas præualuit, ſaltem iuſtam cauſam ſequi debebas, & in aliud tempus differre, ne de vindicandi animi libidine dum Italas opes inter ſe conflictare facis, Turcus, qui legationibus, muneribusq́ue ſolicitatis ingenti penè exercitu in Epiro conſedit, veluti hanc contentionem ſpeculaturus omnes de Italiæ poſſeſſione mox deturbet. Ex eo enim fit, vt tibi, ac cæteris periculum pares ingenti dolore tuorum, quibus publica pax, & gloria tua ſemper cordi fuerunt. Verùm hac communi temporum atrocitate priuatam ad expoſtulandum tecum dolorem cauſam habemus, vt à quo, ſi quando aliquid grauius incidiſſet, plurimum præſidijs expectabamus, ab eo nunc rupto fœdere, & aſpernato omnis affinitatis iure laceſſimur. In animum ſiquidem noſtrum deſcendere nunquam potuiſſet, vt tu, quem loco parentis coluimus, nocere nobis ſuſtinuiſſes.*

nuiſſes. Atque cùm iamdiu multa de te deferrentur, moniti, vt rebus Ianuenſibus caueremus, irritos habuimus omnes nuncios tanquam falſos, & inanes, confirmati ab Oratore tuo te in fide permanſurum: quia nulla illata tibi prius iniuria nihil ex te metuendum conijciebamus; ſed hæc opinio nos fefellit. Nam Proſper Adurnus præſes noſtrorum Ianuenſium ſtudio tuo modò ribellauit. miſiſti ei Proſpero ſubſidium, triremes tuas addita pecunia. Ardet itaque nunc ea ciuitas inteſtina diſcordia per te conflata; & tu autor huius mali ex tua Neapoli quaſi alienum incendium exportare credis. Quod te compulerit, nihil eſt, niſi, quòd in periculo ſuo Florentinos ſocios noſtros iuuamus: quamquam ijs ipſis ex fœdere mutuo tu quoque auxilia debes; & ſi à nobis minus recte fieri opinaris, minus recte ſentis, quoniam perire potius, quàm fidem fallere ducimus. Si verò ob periculum noſtrum efficere credis, vt ſubſidia noſtra ab Etruria retrahamus, eodem volueris errore: nam Superum nobis vires non dubitamus, quibus hanc iniuriam tuam propulſemus, & ſocios noſtros non deſeramus. Quod etiam ſi in contrarium cederet in populos noſtros, quàm Florentinorum, ruinam fortiori animo laturi ſumus: tamen intereſt inter nos, & fidem tuam, qui vltimò capeſcis arma in eos, qui ex operibus ſuis te iuuerunt, & pro iuſta cauſa ſtare ſemper conſueuit Deus. Ille nouit Alfonſo Regi patri tuo per Filippũ Mariã proauum noſtrum mancipi

pi,

pi, & captiuo libertatem, & regnum fuiſſe reſtitutum. Ille idem Deus ſcit clementia primùm ſua, deinde Franciſci Sfortiæ aui, & ſoceri noſtri beneficio regnare. Hæc tibi obliterari non debebant: quæ ſi auditu moleſta ſunt, accepta quidem fuerunt iucundiſſima: at meritorum omnium oblitus cum pupillo, & vidua arma infers, non multùm ſtudes gloriæ tuæ, quæ apud omnes nationes interitura eſt, niſi ſeruas fidem. neque ſatis fortunam agnoſcis, cuius eſt in eodem veſtigio nunquam ſtare: itaque, niſi fallimur, non multo pòſt ſeſe aliorſum conuertet. De beneficijs quidem tecum certare cupiebamus animo liberali, vt ſi quando ita occaſio tuliſſet, non exigere auita & vetera auxilia, ſed præſtare noua parati eſſemus ad confirmandum Regnum liberis tuis. Contrà accidit quàm volebamus: parem itaque dolorem tibi reddere compellimur, quoad mouere lacertos poterimus. Mortalis es, & ſuperfuturos, niſi caſus abrumpas, æſtimatione iuſta nos putare debes. Quid opum relinquas hæredi tuo in Regno, quos prouocaſti. iam nunc potes cogitare. at hoc fortaſſe tanquè alienum iudicabis quaſi longam vitam tibi fata ſpoponderint. Illud certè in præſens referre debes quòd rupto per te fœdere, nobis omnia licebunt, quæ te viuentem perturbare poſſint, neque te fore quietum ſperà, vbi nos perturbaſti. Perturbaſti enim inclytos quoque Venetos & Florentinos, quibus cum nos fœdus habè-

habemus; neque in quemque noſtrum inſurgere potes, quin ſimul omnes prouoces: quibus ſi rectè vires tuas cõſideras, par neq; opibus eris neq; iuſtitia, ſpiritus fortaſſe verò æquales geres, vtinam eos nunc temerè ſumpſeris. Sed nos eò perpenſius ad dirumpenda hęc tua ſtudia cogimur, quòd arma noſtra laus ſecutura eſt pro iniuria propulſata: bellum verò à te ſuſceptum ſequetur infamia, quia fœdus & affinitatem vltrò ſis aduerſatus. Itaque niſi conſilium mutes, cogita nihil nos prætermiſſuros, vt incendium noſtrum mox regnum quoque tuum apprehendat, cùm etiam, ſi id volumus metuere debeas, quos terrores iuſtos ſis Ianuæ habiturus, ſi quando eam vrbem retinere non poſſemus, ſed omnia potius experturi ſumus vt vel integram ciuitatem recipiamus: quod vbi non licebit, eam diu conflictatam ad poſtremum iis tradituri ſumus, quos ſemper offenſiſſimos habuiſti; vt diſcas nullius grauiores eſſe morſus quàm pereuntium, & tandem ſuſcepti conſilij te quoque pœniteat. Vale, Datum Mediolani XI. *Iulij* 1478.

REX FERDINANDVS ILLVSTRISS.
Proſpero Adurno, Gubernatori, Ianuenſibus, & XII. Capitaneis populi.

MAGNIFICI *viri, amici chariſſimi, legimus literas veſtras per Magnificum Simonetum de Belprato*

prato nobis redditas, ipſumque Belpratum audiuimus: quem cùm intra quatriduum remittere ad vos conſtituerimus, pluribus nunc non vtimur. Mittimus in præſentia hanc triremẽ cum iis rebus, quas cum iſtuc applicuerit, intelligetis; & ipſum Belpratum cum iis rebus mittemus, vt facilè ſingularem noſtram in vos voluntatem & præcipuum ſtudium proſpiciatis: intelligetisque etiam quàm nobis gratiſſima acciderint, quæ publicæ vtilitatis ciuitatis iſtius gratia à vobis acta ſunt, & quantopere eas ob res nos vobis debere iudicemus. Satisfaciemus cumulatiſſimè ſpei opinionique veſtræ. Interim hortamur, vt concordiæ accuratiſſimè ſtudeatis; efficiatisque, vt omnes in officio ac fide permaneant. De ipſo Belprato fuerunt, quæ ſcripſiſtis nobis? iucundiſſima, & ſi ſe qualem ſcribitis, geſſerit, fecit quod maximè cupiebamus, quodq; ei à nobis iniunctum fuerat. Benè valete. Data in Caſtello nouo Neapolis, die XXVII. Auguſti 1478.

DVX MEDIOLANI IANVENSIBVS.

DILECTISSIMI *noſtri. Longiori ſanè epiſtola nos vti oporteret ad ea veriſſimis rationibus refellenda, quæ literis noſtris reſpondentes in medium adducentes, quibus, vt oſtendere nitimini, ſuſcepta meritò à vobis fuiſſe arma. Verùm omiſſis refutandi argumenta rationibus, conſilia cõuertimus ad id, quod vobis ſalubrius, iſtique inclitæ ciuitati conducturum*

ducturum magis, & quietē reſtitutarum putamus, ac finem facturum grauiſsimis laboribus, impenſis, ac damnis, quibus oppreſsi eſtis. de quo certè ob ſummam in vos charitatem noſtram plurimum auguramur. Vt igitur rei veſtræ bene conſuli poßit, & ad eas conditiones deueniri, quibus quieſcere tandem, & eiuſmodi incōmodis, ac imminentibus vobis periculis liberari valeatis, videretur nobis; vosque iterum atque iterum hortamur, vt pro rebus componendis ad nos Oratores deſtinatis, quia pacis ſtudioſos, ac optimo erga vos animo nos eſſe interuenturos, facturique ſumus, quæ non ingrata nobis fore non ambigimus, nec vos vnquam eoſdem Legatos miſiſſe pœnitebit: quibus per has noſtras liberum & amplum ſaluum conductum eſſe volumus tutò, & impunè accedendi, morandi, & redeundi. Ex Mediolano. XIII. Sept. 1478.

REX FERDINANDVS,
Reuerendiſs. & Illuſt. Raphaeli Frigoſio, Duci ac Capitaneis Ianueñ.

REVERENDISSIME, *& Illuſtriſſime Dux, ac magnifici uiri, amici, clariſſimi, unum reſtabat, quo effrenis Venetorum dominandi libido palàm omnibus foret, ut ſcilicet etiam nobis & regno noſtro bellum inferrent. Sed id nunc contingit, & omnibus in aperto factum eſt; ſiquidem (ut arbitramur nos*

non ignorare) Veneti ipſi irari regni noſtri prouinciam, quæ Idruntina uocatur, nuper irrumpentes claſſe, quam ingentem comperarunt, Calipolim, quæ ad mare ſita eſt, & nonnulla alia illius prouinciæ oppida per uim occuparunt: quod hoc tempore illis non admodum difficile fuit in ea regione præſertim quæ per ſuperioris Turcici belli incommoda incolis penè denudata eſt, multaque alia in nos & ſtatum noſtrum ijdem hoſtes noſtri omni eorum ſcelere moliuntur, vt omnibus iam conſtet, eos de ſubigenda ſibi Italia iam diu iniſſe cogitationem. Huic tam effrenatæ cupiditati obuiam eſſe eundum exiſtimantes, robuſtiſſimam equitum & peditum manum illuc quamprimum miſimus, alioſque penè in horas ſingulas mittimus. Claſſem & validam & numeroſam inſtruximus, quæ propediem educetur eo conſilio vt pro libertate Italiæ hoſtium conatus infringamus, occupata recuperemus, & illatas nobis & fœderatis noſtris iniurias pro viribus vlciſcamur. quod, Deo bene iuuante, qui iuſtis cauſis deeſſe non ſolet, ita breui futurum confidimus, vt hoſtes ad pœnitentiam ſui conſilij compelli poſſe non dubitemus. Memores autem antiquę noſtræ beneuolentiæ, in mandatis dedimus claſſis ipſius Præfecto, vt nauibus veſtris, ſi in quas inciderit, nihil incommodi, nihilque moleſtiæ inferat, ſed Ianuenſes omnes omnibus amicitiæ officijs proſequatur. quæ omnia vobis veteribus amicis noſtris imprimis ſignificanda putauimus, vt quando

nemini dubium eſt, Venetos de occupanda Italia cogitare ad idque conatus ſuos omnes dirigere, expergiſcamini iam tandem, & vnà nobiſcum in eos, qui vobis quantum per ipſos licuit, ſemper ſunt aduerſati, conſpiretis, tamquàm in communes omnium Italorum hoſtes; nec prætermittatis occaſionem hanc, quæ vobis diuinitus oblata eſt; quæ ſi neglecta fuerit, dolebimus non parùm Italiæ conditionem, ſed nobis nullo pacto deerimus, qui ſperamus per hanc terreſtrem & maritimam expeditionem rebus noſtris & fœderatorum noſtrorum ac veſtris optimè iri conſultum. Data in Caſtello nouo Neapolis, primo die Iunij. 1484.

LEONARDVS MARVFFVS, CHII Præfectus, Ianuenſibus.

VIRTVS *nobiliſſimi viri Guglielmi Henrici Arielen. Olandenſis, nobis meritò ſuadet, vt de illa pertinentes eius laudes in obſcuro eſſe non patiamur. nam à teneris annis bonis artibus, & literarum ſtudijs inſtitutus eſt; deinde creſcente ætate rei militari operam dedit: in eaque cum laude ætatem exercuit. Nam cùm ex vltimis Galliarum finibus, vbi in preclara Olandia vrbe generoſis parentibus ortus eſt, in Italiam proficiſceretur eo animo, vt in Aſiam traijceret, ſepulchrumque Saluatoris noſtri, & loca ſancta inuiſeret, non deterritus ab eo propoſito, quòd in itinere à latronibus non leui pe*

tunia ſpoliatus eſt, primùm à Magnifico officio Sancti Georgij Genuenſi ſtipendio conductus in eo bello, quod Genuenſes contra Florentinos geſſere: deinde cùm à Turcis nobis, vbique periculum inſtare videretur, cũ delecta virorũ manu, cui ille præpoſitus erat, ab Inclita Rep. Genuenſi ad nos miſſus eſt: poſtmodum adueniente Regis Turcorum claſſe, cùm factum propoſitum proſequi in animo haberet pugnandi contra Turcos ardore præmotus profectionem ſuam remoratus eſt: donec omnis periculi ſuſpicio abeſſet. Poſtea verò quàm ea claſſis in Syriam nauigauit tuti ab hoſte, facultatem abeundi Guglielmo conceſſimus: & ita conceſſimus, vt ſi licuiſſet, talem virum retinere apud nos maluiſſemus: ita à nobis ille cum honore, & gratia dimiſſus eſt, ad loca ſancta profecturus, & honeſtiſſimum deſiderium ſuum impleturus. De his omnibus igitur conuenire nobis exiſtimamus palàm notitiam facere, vt huius virtus non ignoretur; & ceteros eius exẽplo ad virtutem accendamus. E Chio anno M. CCCCLXXXVIII. *die* XVII *Iunij.*

IVLIVS FELTRIVS DE RVVERE, Sancti Petri ad vincula. S.R.E. Diaconus Cardinalis Vrbini &c.

Lectoribus harum literarum; Dominis, & amicis, S. in Domino Sempiternam.

CVM *nobilis & dilectus nobis in Chriſto, Dominus*

minus Auguſtinus Curio, ciuis Papienſis, familiaris noſter, ſingulari pietate, probitate, virtute, nobilitate, honeſtate, doctrina, & ſingularum atque diuerſarum rerum peritia præditus, qui aliquandiu hic apud nos, ſumma pietate, & vitæ integritate verſatus eſt, decreuerit ſe ad diuerſas orbis terrarum regiones conferre, vt mores naturaſque hominum varias pernoſcat (quod ad prudentiam comperandam & augendam non parum habet ponderis) non potuimus eius conſilium non approbare. Cumque cuperemus, vt talis adoleſcens tot egregijs virtutibus armatus vbique locorum noſtram erga ſe beneuolentiam cognoſceret, & ex operis effectu ſentiret; idque nullo modo melius quàm commẽdatitijs literis à nobis effici poſſe videretur, eò quòd abſentium animi, multo locorum interuallo diſtantium, nullis certioribus teſtibus, quàm ipſis literis ad aliquem amplectendum moueri ſoleant. Omnes & ſingulos Principes, & Dominos, tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares, nec non Comites armorum, atque belli Duces, & illorum loca, officia, vel vices gerentes, & vniuerſaliter atque ſingulatim, omnes cuiuſcumque ſtatus, & conditionis, vel gradus, quacunque Eccleſiaſtica, vel alia dignitate clareant, ad quos hæ literæ peruenerint; rogandos duximus, & rogamus, vt præfatum D. Auguſtinum, ad noſtræ contemplationis intuitum, ijs honoribus, fauoribus, & gratijs proſequantur & accipiant, quibus homines nobis cha-

riſſimos proſequerentur, & acciperent, eique per eorum terras & loca, de ſaluo conductu, & itineris ſecuritate, alijsq; rebus neceſſarijs vel profuturis prouideat: ſignificantes & indicãtes, id nobis tã gratũ fore, quã quod gratiſſimũ, noſq; ad gratiarũ actiones iuxta relata, & ad debita repẽdia obligãtes. Datũ. Fori Sẽpronij. die XI. Iunij. M. D. LVIII.

IV. CARD. VRBIN.

Franciſcus Strozza,
Secretarius de mandato.

VNIVERSIS ac ſingulis, Illuſtribus, Magnificis, Nobilibus, Strenuis, Prudentibus, Doctiſſimis viris: Principibus, ac dominis, & rerumpublicarum Rectoribus, necnon eorundem Vicarijs, Præfectis, Gubernatoribus, atque alia officia gerentibus: ad quos præſentes literæ peruenerint. Nos Franciſcus Oberiet, Conſul, ac Senatus vrbis Baſilienſis, ſalutem à Domino precamur cum prompta bene merendi voluntate. Significatũ eſt nobis per virũ excellentem & Magnificum noſtræ vniuerſitatis & Academiæ in hac vrbe Rectorem, & Cælium Secundum Curionem, virum præſtantiſſimum, quo picto ante annos aliquot, Honeſtus & ingenuus Auguſtinus curio, legitimus dicti Cælij Secundi Curionis filius, cùm ad alias nationes, tum maxime in Italiam peregrinatione conſtituta profectus ſit, quò ſuorum ſtudiorum & bonarum artium curſum, quem dudum hìc cœperat bene ac fæliciter abſoluere:

ſolueret. Verùm quoniam peregrinanti, atque apud varias ac diuerſas nationes habitanti, varia quoque pericula, atque impedimenta obijci, atq; occurrere interdum ſolent: Orarunt ijdem in clariſſimi, ac nobis chariſſimi viri, vt dictum Auguſtinum Curionen, noſtra ſeria ac beneuola cōmendatione munire dignaremur: nihil dubitantes, eum apud omnes chariorem futurum, atque à periculis & impedimentis tutiorem. Nos igitur Conſul, ac Senatus reipub. Baſilienſis, nobiſcum perpendentes quàm præclare iam multos annos D. Cælius, Secundus, Curio, non ſolùm in vniuerſitate noſtra bonas artes, magna cum laude ordinariè profeſſus ſit, verùm etiam, vt bonum ciuem decet, ſe erga cunctos cum ſua familia vniuerſa, vitæ innocentia, morumque probitate geſſerit: ideo ipſorum petitioni æquiſſimæ libenter annuimus, parati ipſis & ſuis in longe grauioribus rebus adeſſe, & gratificari. Quamobrem quàm maxime ſerio poſſumus, rogamus Illuſtriſſimos Principes, magnificos Dominos, & quicunque horum vices gerunt, vt dictum Auguſtinum Curionem, Cælij ſecundi Curionis Ciuis noſtri dilecti filium noſtra cauſa cōmendatum habere velint, benignè ſuſcipere, ei fauere, & ſua auctoritate ac præſidio adeſſe velint, faueant, & adſint: atque in primis ea beneuolentia, & gratia proſequantur & accipiant, vt tutò ac ſine periculo, ac decrimento, & moleſtia, ei aditus, tranſitus, reditus atque commorandi facultas,

tas in omnibus ſuarum iuriſdictionum locis, oppidis, & ciuitatibus benigne concedatur ac permittatur. Quod quidem, quia ſperamus, vos quæ veſtra æquitas, & clementia eſt, eſſe noſtra cauſa facturos: pollicemur, & nos viciſſim his liberalibus officiis cognitis noſtram operam, atque erga veſtras Illuſtriſſimas ſublimitates ac dominationes, nec non & veſtros homines gratos nos ac beneuolos ſemper fore. in quorum omnium inuiolatam fidem præſentes literas, ſecreto noſtræ vrbis ſigillo conſignauimus. Datum Baſileæ. Anno Natiuitatis Filij Dei. M. D. LXII. Die XX. Septembris.

REVERENDISSIMO PATRI Domino Ludouico, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Camerarioque ſedis Apoſtolicæ Laurentius Valla, S. P. D.

CVPIENTI *mihi poſt annos quatuordecim reuerti in patriam, & matrem ſororemq; ac cæteros propinquos reuiſere, ſuadebãt amici, vt literas commendatitias ab Rege Alfonſo, cuius Octauũ iam annum ſecretarius ſum, impetrarem cum ad alios complures Romanæ curiæ Senatores, tum vero ad ipſum Principem ſenatus ſummum Pontificem: Quarum literarum præſidio iſtuc venire & iſtic agere tuto poſſem. Mihi autem alia ratio ineunda viſa eſt, voluique non per alium, ſed per me:*

hon

non ad alios , ſed ad te de rebus meis ſcribi. Nam neque cauſam meam alius efficacius aget, quàm ego, & cùm te alloquor, totum ſenatum cum ipſo ſenatus Principe alloqui videor. Tu enim ſicut ab illo ſecundus es tum virtute, tum poteſtate ita in hoc negotio primus. Quoniam quicquid tu agendum putaueris, id ille ratum habebit. Sed priuſquam me purgem, dicam pauca de iis quę ad conciliandam beneuolentiam tuam pertinent. Cùm dico tuam, Papæ dico, quem, vt iterum dixi, alloquor, cùm te alloquor. Ego Eugenium ante Papatum dilexi, atque amaui adhuc adoleſcentulus, cùm eidem præceptori Græcarum literarum vterque operam daret. Ego paulò poſt ab auunculo meo Nicolao Tartarino deductus ad eum, maiore charitate proſecutus ſum, cùm opuſculum meum magnopere laudaſſet. Vellem creationi ſuæ affuiſſem: ſed eo tempore Papiæ eram. Ille tamen poſtulante ſororis meæ marito abſenti mihi duo beneficia contulit; Ipſe quoque affinis meus, quòd Papæ plurimis annis contubernalis fuiſſet, erat aliqua acceſſio, vt iam Eugenium Papam peculiariter non charitate modò, ſed etiam tota pietate complecterer. Hæ ſunt cauſæ quare minimè ego peroſus fuiſſe videri debeam, ſed dilexiſſe, amaſſe, obſeruaſſe: quòd ita fuiſſe, res ipſa declarat ac loquitur. Multi alij vltro citroque diſcurrunt, vt quòd hinc obtinere non poterant, ab hoſtibus impetrarent. multi ſcripſere in vos, & ſi in ſcribendo non

ſatis poterant. Ego neque illuc me contuli, cùm multi non parua mihi pollicerentur, neque aduerſus Papam ſcripſi, cùm in ſcribendo, atque in omni doctrina tantum poſſem, quantum, vt apertiſſime dicam, quiuis unius potuit illorum; qui Baſileæ aut ſunt aut fuerunt. At cur de Conſtantini donatione compoſui, hoc eſt quod purgare habeam, vt quod nonnulli obtrettent mihi & quaſi crimen intendunt. Id ego tantum abeſt, vt maleuolentia fecerim, vt ſummopere optaſſem ſub alio Pontifice neceſſe mihi fuiſſe id facere, non ſub Eugenio. Neque verò attinet hoc tempore libelli mei cauſam defendere; niſi Gamalielis verbis. Si eſt ex hominibus conſiliũ hoc, aut opus, diſſoluetur: Sin autem ex Deo, nõ poteritis diſſoluere. opus meum conditum editumq; eſt quod emẽdare, aut ſupprimere, nec poſſem ſi deberem, nec deberem ſi poſſem. Ipſa rei veritas ſe tuebitur, aut ipſa falſitas ſe coarguet. Alij de illo iudices arbitriq; iam ſunt, non ego. Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibebunt de malo: ſin benè, non cędent me, verbis æqui iudices. Sed opus illud in ſua, quæſo, cauſa quieſcere ſinamus. Hoc tantùm conſideres velim, non odio Papæ adductum, ſed veritatis, ſed religionis, ſed cuiuſdam & famæ gratia motum, vt quod nemo ſciret, id ego ſciſſe ſolus viderer. multum, etiã nocere potuiſſem ſi alieno animo fuiſſem in rebus quæ mentem, animam magis ſollicitant. Nam quod feci, hoc non modò ad pudo-

rem præſentium, ſed mortuorum, ēt ac futurorum pertinet. Qui enim nemini parcit, nullum lędit. Verùm cùm non minus prodeſſe in poſterum poſſim, quàm vno libello offendi. Per ego te ſuperiorem temporum meam in ſummum Pontificem beneuolētiam pietatemq; obſecro id, quod cum per ſe facile, cùm verò tuæ virtuti facillimum non beneficium, non munus, non gratiam, non veniam: ſed, vt ſimilis tibi ſis, vt, quod ſemper feciſti, facias: vt aliter ac ſentis de animo erga me tuo ſummique Pontificis reſcribas, ēt ſi me tibi odio eſſe, nec licere mihi in patriam dicas (quod abſit vt dicas) tamen ſi dixeris beneficij loco numerabo, & quidem maxime vereor. Parce, quæſo, ſi dico me vereri, periculum me cogit aliter ac volo loqui: vereor ne fortè des fidem mihi tutò me venire poſſe, vt præſentem commodius vlciſcaris. An parum tibi videtur ob tantulam noxam me exilium pati, an vlterior tibi vltio quærenda eſt? Quòd ſi miſerationis reſpectus te, tangit, orant pro me omnes propinqui mei, qui iſtic ſunt, cupidi me recuperandi: Si reſpectus vitæ, innocentia mea te rogat: Si amor gratificandi, tua te bonitas obſecrat: Si ſtudium clientes obnoxios tibi comparandi, affirmo tibi non in poſtremis Laurentium tibi præſentem officio, diligentia, obſeruantia eſſe comperies. Quare ne pluribus verbis te obtundā deſcribere vtinā qd opto, re tñ quicquid de me ſentias, iubeasq; venire, nec ne. hoc ſi feceris, voto meo ſatisfeceris ex aliquo animo,

omnino

omnino autem ſi iuſſeris, vt veniam. Et poſtquam venero non, ò Deus. Vale. XIII. *Kal. Decembris Neapoli.*

LAVRENTIVS VALLA BLONDO ſuo, Secret. Apoſtolico Salutem.

LITERAS *tuas facundiſſimè ſcriptas Rex legit, ſed interuentu Principis cuiuſdam non perlegit. Cùm præſertim interlegendum interrogaret aliqua, vt fit, ex ipſa materia tuarum literarum incidentia. Quorum primum fuit, vbi nam eſſent octo libri, quos ad ſe mittere ſcriberes. Cupiebat enim videre tum propter alias hiſtorias, tum propter eas, quæ ad eum pertinent. Eos ego opinabar olim iam in manus eius perueniſſe. Qua de re miratus admodũ ſum, quomodo factum ſit, vt aut tu ſcripſeris mittere, aut quòd non mitteres, an non peruenerint, ſi miſeras. Illas ergo ſcias expetiri atque exigi ab eo ipſo, cui promiſiſti. vides, vt res in contrarium re cidit. Tu ab rege hiſtorias exigebas ille abs te potius flagitaret. Dabis igitur operam, vt auiditatem Principis, quam incitaſti, ſi, ientemq; effeciſti ſuauitate tuarum hiſtoriarum ſaties. Quid autẽ de hiſtorijs, quas poſtulabas, ille nullas hîc alias habet, niſi eas quæ lingua Hiſpana à rege quodam Alphonſo conſcriptæ ſunt, & quidem earum rerum, de quibus Latini ſcripti libri non deſunt.*

Nam

Nam quod ad recentes pertinet, Gaſpar eius medicus in commetarios retulit, pene res ab illo geſtas, ſed ea accuratione, vt de ſtylo ipſo taceam, nequis prudens ſcriptor aliquid ad fidem veritatis illinc mutuari poſſint. Mandauerat autem mihi iam pridem Rex hiſtorias ſuas ſcribendas repetitis altius principijs iam inde ab infantia eius. Quæ quia non habui, à quibus plane docerer, malui non attingere, quàm finem hiſtoriæ obliuioſorum quorundam ſenum memoriæ credere. Tu ſi vales huius medici ſcripta cognoſcere, pluſque te medicum eſſe oportebit, vt de egroto corpore hiſtoriarum tuas hiſtorias ſanas efficias. Itaque, mi Blonde, omnis tua in te repoſita eſt ſpes. Si quid autem librorum ad hanc rem ſpectantium Rex aut hic aut potius in Hiſpania habet, mittito tu hiſtorias tuas quemadmodum pollicitus es. ſic enim reddes eum ad id, q̃d petis, alacriorem atque in te promptiorem. Optime quidem de te ſentit, tum quòd eruditiſſimus es, tum quòd ſibi deditiſſimus. Mihi crede, nihil auidius libentiuſque leget, quàm ſi quid de ſe honorificum ſcripſiſti: quod ſi viderit, perpetuò eum tibi beneficio obſtrinxeris: habebitque tibi ſingularem gratiam. Sperans etiã cætera, quæ nondum mandata ſunt litteris, geſta ſua per te memoriæ prodi. Mitte igitur quod promiſiſti, vt regem & me letitia impleas. Vale. Idibus Ianuarijs. Neapoli.

REVERENDISSIMO PATRI, DOMINO Gerardo, Sanctæ Romanę Eccleſię Cardinali, Laurentius Valla. S. P. D.

SI te Romę agere priuſquam heſterno die accepiſſem, non hodie primum ad te literas darem. Sed cùm Lampugrinus noſter vir & nobilitate & literis & grauitate inſignis, dum vnà eſſemus, in patria eſſe dixiſſet, perſeueraui in ea opinione quaſi adhuc abeſſes a ſummo pontifice: hunc errorem à me heri literę affinis mei excuſſerũt, Ambroſii Dardani; quibus vt cauſam meam tibi committerem, admonebat, vt neſciam an plus ex illis gaudij ob ſpem tui contraxerim, an pudoris quòd parum videor functus officio erga te nullis literis ad te ſcriptis; qui tantulo interuallo loci hinc diſcretus eſſes. Cuius vetus familiaris & abs te nonnullis beneficijs auctus fuiſſem, præſertim poſt iſtam, ad quam aſcendiſti, dignitatem. Sed ſuperiorum temporum excuſationem in aliam epiſtolã differamus. Quòd autem ad te non ſcripſerim poſtea quàm Roma veniſti, culpam hanc, ſi culpa dicenda eſt, ignorationi rerum remittas: hanc qualemcumque excuſationem quę tua manſuetudo eſt, facile accipies. Itaque ab iſtis ſuauiſsimis moribus clementiaq; vera, poſtulo, vt me non aliter audias, quàm ſi ad te citò, ſi frequenter, ſi officioſus ſcripſiſſem. Cauſam meam, vt opinor, noſti. de opere, inquam, Conſtantiana

tianæ donationis, ob quod multis ſeculis apoſtolicę ſedis ſenatoribus inuiſus ſum, & reus agor, imò peragor ab iniquis meis atque inuidis. nam cùm ipſe de me ſatear, ac me quoque accuſem nec hominibus nec dijs peperciſſe videar, qđ de Luciano Lactantius ait, non deeſt valentibus carpendi materia. Acceſſit huc nouiſſimum opus, quo viuos non modò defunctos exagitaſſe reprehendor. & à quibuſdã ob id terror mihi proponitur, is q̃ ego reprehenſionem terroremq́ue niſi ma tr. cauſa, quæ iſtic eſt pro meo amore nihili facerem, nec ad te propterea ſcriberem, aut cuiquam ſupplicarem contentus animi conſcientia inuentionibusq́ue fęlix ac generoſa, quòd ſentias dicendi libertate me paſcens. Sed pietas matris me ad ſe reuocat, & quaſi ventus quidam aduerſus aliò vela flectere ac penè retrorſum cogit eam nunc viſendi, & amor & ratio mihi neceſſitatem imponit, vt amborum & ipſius & meo deſiderio ſatisfaciam fortaſſe emendaturus præſens quod abſenti emendare difficile eſt: huic rei conficiendæ deeſt facultas illa, quam ſalui conductum vulgò vocant, ad quam pro me obtinẽdam, vt Ambroſius noſter pſcriſit, quod alioquin ipſe intelligebam. nemo te magis idoneus eſt, tum propter eximiam grauitatem, tum propter ſingularem ſapientiam. Supereſt igitur, vt quemadmodum potes, & velis, quid igitur rogem te amicus amicum, cliens patronum, literatus literatiſſimum iuſta ac pia petens hominem iuſtiſſimum,

 pijſſi-

pijſsimumque. Ita videor, mihi crede, diffidere naturæ virtuti, moribus ac literis tuis, ſi te pluribus rogem. Rogat te itaque non Laurẽtius, ſed muſæ, ſed bonæ artes, ſed probitas, ſed ſapientia, ſed virtutes, quæ vt in iſto pectore tanquàm ſacrario ſemper habitauerunt, habitantque. Ita a Laurentio quaſi procul ac longo interuallo adorãtur & extrema limea amantur. Has ſi audies, facultatem illam pro me impetrandam curabis, niſi rationem hanc non ineundam mihi, aut aliam potius eundam exiſtimes. Quam tuæ probitatis intereſt, aut per temet, aut certe me literis edocere, ſiue meo loco Leuirum meum. hoc ſi feceris, vt ſpero, & optò non me demereberis. nam olim demeruiſti, ſed ex tuo, vt inquit Plautus, tuiſsimum feceris. Mitto ad te epiſtolam, quam nuper ad amicum miſi, vt ſciam quid de mea ſententia ſentis. Si iſtuc veniam, feram XVI. *libros Homeri proſa tranſlatos. Itemque octo libros ſuper Nouum Teſtamentum. Preterea elegantias meas cum compendiarijs gloſis ipſo opere penè vtilioribus. Ad quod agendum & honeſte & uere adductus ſum. Val.* XII. *Kl. Februarij Neapoli.*

FERDINANDVS ALPHONSO
Regi Aragonum Patri. S.

QVOD *vnum ſemper optaui, Rex triumphator, ac mi pater, vt pro ſummo Pontifice, ac matre*

Eccle

Eccleſia contra ipſius hoſtes pugnare poſſes, & virtutē tuā oſtendere, id planè Dei numen conſecutus es. Effeciſtique breui tpe, qđ nemo alius maiori tpe pluribus copijs, grauioribus laboribus, potuiſſet efficere. Deſperata enim iam erat Marchia ſummo Pontifici, ad quam recuperandam nec vis Eccleſiæ, nec Papalis auctoritas, nec vlla alia potentia ſuppetebat: eam tu tamen ſcientia rei militaris, tum admiratione victoriarum, non fama virtutum recepiſti ereptamque tyranno, ſummo pontifici reddidiſti. Qua gloria nulla eſt nec nouorum nec veterum principum maior. Itaque & mihi videris ſolus tu Hannbalem atq; Haſdrubalem ſuperauiſti: Siquidem prius expulſo ex hac parte Italię, hoſte tuo certe Hannbalem expuleras. nam, vt ille multis commoratus annis ita hoſtis tuus hinc exire coactus eſt. Nunc alter hoſtis, qui ſuperat, ex eadem regione abs te fugatus eſt, ex qua Haſdrubal cum ſuo exercitu fuit erectus atque vbi extractus. Quare, vt iterum dicam, tu vnus Hannbal & Haſdrubal, victor es. Ex quibus rebus licet ego ſummam præter omnes, te excepto, voluptatem capiam, vt debeo: tamen ſummopere optarem, vt me participem huius glorię faceres. ſicut feciſti & regni. Forem enim, mi pater, tuæ gloriæ particeps, ſi tecum militarem. Si laboris aliquid, imò voluptatis in re bellica ſentirem. hoc namque modo aliqua pars laudis & uictorię ad me redundaret. Eo quid magis ſumme rex & optime

pater quod mihi diſcenda eſt ſcientia rei militaris, ſine qua nullus rex qualem tua benignitas me futurum eſſe vult, verè rex dici poteſt. hanc ſcientiam ſub quo Imperatore meliùs diſcere queo, quàm ſub te ſummo Imperatore? aut quo tempore meliùs quàm ineunte etate? Quamquam, optime pater, non ſolùm mea cauſa hoc flagito, ſed etiã tua, videlicet, vt poſſim pro te non nunquam in rebus leuioribus ſubire labores, gerere negotia, ſuſcipere curas. Quamobrẽ ſumme rex ac ſacroſanċte pater, vt maturè poſſis ex me aliquem fructum capere, te quæſo, vt velis, maturè mihi procurationem rei militaris iniũgere. quod ſi facies, vt opto & ſpero, maturius ſpẽ tua, prout confido, ex me gaudium fructumque recipies. Vale.

LAVRENTIVS VALLA GVARINO Veronenſi ſalutem.

LITERAS *equidem libenter, filium verò tuum libentiùs vidi. nihil illo vel totius habitu corporis elegantius, vel ſermone eruditius, vel moribus liberalius. vera Guarinia progenies, quippe & paterni corporis decorem venuſtatis pariter, & dignitatis plenum reddit, & præceptorem eloquantiæ ac ſapientiæ refert, licèt non modò te præceptorem, ſed & patrem, à quo multa traducuntur in filios exhibet, vt in te illud Virgilianum decentiſſimè*

tiſſimè cadat: O fœlix nati virtute bonisque. quòd ſi cæteri filij, quorum magnus tibi prouentus eſt, veſtigia patris imitabuntur, nec Metellus quidem ille fœlix te fœlicior fuiſſe dicetur. Hunc ego filij loco accipio, amplectorque, tum ſuo ipſius, tum paterno merito. apud Regē vero noſtrum, & ſi per ſe eſt cōmendatus, tamen commendatiorem facere laborauimus. Hæc hactenus. Quandam orationem Plinium, non dico eloquentē, ſed admirabili eloquentia haberi aiunt; eam ſi tu vidiſti, velim per literas me certiorem facias. Eſt autē de laudibus Neruæ apud ipſum Neruam: de qua ipſe Plinius meminit prima epiſtola, vbi ait ſe imitatum eſſe Calnum quaſi Latinū Demoſthenem, tam & ſi miror quòd tota ſit in contentione dicendi, vt ille teſtatur, in laudibus ſi tota verſatur. eam ſi penes te habes, ad meque mittes, mittam ego tibi uiciſſim meam orationem, quæ ēt ipſa prope tota in contentione verſatur de falſo credita & ementita donatione Conſtantini. dices paciſci mecum uis minime ſed niſi orationem meam non videris, mittendam eſſe non puto tibi. Reſcribes igitur, an Pliniana Laurentianaque oratio in manus tuas venerit. Si vtraque, tu Plinianam ad me mittes. Si neutram, ego ad te meam Laurentianam mittam. Si Laurētiana, neuter ad alterum aliquam orationem mittet. Sed quid verſutijs tecum ego homine probiſſimo? Vale, & me ama.

LAVRENTIVS VALLA AVRISPÆ ſuo ſalutem.

REDDIDIT *mihi literas tuas uir egregius,tuiq́ue obſeruantiſsimus, Auguſtinus, Marchionis legatus, plenas amoris, officij, ſuauitatis. Quid dicam eloquentiæ,cùm nullas vnquam accuratius ſcriptas ad me dediſſe uideare: cuius rei cauſa extitit,uel q̃d ocio pinguiore habũdas, uel ꝙ te defendere pariter & me ſubaccuſare neceſſe putaſti. defendis te tanquam ego,vt tuis verbis vtar, aut minus diligentem, aut parum officioſum te fuiſſe exiſtimem quòd tam diu ad me ſcribere,atque adeo ſcriptitare intermiſeris. Rurſus ſubaccuſas, quòd antea quidẽ perraro poſtea verò nihil prorſus literarum dederim,immo ne ſcribẽti quidẽ tibi reſponderim. Vnde tum adductus es ad tacendum nolens ſæpius compellere non reſpondentem. Ego, mi. Auriſpa, vir optime ac ſuauis ſiue,priuſquam negligentiam meam & vt tu videri uis, duritiam mentis,atque barbariem purgem, quæſo ne me ita impotenti ac ruſtico exiſtimes animo, vt quòd ipſe crimen admittam vel negligẽtię,vel ſpreti officij id alteri obijciã. Et cùm in eodẽ genere grauiùs in te pacem, quàm tu in me, tibi ſubcenſeam, cùm tu potius mihi ſubcenſere deberes. Quid ſi tu nihil peccaſti? Quid ſi diligens in ſcribendo? quid ſi officioſus fuiſti, viciſſimq́ue me non nunquam accu*

ſaſti

ſaſti, quòd parum amici officio inſcribendo fungar? poteſt in me iſtud, quod obijcis, cadere, niſi vt a me ſenſum hominis extirpatum exiſtimes? Quid ergo negligens ante hac fui, nec reſpondi tibi ſcribenti equidem affirmare auſim nō pauciores me ad te dediſſe quam abste accepiſſe me literas fortaſſe plures? tu quidē ſcripſiſti, ſed nec tuæ ad me, nec meæ ad te perlatæ ſunt omnes epiſtolæ. Poſtquam verò Florentia ſummus Pontifex migrauit, in dextrum, tu à leuire Romam, ſeu intus loco fuiſti: vbi nam ſubſediſſes, ignorabam. Scripſique non nunquam ad eundem Leuirum, vt vbi ageres, cōtiorem me faceret. a quo nunquam certior fieri potui, primæque tuæ literæ me hoc edocuerunt ſollicitudineque animi leuarunt, Quid enim mihi iocundius, quàm te ſi non coram, ſaltem literis & audire & alloqui? quòd ſi Romam Februario proximo, vt ais, menses, ego ad te viſendum aduolabo: feram & elegantias meas tum titulis, & in marginibus compendio conprehenſas omnes quæ in opere ipſo diſputantur, ſignans rem prope modum non minus utilem quàm ipſum opus, licèt nihil aliud ſit quàm opus ipſum. Nō ideo tamen quòd cum illis ſentiam, qui potuiſſe res illas breuius à me tractari, ontendunt, vt ais; quos tu per inuidiam hoc dicere confirmas. Nam breuius quàm longius ſi in alteram partem erratum eſt à me, ill.c tractatræ ſunt veluti circa finem tertij capituli de comparatiuis, nam hoc exem plum poſterius addidi. Ciceo pro Ligario, Quotus

enim quiſque iſtud feciſſet idem nullus vel rarus. Ouidus de arte, Forma Dei munus forma quota quæque ſuperbit. Idem, Nulla vel rara ſequitur non venit in mentem &c. Et duo triaue alia addidi, cùm nihil detraxerim. Addam fortaſſis ſeptimum librum. Nam ſcripſi de notis Antonij Raudenſis, qui grande opus de imitatione compoſuit. Et ſcripſi, tum noſtro Rege ſollicitatus, vt ſubnotarem quæ mala pcepta credere͂, tũ à Iohãne Aretino rogatus q eiſdem diebus de opere ipſo me conſuluit, tũ vt cõtumeliã q̃ ille mihi faciebat, in ipſum refunderem. Si quidem elegantiam quandam meam non apud me lectam, ſed in Lombardia ab auditoribus meis auditam petulanter neſcio magis an ſtulte exagitat, licèt non nominatim. dedit enim hoc amicitiæ noſtræ. Nam eſt mihi vetus familiaris. Hunc vel ad te librum mittam, vel feram: conſultaborque tecum, cui ſex ſeu ſeptem elegantiarum libros dedicare debeamus. Adhuc namque ſine viro, & ſine tutore erant. Tanquam inſulæ illæ quas poſtea Apollo reuinxit inuicem, immotaſque coli dedit, vt Virgilius inquit. Feram ad te præterea ſedecim Iliados libros à me proſa oratione traductos: quos niſi iuditio tuo ſubijciam in manus aliorum tradere non audeo. Præterea libros octo de collatione noui teſtamenti inter Græcum fontem Latinumque riuum, opus non magni ingenij, licèt magis paruitate doctrinæ meæ in Græcis literis tuo tamen præſidio ac quaſi numine, qui veli

Deus

Deus es quidē Græcarū literarum, quicquid in me deeſt ſupplebitur tua auctoritate. Si modò auctor eris, inſcribetur alicui eccleſiaſticorum, quos hoc munus proprie decet. Quid multis? ne quid in te peccaſſe videar quem patris loco mihi colendum duco, me meaque tuo arbitrio do, dicoque. Iube quid de me, quid de operibus meis fieri velis. Nihil eſt quod ego te iubente facere recuſem, tum quia toto te pectore amplector, tum quia impietatis crimen mihi incurrere videor, ſi quid officij in te prætermiſero. Quare noli, quæſo, idcirco negligentiam ſcribendi, vt probes me parum in amore reſpondere. nam ne Iohanni quidem Aretino, qui fratris amantiſſimi apud me locum obtinet iam anno circumacto literas dedi. Cur ita factum ſit, noli neceſſitatem eſſe quærere. Sic habeto duos Iohannes, alterum patrem, alterum fratrem, me habere, ad quos iam anno vertente ſcribere non potui, ad quos viſendos etiā vltra Oceanum quò Vlixes apud Homerum ſe contulit, ire poſſem. Vale igitur, & frequentes à me literas expecta, aut ſi non peruenient (quod non puto) nihil vel alienati vel ſeneſcentis mei in te amoris indicij exiſtimato. Vale pridie Kalen. *Ianuarias Neapoli. Orationem meam de donatione Conſtantini, qua nihil magis oratorium ſcripſi ſanè longam reſcribe, an videris habiturus a me eam, niſi vidiſti. Mandata tua peregi diligenter. Quintilianum me accepiſſe olim ſcripſi.*

ALPHON-

ALPHONSO HISPANIAE, & ITAliæ Regi, Laurentius Valla Salutem.

Et *ſi prope diem viſurus, auditurusque hominem es, de quo ad te conſtitui ſcribere, & pro tua incredibili ſapientia de præſente iudicaturus; tamē faciendum putaui, vt de abſente iam ſcribam, ferre non ſuſtinens, quin tibi aut iudicium animi, ſi fortè hoc ſcire vis, teſtificer, aut ob hunc virum Hiſpani nominis gloriam grattuler. Nam, vt ex tuis regijs laudibus, ſplendidiſſimisque virtutibus omnis Hiſpania gloriatur: Ita de hoc homine quantum ex priuata perſona & literariæ non caſtrenſis militiæ cultore fas eſt, gloriari poteſt. Tuque in primis, qui & bonorum & eruditorum amantiſſimus es; eò quidem magis, quòd Senecam, Lucanumque quos tu ſummo, vt debes, in honore habes, eſt conterraneus conciuisque, & quòd plurimum facias ſimillimum Senecæ ſeniori, neſcio an corpore certè memoria atque ingenio, vt ſi Pytagorā audire vellemus, putari poſſet anima Senecæ in hoc eſſe homine renata. Etenim ille in declamationum proemio refert, quod penè incredibile hactenus, nunc recens iſtius fides credibile facit, ſolitum ſe eſſe mille verſus ſemel auditos continuò referre & vt à quoque acceperat. Nam a ſingulis hominibus ſinguli verſus dicebantur, ſuum cuiq; reddere Idem in duplicato numero ait feciſſe Portium Latronē, qui*

fuit

ſuit idem Cordubenſis ac condiſcipulus ſuus. Sed profectò non tantopere illi ſuo tempore ammirabiles extiterunt, quantum hic noſtra ætate; tametſi non omnia me experiri permiſit anguſtia temporis. Siquidem tribus diebus homine vſus ſum & mecum & cum alijs compluribus diſputante, & ipſe talia ſe quoque facturum pollicetur. verùm de eo quod expertus ſum ſiue quæ repetit ex diſputatore modo audita, ſiue ea quæ in theſauro quodam atque in ærario læta collocauit, nihil cognoui mirabilius. quantacumque alloquaris oratione hominē, ipſe eam omnē vel ad literā vel ad ſenſum, ſi minus aperte ab altero prolata eſt, repetit, & quidem celeriùs, expreſſiùs, doctiùs, vt eum magis ſua credas, quàm aliena proferre. Quidquid ab aduerſario dudum eſt dictum, quicquid eodem die, quicquid pridie, quicquid nuper, id omne ſic tenet, vt eum nulla ſentētia, nullum & verbū effugiat. Adeo multum periculi eſt ac ſummopere cauendum, ne quid calore diſputandi aut curſu orationis aut multitudine rationum aut altercandi mora tibi excidat quod non plane cum cæteris tuis dictis conſtet atque conſentiat. Protenus enim ille inconſtantiæ tuæ te admonet & loqui contraria aut inter ſe repugnantia oſtendit, quamquam non deeſt in diſputationibus calliditas mira atque ſolertia, qui & ſi in luctando, vt ſic dicam, robuſtiſſimus eſt, tamen omnes, vt aiūt, Palæſtrici numeros ac flexus adhibet, vt eodem momento & viribus premat, & arte eludat:

dat: Simulque pede, & genu, manu, latere decertet. Et hæc quidẽ extra temporalia. Quid autem illa ſtudio ac lectione comparata præterea de quibus iudicare non poſſum. Hebræam, Punicam, Caldaicã linguã, q̃ ita multa ſunt & quaſi flumine quodã abundantiſſimo peruehuntur vt mihi miraculum ſubeat ac ſtupor audienti tantam omnium diſciplinarum immo omnium auctorum & omnium librorum repetitionem. Nihil in Grammatica eſt, nihil in Dialeticis, nihil in Phyſicis, nihil in Methaphiſicis, nihil in Moralibus, nihil in Geometrijs, nihil in Aſtronomicis, nihil in Medicinis, nihil in Muſica, nihil in Theologia, nihil denique in iure quod ignoret. Ignoret dico, immo quod non habeat in promptu memoriterque reddat ac pene decantet. Ita nuſquã in proferendo hæſitat, ita fluit, ita abũdat vt prius dubitare deſinat & aduerſarius repugnare, quàm ille fidem aliam ſuper aliã, ſuper aliam facere. Eo loquente omnes ita ſtupent, atque ab eo dependent, vt inquit de Didone Virgilius, Pendetq; iterum narrãtis ab ore: & Ouidius. Narrantis coniunx pendet ab ore viri. Parum dico, Sybillam putes, aut aliquam Apollinis vatem, cui omnia, ſi veteribus credimus, cognita erant. Nec vnum dicas hominem loqui, vt Priſcianum, Ariſtotelem, Euclidem, Ptolomeum, Galienum, Ariſtophanum, Vlpianum: ſed hos omnes & q̃ plurimas doctiſſimorũ hominum animas hoc hominis corculum inſidere, eſt ſtatura infra iuſtam & gra-

cili

cili, aut certe tot annos vixiſſe in ſtudijs quot Ne-ctor fuit in vita. Quæris quot annos natus ſit? Dicam triginta nondum ſatis annorum putabis. Dicam: quinquaginta ne hoc quidem veriſimile eſt. Profectò non credes niſi tertiam ætatem hominum quod fertur de Neſtore, vixiſſe dicam. Agit itaq; Ferdinandus, hoc enim nomen eſt noſtro Neſtori, agit tertiam ætatē exactis iam duabus, ſi quidem tranſiuit infantiam pueritiamque in media poſitis adoleſcentia, duo de viceſimum agens annum, aut modò ingreſſus, vnde viceſimum nondum malas ſignante lanugine. Quis hoc credat, niſi qui viderit? quomodo habebunt tam miræ rei poſteri fidem? quanto minus credituri, ſi, quod vtinam ei contingat, diu vixerit. Sileo hoc loco morum, ſermonis, aſpectusque ſuauitatem, modeſtiam, manſuetudinem, vt prope eum non minori beneuolentia complectamur quàm admiratione ſuſpicimus. Verùm vt ſincerè de homine iudicem, & nihil vel quod adeſt ei, vel quod abeſt omittam, lingua Latina, facultas poetica, ars oratoria, tanta ei adeſt quantam Hiſpania docere aut aliqua prouintia potuit Breuiter, ſumma, vt dicitur, manus in eo deſideratur. Solùm namque in Italia nitor ille dicendi, ornatus orationis, vis eloquantiæ viget, ſiue in proſa, ſiue in carmine. Præſertim iactis fundamētis in Greca lingua, qbus rebus ſi ſub optimo præceptore Ferdinandus, paucos annos dicam, an menſes operam dederit, profectò videmus eum fore ſapien-

tem

tem illum quem docti imaginantur, quique cùm eſſe poſſit, tamen nunquam fuit quaſi mortalem quendam Deum. Itaque lecto Catone, Varzone, Cornelio, Celſo, Columella, Plinio de agricultura cum agricolis contendere, letto Vetruuio, cæteriſq;, cum Architectis de architectura diſputabit: Euoluto Frontino, Vegetio atque alijs de re militari cum Imperatoribus decertabit, ne dicam omnes reuincet, atque item in cæteris artibus ſic rapaci, voraci, tenaci memoria eſt, quamquam neſcio pluſne memoriam, an acumen, an iudicium prudens ſyncerumque admirer. De quo plurima adhuc dicenda eſſent, niſi nollē verbis te onerare, & ſcirem te paucis diebus tibi ipſi magis, quàm mihi crediturum. Quare ob tam admirandum hominem & tibi & nationi tuæ gratulor gratulaturus Senecæ tuo, vtriq; ſi viuerent: qui ſi apud elyſios campos eſſent, illic cùm de eorum ciue audirent, exultarent, vt Achilles de Pirro, vt eſt apud Homerum. Vale VIII. Kal. Auguſti. Neapoli.

FLORENTINI LVCENSIBVS.

Si *antiqua repetantur, magnifici domini, amici chariſſimi nulla maior coniunctio & conformitas animorum per totam Italiam fuiſſe reperietur, qua fuit dudum inter ciuitatem noſtram & veſtram; multaque beneficia charitatis & amoris plena vltro citroque facta memorantur, per quæ mani-*

manifeſtè apparet, incredibilem quandam dilectionem & humanitatem duabus iſtis ciuitatibus extitiſſe. Omittimus bella, quæ & Florentinus populus pro populo Lucano, & Lucanus populus pro Florentino ſuſcepit. Omittimus obſidiones vrbium inimicarum communiter ab vtroque populo factas. Omittimus expoſitiones contra omnes hoſtes à maioribus veſtris ac noſtris glorioſè ſuſceptas, nullo quippe loco antiquis illis temporibus pugnatum eſt, quin Florentinus & Lucanus in vna atque eadem ſteterit acie ſub eiſdem ſignis ac tubis, contra communes hoſtes pugnaturi; per quæ omnia conſtant idem velle, atq; idem nolle, quæ perfecta eſt amicitia harum duarum ciuitatum fuiſſe. Pacis certè temporibus hęc eadem, vel etiam maiora charitatis inditia memorantur, quorum veſtrum referre libet, dignum memoria ſempiterna. Seditionem ſiquidem coortam in ciuitate noſtra, ciuibusq; ad arma ruentibus, & iam prælia inter ſe committentibus, ſcimus Lucanum populum populariter accurriſes ad arma de manibus ciuium noſtrorum extorquenda, nec prius abiiſſe quàm rebus compoſitis ciuitatem noſtram ſua opera pacatam quietamque viderunt. Sunt inſuper alia multa quę referre poſſumus amore fraterno facta vel à noſtris vel a veſtris cum ſumma beniuolentia, & perfectiſſima charitate, quorum commemorationem epiſtolaris breuitas non reciperet. Vtinam ſi perſeueraſſent continuò huiuſmodi tempora, id enim fuiſſet optimum pro ci-

uitate

uitate veſtra. Sed quoniam ſiue error hominum, ſiue fatalis quædam neceſſitas aliter poſtea induxit recordemur, quæſumus, primæ illius coniunctionis fraternæ, & hæc poſteriora noſtris ex animis obliuione ſempiterna deleamus. res enim faciliter ſolet ad priſtinam redire naturam. Cùm ergo nunc per Dei gratiam, non ſolùm pax & amicitia reducta ſit inter noſtram ciuitatem & veſtram, verùm etiam confœderatio, & ſocietas inſtituta propoſitum noſtrum firmiſſimum & indubitatum, veterem amorem ac perfectam voluntatem conſeruare de cætero, atque complecti, & quantum ad nos attinet prouidere, vt perpetua ſit hæc amicitia & coniunctio noſtra: quod & vos ex parte veſtra facturos eſſe ſperamus. noſtra quidem ſynceritas ac perfecta voluntas de die in diem magis per experientiam operum elucebit. Datum Florentiæ, die ſexta Maij. M.CCCC.XXXVIII.

FLORENTINI DVCI VENETORVM.

Illvstriss. *atque excelſe domine, amice chariſſime. Quoniam per effectum operum maniſeſtè deprehendimus, neque inimicis, neque amicis noſtris placere, vt Lucana ciuitas in poteſtatem Florentini populi deueniret, decreuimus contra illam non amplius impugnare: ſed nos retrahere à certaminibus & contentionibus illis, in quibus, vt*

vere

vere dixerimus, nos a ſocijs deſertos ac deſtitutos, ab hoſtibus verò totis viribus impugnari cernebàmus. Itaque depoſito contra Lucenſes bello, amicos atque beneuolos, quãtum in nobis erit, habere illos quærimus. neque in hac parte fatigare ſocios, vt eorum ſubſidia implorare compellamur. Quæ omnia talia ſunt, vt ſalua fide, & honeſtate ac ſeruato iure fœderis, quod vobiſcum habemus, facere poſſimus. Hoc igitur quantum ad nos. De comite autem Franciſco nollemus fuiſſe præſtitã fidem iuſtis ſuaſionibus noſtris totiens apud veſtram Celſitudinem profectò fideli animo per nos iteratis. Florentiæ. M. CCCC. XXXVIII.

DVX MEDIOLANI LVCENSIBVS.

MAGNIFICI, amici noſtri chariſſimi. Licèt omnipotens Dominus permittat aliquando aduerſa contingere, ſemper tamen eſt in eius clementia & benignitate ſperandum. Solet enim humiles & iuſtos exaltare, ſuperbis verò vſquèquaque reſiſtit. Et ita nobiſcum ſæpe actum eſſe cognouimus, & nunc ab effectu videmus. Occupauerant hoſtes noſtri diebus elapſis uallem Tellinam noſtram & ex ipſo illius vallis ingreſſu in tantam elationem ſuperbiamque euaſerant, vt arbitrarentur omnia vincere & ſubuertere, non memores, quòd iniuſtè pugnarent. Sed reſtitit, vt diximus, Deus omnipotens inſolentiæ verborum. Procedente igitur ſpe-

ſtabili & magnanimo viro Nicolao Piccinino de Peruſio locumtenente, & capitaneo noſtrò generali, & præſente ſpectabili & præſtanti viro Comito Guidone Torello, qui totius rei maximus fuit aduerſus ipſos hoſtes externa die, hora circa XVIII. *in nomine Dei cum ipſis hoſtibus fœliciter decertarunt: ita vt contra ipſos noſtri victoriam glorioſiſſimè reportarunt captis inter cæteros domino Gregorio Coruario ex primarijs omnibus Venetiarum, qui prouiſor erat & commiſſarius totius exercitus Venetorum, Taddeo Marchione, Cæſare de Martinengho, Graſſo de Venetijs, Paulo de Venetijs Lipitoccho, & Daniele de Solnichò ac armigeris centum quinquaginta ex præſtantioribus, facientibus conductam & equitum duorum millium, peditibus vltra mille ex melioribus, & Cenedibus infinitis. Pigliardus autem generalis capitaneus gentis ſuæ pedeſtris a paeſanis trucidatus, cuius finis talis meritò eſſe debuit: quoniam à ſeruitijs noſtris imprudēter aufugerat æſtate præterita. Talianus verò, vt dicitur, nōdum euaſerat, & ipſe etiam veriſimiliter capietur. Quid plura? omnes autem mortui, aut cui ſunt, & vel nulli vel pauciſſimi euaſerunt. Certumque erat apud noſtros non ſolùm recuperare dictam vallem, ſed longè maiora perficere. Eſt aliud fœlix nouum. Exercitus enim, qui deuicto caſali Pado, & capto in eo perfidiſſimo proditore Franciſco de Corrigio, contra Borſillum proceſſerat, dictum locum prorſus obtinuit cum*

roccha & villis ſuis omnibus. Quæ res facit, vt illæ partes noſtræ vltra Paduanæ tutiſſimum ſtatum habeant, & ampliſſima pace fruantur. Hos igitur iucundos & fauſtos rerum noſtrarum ſucceſſus amicitiæ veſtræ ſtatim ſtatim duximus intimandos, certique non mediocrem lætitiam ſibi afferant. Datæ Cuxaghi, die XX. *Nouembris.* MCCCCXXXII.

POGGIVS PETRO DONATO ARCHIEPISCOPO Crenten. S. P. D.

CVM *viſitaſſem pridie abbatem Mont. Roſant. qui hac iter fecit iturus pro legato in Picenum, poſt verba, quæ primo congreſſu communiter haberi ſolent, quæſiui de te in primis diligenter, & an eſſes Præneſtæ, quò te contuleras pridie quã ego receſſiſſem. Qui cùm mihi dixiſſet Tibure non receptum à Præneſtinis ob timorem inferendæ peſtis, deteſtans illorum immanem ruſticitatem admiratus ſum paulò, te repetiſſe eundem locum, quem ipſum fugeras conſeruandæ ſalutis gratia, ac non potius aliò diuertiſſe, præſertim cùm & tam multi in ea vrbe morbo interierint, & tam multa ſunt oppida circum ſalubri aere, in quibus abſque vlla ſuſpicione eſſe potuiſſes. Hoc ſi abs te factum eſt propter animi magnitudinem, vt qui contemnas, quam cæteri reformidant, mortem, & hanc fragilem momentaneamque vitam non pluris quàm à ſapientibus extimanda ſit, facias: laudo certè animum ac for-*

titudinem tuam, quòd ita, animatus ſis, vt firmam, ſtabilemque vitam huic labenti & caducę anteponas. Si verò aliud quippiam te mouet, vt longius à Pontifice abeſſe nolis, vide an ſatis conſultò feceris, qui obiaceris te in uitæ diſcrimen propter neſcio quam incertam rerum futurarum ſignificationem. Sed tamen ea ſapientia te præditum ſcio, vt omne conſilium in agendo tuum maturè, & prudenter à te ſuſceptum, cogar exiſtimare vt quamquam tua ſalus me ſolicitum maxime teneat: tamen hoc vno conſoler, quòd graui ſapientique deliberatione & egiſſe te omnia, & acturum confidã. Cupio quidem, vt ſuperior cauſa te impulerit ad redeundum Tiburim, quam nos alij propter imbecillitatem mentis animique anguſtias aufugimus terrore commoti. Et id quoque erat æquius fieri, eiſq; ad aliorum exemplum conſtituti ſunt. Sed multos tamen pauor exanimat verẽtes hoc nomen mortis: Tum maximè conſcientia dictorum ac factorum maximè, quorum aliquando nobis apud illum tremendum iudicem æternum ratio reddenda eſt. Libet paulùm mi Petre philoſophari tecũ, qui me non ſolùm loquentem ſeriò, ſed fabulantem quoque pro tua ſingulari humanitate libenter ſoles audire. libet autem non oſtentã di cauſa, quod vitium longè à me abeſt, ſed cum tecum ea loquendi viro omnium eruditiſſimo, tum verò, quia ita fert temporis ratio præſentis, quæ vt timere, ita quoque aliquid dignum viro nos ſapere docuiſſet. Equidem

non meam, quæ nulla eſt, ſed multorum prudentum vt habentur, atque excellentium virorum ſapientiam deſidero, quemadmodum atque intenti exiſtunt ad euitandam peſtilentiam metu mortis, & quod corpore, nulla habẽtes omnino curam mortis, animorum loca tranſmittant. Secretiora quædam petunt, amant ſolitudinem, hominum fugiunt congreſſum. exquiſitioribus vtuntur dapibus ad præſcriptum medici, cuius conſilio hæc parent atque hæc omnia, vt hæc moles corporea tum egregium tum ſalutiferum opus diutius conſeruetur. Cùm interim de animis verbum ullum, iĳ ſoli mæſti, ſordidi, inculti, ſqualentes iacent in tenebris ac carcere cęco, omni ope deſtituti, & cùm ipſi ægri, anxĳque multis obruantur peſtiferis morbis qui illos ad internicionẽ ducunt, nullus accerſitur medicus, nulla parantur medicamenta. ſed hoc negligentia noſtra inimus, atque cùm multis ex rebus, tum vel ex hoc maximè perſpicere licet communem hominum inſaniam. Nam cùm duplex ſit interitus; corporum alter, alter animorum; corporum quidem, quem nullo pacto vitare poſſimus, ſtudioſiſſimè fugimus: animorum verò, qui viuant ne, an intereant, in noſtra eſt poteſtate. etiam vltrò appetere audebant omnium ac rationis expertes: nos corpus noſtrum colimus tamquàm Deum quicquid expetit damus, vetat, impera, tpræſcribit; nos eius paremus imperio, nos ad illius arbitrium ætatem agimus noſtrã, ad eius cul-

 tum

tum, pompam, faſtum, atque ornatum, ſtudia noſtra ponẽtes cœlum, terram, maria, deos, atque homines pro ipſius augmento fatigantes, quod potius comprimere, ſpernere, exercere debemus, atq; eius vim minuere tanquam omnium malorum irritamentum. At verò omnium, qui ipſe deus eſt in nobis, hoc eſt, diuina pars quedam, humilem, abiectum, mœrentem ac ſorditatũ reorum more in compedibus & vinculis captum tenemus, nihil ei opis, nihil damus auxilij in cœno iacenti & ſordibus, qui cùm ægrotet, ſitiat, atque exuriat, & medicum negamus, & cibum. Qui ſi nos illum, prout decet, non ſerui, ſed domini loco haberemus, ſi bonis artibus extolleremus, ſed vitæ eius quæ futura eſt æterna, curam aliquam ſubiremus, ſi de eius interitu ęquè ac corporis perturbaremur ſoliciti ad fugam, ſed æquo animo ſuſciperemus diem nobis conſtitutum, in quo & malorum præſentium finis eſſet futurus, & laborum præmia, noſque ſarcina corporis exui facilè pateremur euolaturi ad liberiorem vitam, in qua nulla eſſet mors extimeſcenda: ſed nos veluti pecora dediti vẽtri, vitio, & odio ignauo vitam, vt inquit Saluſtius, veluti peregrinãtes tranſimus, quibus corpus voluptati, anima oneri fuit; qui videntes, prudentes, ſcienteſque, nos perditam ac nullo exemplo, nulla doctrina, nulla ratione deflectimur ab hijs curis, quæ in noſtrammet perniciem redundant. Sed hæc hactenus. redeo ad illud ſuperius, vnde hæc dicta ſunt. Si tu ob eam

cauſam Tibure te cõtines, & verè philoſophus euaſeris, cuius vita, vt noſti, oĩs p̃meditatio mortis eſſe debet, bene eſt & ita ſumma laude dignum, tibiq́ue gratulor philoſophanti. Verùm cupio abs te ſcire, q̃d agas, q̃ vitæ inſtitutio, q̃ virtus, in q̃uã philoſophorum ſeptam deueneris. Epicurei diſſoluti ſunt minis, Stoici ſeueriores, mediocritatem Peripatetici ſeruant, admittunt diuitias, dignitates non aſpernantur. Hos cenſeo amplectendos. De me aũt ſi quæras, quid agam, poſſum id quidem vnico verbo expedire: Statur. vel ſi pluribus, vnico verſu: Viuo equidem, vitamq́ue ineptam per omnia duco. Si tamẽ ſingulariùs id cupis, accipe paucis: Prius quàm veni, Reate conduxi domunculam penes flumen ingens ſatis, quod præterfluit ciuitatem. manè viſito eccleſiam orandi cauſa, tum demum reuertens pertranſeo forum circunſpiciens, atque emens ſi quid vſui eſt, & præſertim molones, cuius cognitionem Muccharus exiſtimabat perdifficilem. & ob eam rem abſque intermedio emendos cenſebat, neque tantum me mouet exemplum Mucchari quantum Horatij auctoritas: Qui ipſe Poeta egregius laudans vitam ſuã ſcribit, ſe Romæ, vrbe omnium celeberrima, ſolitum deambulare forum percuncãtẽ quanti olus, aut far emeretur: multò magis ego homuncio prę illius excellẽtia in hac vrbe ruſticana quod in vſum meum ſit, emere, nullam reprehenſionem timeo. Tum domi lego aliquid, ac ſcribo ſedens in accubulatorio propter fluuium

ad aquæ murmur indugeo: deinde corpori quantum ſatis eſt. magna verò pars temporis conſummitur deambulando. nam & eſt hic aer frigidiuſculus, & loca amena admodum, & ad deambulationem accommodata. Quod autem facio plurimi, nulla hic audio noua, nulla bella, nullos rerum tumultus, non queri ſentio quid Aragonum, quid Francorum parent Reges, quid Dux Mediolani, quid Florentini moueant, non audio moleſta archipiratorum terreſtrium militiæ noſtrorum temporum, quos vltra Sauromata vellem hinc eſſe abreptos, fruor quiete animi. nam corpus ſibi conſulit, neque me ſollicitat cupido vlla lucri. Quin potius illa, me torquebant cum eſſem Tibure. Si quem conueneram ex noſtris: heus tu nunquid nam noui? vnus mortuus eſt, alter morituro proximus. nunquid aliud noui? milites conſcribuntur, aliqua obſidio paratur, Tudertum dedictionem fecit, Peruſini legatos miſere, neſcio quod caſtellũ ſeceſſionem parat Et ſexcenta alia ſadorum plena, quę dediſcenda eſſent, ſi ſcirentur. Hic verò ijs inanibus fabellis honeſtis vacamus: huius vitę vellem te fieri participem, ſi id eſſet futurum in rem tuã. Nam tunc nihil nobis deeſſet ad abſolutam cumulatamq; ex omni parte voluptatem. Nam licet hic quoque loci Epicurum fieri, & eum qui aqua, & polenta hoſpitem recipiebat, & eũ qui titillatione ſenſuum vitam effecit beatam. ſi aderis vtram vis capere, licebit, tibi tamen ſoli, ſi priorem elegeris. Virum

clariſſi-

clariſſimum Antonium Luſchum, ſi præſens eſt, verbis meis ſaluere iube: Et item Ramelem conſabulatorem noſtrum. Vale &c.

INGENTEM *benignitatem tuam, vir clariſſime iam ter ſpectare iuſſus ſum: primùm quum declarationem in Senecæ declamationes cõmodare mihi, qui nulla tecum familiaritate coniunctus prius fueram, non titubaſti: deinde, quum commentarium in Auguſtinum de ciuitate Dei Bonacurſo nuncio mihi conſignandum tuo nomine dediſti: tertiò quum munuſcula mea dignitate tua longè inferiora iucunda fronte ſuſcipere dignatus es. Quà in re non te latere velim iocoſam contentionem per me cùm in ipſis muneribus in ipſa deſtinatione habitam. cùm enim illa mittere deliberarem nullo pacto pedem efferre volebant, & quanto magis tuos petere lares iubebam, tanto magis inſtabant. Horrebant, reor, & quodam rubore præpediebantur magnificum tuum illud ſubire palatium: nec mirum ſi tanti nominis tui ſplendore confundebantur. Quis enim genere clarior, quis omni virtutum genere præſtantior, quis fortunæ muneribus abundantior non tantum tua ipſa in vrbe Lucana, ſed tota in Etruria reperiri poteſt? tu tantum pro tua magnitudine animi fortunæ fulgorem floccifacere, parui ducere ſolitus es: equidem de manſuetudine tua rectior factus perſuadere illis non dubitaui, quòd audacter indubitanterque migrarent.*

refocil-

refocillata itaque oratione mea pudibunda, & rubore ſuffuſa decliuibus oculis ædes tuas ſidereas ſubire conati ſunt, vbi præter opinionem benignè ſuſcepta futuris numeribus tutum pollicentur acceſſum, quæ ſi tardiuſcula fuerint, pro tua modeſtia tarditatem ipſam manſuetè patienterque tolerabis. voluiſſem tamen tuis in illis celeberrimis nuptijs aliquid miſiſſe, ad quod faciendum me non mediocriter adortatus eſt Iohannes de Vecchiano, ſacrarum legum interpres egregius. Sed quia nihil ipſarum ſplendorum condecens occurrebat, in aliud tempus differendum duxi. Nec ipſa tarditate tantorum tuorum in me beneficiorum immemorem exiſtens, quæſo, ſi meritis tuis non repentè ſatisfactum per me fuerit: faxo tamen ne te certaſſe priorem pœniteat: quòd ſi digna non contulero præmia, ne tamen ingratus videar enitar pro uiribus pectorique meo Maronicum illud ſemper hærebit infixum. In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ Luſtrabunt, conuexa polus dum ſidera paſcet, Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. Et quoniam nullum officium referenda gratia magis neceſſarium ducitur, ſingulari benignitati tuæ, quas poſſum, gratias ago, maiores debeo; quas cùm tempeſtiuum fuerit, aderit, præſoluere non prætermittam. Librum vero tuum ſupra notatum tam benigno commo atum animo tutum illæſum inuiolatumque reſeruabo; nec illum penes me diu dormitare permittam, ſed bibliote-

cam

cam illam tuam omni genere librorum copioſiſſimam repetere iubebo. Vale, vir inſignis, & me tuorum ſeruitorum numero aſcribe. Ex Piſis IIII. Kal. Decembres. 1443.

FRANCISCVS PHILELPHVS PRAECLARO equiti, Domino Pallanti Strozzę. S. P. D.

SOLEO *certe nonnunquam, Pallas, vir clariſſime, maiorem in modum queri pernicioſam prȩteriti ſeculi aduerſus noſtræ tempeſtatis doctos homines, literarumque cupidos iniuriam: & illos vehementi quodam odio deteſtari, quorum inerti negligentia factum eſt, vt in amiſſis veterum ſcriptorum illuſtribus ac infinitis propè voluminibus, tacitam ipſi cladem ſuſciperemus. Quid enim claris ingenijs aut acerbius, aut calamitoſius accidere poteſt, quàm hijs carere, quibus ſine omnis ſuus ſplendor, omniſque magnitudo & manca & muta eſt? Nemo profectò, mea ſentētia, & ſi ad equitandum aptiſſimus ſit natura, ſine equis equeſtrem teneat, neque ſine armis militiam, neque nauigandi peritiam ſine nauigijs, neque architecturam, neque fabrilem, neque aliam quamuis ſiue artem ſiue facultatem, vbi huiuſce rei defuerunt inſtrumenta, medullitus ſanè noſcere quiſquam queat. Cuiuſmodi verò quoque bonarum artium inſtrumenta ob tantum hunc tamque indignum veterum librorum interitum amiſerimus, ipſe optimus teſtis*

ſis. Nemo enim eſt vnus oēum inter noſtros qui id tē melius ſcire vel poſſit vel debeat. nam & Graecè & Latinè eam habes eruditionem qua mediusfidius maiorem nemo. Et ſi quid apud noſtros, externosve librorum relictum ſit, id omne pro tua eximia diligentia ac laudatiſſimo doctrinæ ſtudio tibi vel potius eruditis omnibus iam pridem maximis cum laboribus impenſisque comparaſti. Quid enim philoſophos numerem? Qui quo maiore numero extiterunt, eo magis nihil naufragij factum eſt. libros circiter quadringentos Ariſtotiles, ac prope totidem Theophraſtus ſcripſit, quorum vnum eſt, quanta ſit nobis relicta paucitas. Democriti ille magnus tantusque vir, magnum de mundo, opus talentis quingentis extimatum perhibent. Vſque adeo multa ſcripſit vt librarius ſit ab Epicuro appellatus. Epicurus autem ipſe trecenta reliquit volumina. Chriſippus vero, quem librorum Epicuri huius paraſitum Carneades nominat, quinque ac ſeptingenta volumina elucubraſſe traditur: per multa Zeno Cutenſis & Cleātes ſcripſſere, per multa Heraclitus, per multa Empedocles, & alij cum Græci tum Latini Philoſophi complecti numero labor ſit, per multa nobis & maxima ſuæ ſapientiæ, & per illuſtria monumenta reliquerunt. Horum autem omnium nulla prorſus ſcripta extant. Quid autem, vt reliquos ſiue Poetas, ſiue hiſtoricos, ſiue alios præſtanti aliqua doctrina & ingenio uiros omittam, quid, inquam,

quam oratorum verſutias, interitusque comme- morem? hoſce prope modum omnes ad Brutum ſcribens Cicero non Latinos ſolùm ab ipſo vſque in Cornelio Cethego, quem ſuauiloquenti ore viguiſſe Ennius decãtabat, vel ab illo potius Bruto repetens qui vim ex vrbe Regina extruſerit: verùm & Græcos ab ipſius vſque Solonis, Piſiſtratique memoria & diligenter, vt aſſolet, & eleganter enumerat. In quibus quanta ſit strages facta, quanta ſuſcepta calamitas, quis te nobiliſſimo Equite & homine doctiſſimo melius omnium vnus noſcit? nonne igitur iure illis ſuccenſebimus, deteſtabimur, execrabimur, quorum deſidia, ignauiaque tãtamque nobis iacturam factã intuemur? Nam ſi cum hac veterum librorum paucitate incredibili ſumma cum diligentia, & ſtudio nobis in lucem contulit id dicendo aſſecutos nonnullos cernimus, vt honori apud omnes admirationiq; habeantur, nec certè dubitandum exiſtimo, quin multos hodie Leonardos, permultos haberemus Ambroſios, ſi priſcis bibliotecis liceret frui. Quod cum in omnem Italiam pateret, tum potiſſimum in hac vrbe, vbi diuina quędam ingenia germinant: nec diffido tamẽ, quin aliqui ex hac ipſa breui emerſerint, qui ſua & cura & induſtria & ingenio tantę huic iacturę cladiq; medeantur: Ita cùm Iarnottium Manetum hunc noſtrũ, & Carolũ Aretinum, diſertos & doctos homines, tum alios pleroſque ad eloquentiæ eruditionisque decus euaſiſſe. Iam pro-

bè atque in dies magis euaſuros video. Sed de hijs hactenus multa. In eo autem veterum ſcriptorum naufragio inſignis eſt Lyſię oratoris ꝓcella: Is enim orationes quadringentas vigintiquinque ſcriptitaſſe fertur, quarum ducentas ac triginta Dionyſius Cæcilius indubitatas illius exiſtimabat: Reliquę verò creduntur adulterinæ: hiſce autem in omnibus duntaxat, & id ob malignitatem cauſæ eum ſuccubuiſſe Plutarchus refert: ſcripſit & rethoricas artes, & conciones, & laudationes, & epiſtolas, orationesque, tum amatorias, tum funebres, ac Socratis defenſionem, & ſi hac autem tanta ſuorum ſcriptorum multitudine vix quinque & triginta orationes extant; reliqua verò omnia periere. Quanta is verò dicendi luculentia maieſtateque floruerit, Ex princeps eloquentiæ & optimæ nullius expers diſciplinæ plurimis in locis diſſeruerit, ac nos fortaſſe prope diem alio quodam in loco commodius expoſituri ſumus: id tamẽ abundè dignoſci poteſt ex ea funebri oratione, quæ ab hoc ipſo Lyſia pro hijs edita eſt, q aduerſus Lacedemonios Corinthijs auxilium ferentes poſt vrbem triginta tyrannorum ſolutam iugo forti & atroci prælio Athenienſes interiere. Hinc ſi frequentiſſimè antea Gręcè lectitaueras, nunc Latinam a nobis factam, vt & Latinè legas; & cæteris legendam des, te vehementiſſimè rogo. Vale.

FRANCI-

FRANCISCVS PHILELPHVS CLARO equiti, Pallanti Strozzæ. S. P. D.

FVERE nonnulli & prudentes & docti viri, pręſtantiſſime Pallas, qui id inter Lyſiæ oratoris, Platoniſque Philoſophi ſcripta maximè intereſſe iudicarent; quod propemodum alij quidam, item & ipſi homines haud vulgares inter Demoſthenē & Ciceronem voluere. Nam huic nil adijci, illi detrahi nil poſſe. Quid aliud eſſe dixerimus, quàm vel id quòd Platonis eſſe cernimus eximiam quandam exuberantemque dicendi copiam vel emendatum Lyſiæ elimaturo grauiſſimumque orationis filium. Quod quidem acutiſſimorumq; hominum iudicium cùm ſemper maxime facere conſueueram, tum verò poſtea quàm Græcas literas deguſtaſſem, admiratus ſum adeo, vt vix quicquam aut verius, aut ſubtilius iudicatum exiſtimari. Nam vt reliquos nunc omiſerim, quid de Lyſia ipſo dicam, cuius per egregia dicendi quædam diuinaque elegantia caſtigata verbis, ſententijs affluens tantum de ſe ſtuporem ſplendoremque legentibus ingerit, vt hunc profectò eum fateri oportebat, qui vnus in primis inter Græcos primas eloquentiæ partes teneat. Hic eſt ille Lyſias, cuius diſertiſſimis orationibus ſi quod ſubtraxeris verbum, & id commodè feceris, de ſententia ſubtraxiſſe plane appareas, vſq; adeò ab eo ſunt omnia mirabili quodam ſuo artificio & ordi-

ordine lucubrata, dicta, poſita, colligata: is praetereà cùm caeteris in rebus praeſtiterit plurimum, tum ea quoque ſola perſpicuitate & nitore claruit. Quem & ſi nobilis rethor Socrates imitatus ferè ſit, tamen neque hunc, neq; Demoſthenem ipſum eloquentiae principem, neque alium quemquam ex illuſtribus illis decem oratoribus aſſequi potuiſſe omnis vna voce teſtatur Graecia. Quàm verò hiſce omnibus ſubtilitate anteceſſerit, ex graui Ciceronis in libris de Oratore iudicio intelligi licet. Sed de ijs aliàs. Nunc autem ad rem, de qua agitur, reuertamur. Cùm igitur hanc Lyſiae vberem, luculentamque breuitatem facilitatemque dicendi amatoribus noſtris mirificè probatam laudatamq; intuerer, libuit animi gratia aliquas, ſi poſſem, ex illius orationibus Latinas efficere: quo non ſolùm alieno teſtimonio, verùm & re ipſa, & ipſa quaſi oratoris praeſentia ac voce eius vis omnibus, diuinumque ingenium innoteſcere. Quare cùm ipſe ſuperiorem conuertiſſem, volui & illam ad noſtros orationem traducere, quae inter Acostonem adulterum habita eſſet. Hoc enim in adulterio deprehenſo atque interempto, ſui pro eo cauſam necis agunt. lex autem haud negatur. Sed moechus iure caeſus defenditur. argumentum tum omne narratione patet: nunc, ne quem tanti facio, imitari omnino negct. idem ne in breui oratione prolixior ſim hac re, ſatis ſuperque. iam Lyſias ipſe dicere incipiat. Vale.

LEONAR-

LEONARDVS ARETINVS AD Cyriacum Anconitanum.

LEONARDVS *Cyriaco ſalutem. Quid mihi dabis, Cyriace, ſi de vrbe Anconitana tibi multi ac præclara vetuſtatis monumenta oſtendam, quæ tu nunquam vidiſti, licèt Acayam totam cum omni etiam Italia & Boeotia luſtraris, ac Peloponenſum, Spartamque, & Argos inſpexeris: & quicquid antiquitatis eſt in illis erutris, & Athenarum propilea nobis deſcripſeris? Ego tamen dum tu peregrinando aliena conquiris, ipſe manendo domi tuæ patriæ tuæ monumenta tibi inuiſa incognitaque perſpexi. O magnam vitæ animi noſtri penitus diuinam. Si quidem dum ſtamus domi, ipſe peregrinatur, nec diſtantia modo locis adit, verùm & quæ iam mille annis geſta ſunt, tanquam præſentia intuetur. Sed ne te per longa demorer, aperiam quid rei ſit. Scripſi nouiter libros quatuor de bello Italico, q̃d Libellarius & Narſes, Iuſtiniani Duces, aduerſum Gotthos geſſere. In illo bello multa, ac præclara de patria tua Anconitana repperi, ac reperta libens perſcripſi. Nam & obſidio eius vrbis terra, mari à Gotthis agitata & pugna naualis egregia & inſignis circa eã commiſſa in qua ſeptuaginta quinque naues longè pugnauerũt, & ſitus oppidi, qui tunc erat, ac cætera permulta memoratu digna referuntur. In quibus ſcri-*

bendis tu etiam aliquid mihi caloris & impetus ad dicisti, quod tibi & ciuibus tuis hæc placitura existimabam: & ſunt maximo ornamento veſtræ ciuitati. Eſt autem non hæc tranſlatio, Sed opus à me compoſitum, quemadmodum Liuius à Valerio Antiade, vel à Polibio Megalopolitano ſumpſit, & arbitratu ſuo diſpoſuit. Hanc verò hiſtoriam meam inſpicere ſi voles, nō aliter tibi oſtendā, quàm ſi omnia epigrāmata omniaq; vetuſtatis monumentatq; in toto terrarum orbe collegiſti ad me feres. Vale prid. Calend. Sept.

GVARINI VERONENSIS AD Illuſtrem Leonellum Eſtenſem gratulatio pro equeſtris dignitatis inſignibus.

HODIERNA *die, mi rex & diue Lionelle, ciues tui, quia equeſtris dignitatis inſignia tibi tam honorificè addita, ſeu potius reddita fuiſſe cognoſcunt, priuatim ac publicè magnam egere lætitiam, & precipuum diuis in templis honorem pro ſua vita, illuſtremque genitorem tuum pietate & obſeruantia celebrarunt. Nam cùm tantas tibi & animi & corporis dotes ab natura ingenti, tuaq; induſtria expolitas & ſtudio auctas eſſe cernanti, Iſta ipſa ornamenta ad decus & ad obedientiam, ad dignitatem quaſi conſummationem quandam amplitudinis adueniſſe gloriantur. Qua in re tibi, ne magis, uir magnifice, an ornamento ipſi*

gra-

gratuler, in ambiguo ſum. Non enim ſum ignarus huius generis decoram magnam tibi hominum extimationem commendationemque vendicarunt, & egregiam apud eos, quorum commodis, honori, & ſaluti conſulturus eſt, auctoritatem comparare. Hac ratione antiquos Perſarum reges varios ſi bicolores conſuiſſe, Cæſarem auxiſſe inuſitatos vulgò habitus multo auro multisque gemmis induiſſe. Teſtis eſt Xenophon, vt vel ſic inter ſuos venerationis eſſent. Præterea clam me non eſt, iſtos honores & inſignia virtuti teſtimonium adduci, & bene inſtitutæ Maieſtatis præconia. Quocirca milites ſtrenuos, bellatores, fortiſſimos ducesq; ſapientiſſimos haſtis phalaris vexillis equis, Statuis, & quod maximum votorum eſt, triumphis donari & inſigniri legimus. Accedat ad gratulationem meam, quòd ornatus auratos & equeſtrem dignitatem per ſe ſatis ingentem, ingentiorem facit imponentis donatoris amplitudo, ſimul & gloria, de cuius magnificentia rebus præclare geſtis clementia, æquitate, cæterisque virtutibus, vt taceam, quid Imperatore Romano, quid Cæſare, quid Auguſto excellentius, quid admirabilius, religioſius æquè humanum genus habet, eius poteſtatem poeta maximus paucis verbis exprimens ait; Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habes. Quippe imperium Oceano, famam qui terminet aſtris. Subinde antiquum genus Eſtenſe perdendo. & illuſtrem maiorum tuorum, patrisque proge-

 niem

nicem, quorum liberalitas, ſapientia, manſuetudo ſempiternam famam adepta eſt. Eorum nomini & laudibus ſplendorem adiungit tua in deum pietas, in parentes obſeruantia, in propinquos amor, in amicos fides, in omnes bonitas, charitas, diligentia, plurimarum & optimarum rerum cognitio: præſertim cùm ad paternam animi magnitudinem doctrina vberior accedat, addo virtutes ſobrietatem, ſomni parcitatem, venationis, aucupiorum, ludorum frequentiã, ſagittandi ſolertiam, quibus etiã ſolatia ſunt. Et librorum ſtudioſus omnis corporis ſenſus domas: & ita domas, vt intra modeſtiæ girum frenati ſe contineant. Quid morum ſeueritas, qua factum eſt, vt vitam teneris adoleſcentiæ annis & regia licentia, nil iuuenile redolens maturè ſapias Neſtorem? Per hæc, atque alia in te ornamenta meam venio ſententiam, vt longe magis abs te equeſtria decoretur, quàm tu equeſtribus decoreris inſignibus. Idque iure quidem & meritò. Nam plurimi ſine virtutibus equitum geſtamina vſurpant. Neque regem illum eſſe crediderim qui maiora poſſideat prælia, aut purpurea in veſte gemmas & fronti coronam impoſuit metus, & diri mala pectoris. Et ut a Biante dictum eſt, Qui ſua ſecum portat: alioquin laruarum in ſcena Hiſtriones Agamenonem liceret appellare, vel Priamum, cùm is viliſſimus ſit fortaſſe mancipium. nec verò, Leonelle, vir illuſtris, tuam inferiorem dignitatem equeſtrem dixerim, quam pacis artibus

merui-

meruiſti. Quam, quæ rapi ſolet, hæc enim mortalium cedibus, ciuitatum direptioni, ſtrage regnorum vſurpatur, & calamitatibus alijs quas ſingulatim apud Criſpum Cæſar explicat rapi virgines, pueros diuelli à complexu parentum, matres familiarum pati quæ victoribus collibuiſſet: phana, atque domos ſpoliari, cædem, incendia fieri, poſtremò armis, cadaueribus, cruore atq; luctu omnia compleri. His ſane indignum eſt tot dierum ſupplicationes indici, iſta vel vrbana munificentia, integritate, iuſtitia vel benè ciuibus merendo, patriæ commodis inſtruendo, honorem ſuorum augendo quæritur. Qua in re Titum Flamminium triumpho digniorem fuiſſe cenſuerim, quia Græcia ſuas viuendi leges & mores reſtituerit, quòd qui mille ac ducentis ciues in priſtinam libertatem è ſeruitute reuocarit, quòd Filippum, Macedonasq́ue debellarit. Crudele enim eſt, vt humanitatis abhorrens, ex hominum malis atque miſerijs prædicationem tituloſq́ue ſibi quærere. Aurum quo te inſignitũ eſſe hodie renuimus tibi ad vitę vel grande ſpeculum propoſitum eſſe conſiderabis. Etenim cũ aurum ſplendore, precio, immortalitate metallis reliqs antecellat: ſic & tu viuẽdi puritate, virtute, excellẽtia, honeſti animi conſtãtia ſicut inter cęteros mortales emines, ita te ipſum in dies ſuperare cõtendas, id egregia fide feceris, ſi nullam tibi cum hæreticis concordiam eſſe ſines, nulla niſi iuſtè ac legitime iudicata bella ſuſcipies, pupillorum ac vidua-

rum tutellam tuam in fidem accipies tria hæc perpetua virtute profiteberis. ne autem longior mea tedio te afficiat oratio, tibi pro mea in te fide ac pietate nouis inſignibus gratulor ac gaudeo: quibus non minus decoris, laudis ac dignitatis reddis, quantum cœperis. Idque tibi ac tuis bonum, fauſtum, fœlixque ſit, oro. Munusque cenſareum pinea virili parte fulcio, accendo, ad peremnitatemque produco nulla ſiquidem tanta ſemper hominum conſtructa manibus opera, quæ non ruant, obſcuretur, & vetuſtatis morbus non reformident, niſi literarum monumenta ſubſtentent, illuſtrent & iuueneſcere faciant. ad quod quidem conficiendum puſilla hæc mea ſcripta doctiſſimos viros & deſertos inuitant; quorum ope atque opera huius facti memoriam nulla vnquam delebit obliuio, quarum diu legetur & ad poſteros hoc perueniet. Sigiſmundus Cæſar Auguſtus cũ ſedato aduerſus Legurum ducem bello Veneto ab Eugenio pontifice maximo corona inſignibus aurea & baſilienſe conſilium potens Ferrariam Roma in Illuſtris marchionis Nicolai edes diuertiſſe, illuſtrem leonellum Extenſem ſextum & vigeſimum agentem etatis annum, equeſtris excellentiæ donauit inſignibus. Quod & præſentibus & venturis ſignum hoſpitij & monumentum ne pignus amoris relinquent. Vale ex Ferraria. Idibus Septembribus anno Chriſti M. CCCCXXXIII *Amen.*

EXPLICIT *Guarini Veronenſis Oratoris* *prȩcla-*

præclariſſimi ad Illuſtrem dominum Leonellum Eſtenſem pro ſumptis equeſtris dignitatis inſignibus, congratulatio per eundem recitata die XIII *Septembris* M.CCCCXXXIII.

EIVSDEM ORATIO IN LAVDEM Regis Angliæ.

QVVM *ſtatuiſſem, sereniſſime Rex, hoc tempore maxime aliqua in re memoratu digna & tardum & hebes ingenium meum exercere, nihil ſanum æquè dignum repperi, in quo meam operam conſummendam putarem, quàm hoc ipſum, ſcilicet, vt ſereniſſimæ Maieſtatis tuæ virtutes celebratiſſimas, & præclara geſta tua literarum monumentis æternæ, vt ita dixerim, memoriæ mandarem. Quæ enim eſſe poteſt, non dixerim, eſterna, ſed vixunius ſeculi memoria? ſine ſcriptorum opere iaceret. namque apud inferos Hercules, aut ſi id dici malumus, cum dijs nemini metuendis obſcurus & gloriæ omnis prorſus expers, niſi poeticis fabulis illuſtretur. Suo iam cum igne conſumptum eſſet Ilion, nomenque vnà cum memoria periſſet inter tã multos ignes ni & à Græcis & Latinis auctoribus exuſcitet. Magnus ille Alexander gemini Atridæ reges, Agamenon, & Menelaus, belli fulmina, Achilles, & Hector, Priamides magnus Æneas, Callidus Vlixes, Pœnorum Dux Hannibal Pirrus rex Epirotarum, & vt Italico ſplendori nen*

inuidiſſe videamur, pater vrbis, Romulus, Numa Pompillus, Anchus, Martius, Tarquinius Priſcus, Seruius, Tullius, Dijs hominibusque tremendis; Iulius Cæſar, Cæſar Auguſtus, Gemini Scipiadæ, Gneus Pompeius, Caius Marius, magnus Fabritius, cæteriq́ue Duces, reges & Imperatores, qui apud Romanos clari habiti ſunt, penitus iam obliuione traditi eſſent nullaque in hunc vſque diem eſſet de viris memoria, niſi poetarum fabulæ & figmenta celebraſſent. Quæ cùm omnia ante oculos haberem, Sereniſſime rex, Saluſtianum illud, quod eſt in principio Chatelinarij, me prorſus ad hoc capeſcendum munus hortabatur, quòd ſcilicet omnes homines qui ſtuderent ſeſe præſtare cæteris animalibus, ſumma ope niti deberent, ne vitam ſilentio tranſirent, veluti pecora, quæ cæteris omnibus pòſt habitis, huic rei ſolum intenta ſunt, vt ventris ingluuiem expleant. Verùm cùm vna hac auctoritate perſuaſus me ad ſcribendum accingerem, Ciceronianum illud, quod eſt in Tuſculanis quæſtionibus me ab incœpto nō parū deterrebat. Quòd mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec illuſtrare poſſit nec delectatione aliqua allicere auditorem, hominis ſit intemperanter abutentis & ocio, & literis. Quæ cùm ita eſſent, Sereniſſime Rex, vt vna ex parte Saluſtianum illud me hortaretur, altera ex parte Ciceronianum me id deterreret, malui me minimæ cuiuſdam diligentiæ, & extremæ, vt ita loquar, confidentiæ meæ damnari,

ri, quàm vel negligentiæ, vel ſocordiæ. Et quamquàm ſciam nonnullos homines vita & moribus ſatiros, diſciplina nequaquam cùm ex eorum officina nunquam vel ſola oratiuncula de propta ſit: quoniam dum huius arrogantiam damnant in concinitatem alterius, nimiam lepiditatem accuſant, nil vnquam habent quod probent: etiam hac tempeſtate futuros: qui mihi magnopere vitio dabunt, quòd rem tantam inermis & imbecillis ador tus ſim. Nihilominus tamen horum huiuſmodi ſine magiſtratu cenſorum garrulitatem ſpernentes rem noſtram pro viribus proculdubio proſequuntur. Tam multa namque intellexi de celeberrimis ac præclaris virtutibus tuis, vt ea prorſus tacere nequeam. Idem enim natura ipſa inſitum, vt quamquam nullus ſit in me virtutis ſplendor, tamen eos qui virtuoſi ſunt, vel in quibus aliqua ſignificatio virtutis eluceat, penitus diligam, amem, & obſeruem. Verùm, inuictiſſime Rex, tam multis virtutibus te præditum intelligo, vt bene narrandi initium facturus ſim ego ipſe in ambiguo, ſum: nec id iniuria quidem, vereor: etenim, ne cùm multa dixerim, plurima, quæ in te celeberrima ſunt, ſilentio prgterire opus ſit. Sed quoniã omnia, quæ in te præcipua & memoratu digna ſunt, tam modico volumine complecti poſſe non confido, non nulla quæ in te maximè præcipua ſunt, breuiter perſtringam. Te igitur, Sereniſſime Rex, bonis animæ, corporis, & fortunæ prgter cæteros principes & clarere, &

claruiſſe

claruiſſe intelligo. Quid enim prudentia tua mirabilius, quid grauitate maius? tu etenim in tam tenera ætate tantam redoles grauitatem, vt maturum illum ſapias Nectorem, qui apud Grecos in bello illo, quod contra Troianos geritur; & decrepitus & ſenex ob mirificā illā prudentiā in tāta exſtimatione eſt habitus, vt gemini Atridæ reges & Græcorum exercitus Duces non dubitarint palam omnibus optare non decem viros Achilli fortitudine æquales: ſed decem Nectori prudentia ſimiles: quòd ſi fieri potuiſſet, non dubitarent dicere breui fore Troiam perituram. Tu adoleſcens ætate, maturitate ſenibus ſenior. tu rex & Reuerendiſſimo domino Cardinali, & Illuſtriſſimo domino Duci Gloſeſtræ patruis tuis non ſecus quàm ſi tibi parentes eſſent morigerus es. te licet ob adoleſcentulum ob grauitatem, & prudentiam tuam contra callidiſſimum, verſutiſſimum, & potentiſſimum hoſtem ſeniores Duces, Princeps, Comites; ac populi innum eri non dubitarunt ſequi ducem: tu tua prudentia patruorum tuorum conſilijs acquieſcendo; & iuſticiam ſubditis tuis æquam præbendo potitus es. rerum iuſticiam enim tanta cum ſeruitute, vt ita dixerim, ad vnguem etiam quod mirabile dictu eſt, ab extremis adoleſcentiæ annis eo pacto ſeruaſti, vt nemini nec clàm, nec palàm ſua ſubripi, nemini aliena dari, nemini vim inferri, nemini iniuriam fieri paſſus ſis: furta, homicidia, latrocinia, ſtupra, violentias omnes tantòpere

pere ediſti, vt homicidas, ſicarios, fures, prædones, violentos & peſtiferos homines omnes ex Angliæ inſula, imò, vt & verius dixerim, è regni tui finibus prorſus eieceris, non, furtis non latrocinijs, non homicidijs, non ſtupris in regnò tuo locus eſt: quamquam enim tam aureum tamque inexecrabile bellum ob iuſticiæ exequendæ cupiditate cum inſolentiſſimis factioſisque hoſtibus tot annos geſſeris, tamen in regno tuo non ciuis ciuem ſpoliat, non ciuis ciuem obtruncat, non ciuis ciuem opprimit; quemadmodum in nonnullis partibus fieri ſolet; & maximè in aduerſarij tui regno; vbi ciuis conciuem ſuum impunè ſpoliat, necat, opprimit & obtruncat: non pater à filio tutus eſt; non frater à fratre; non filius à patre, non ſocer a genero, non dominus a ſeruis. Tanta denique, vt paucis abſoluam, illic eſt perplexitas, tanta confuſio, vt id non hominum; ſed dæmonum regnum meritò dici poſſit. illic triceps cerberus; illic anguicoma Theſiphone; illic furiæ infernales; illic ſitiens Tantalus; illic rex vmbrarum Pluto; illic omnes dæmonum chori ſuam poſuere ſedem; iuſticia ſilet; iura tacent, iniuriæ, cædes, rapinæ, ſtrupra, violentiæq; vigent. In tuo autem regno longè ſecus eſt. Nam ob ſummum iuſtitiæ rigorē cum hoſtibus certamen eſt; inter ciues ſumma pax et tranquilla populis quies: auro namque onuſtus viator omnis Angliæ inſulæ partes inermis ſolus impune luſtrare poteſt; etiam ſi opus fuerit inter nemora ipſa vel deſerta

tum

cum vniuerſo theſauro ſuo quietum ſomnum cape re. Tu profectò, vt paucis dixerim, ſecundum te Traianum hominibus præſtas. De fortitudine autem tua, quid plura dixerim, neſciam, niſi quòd eſſet, ab extrema adoleſcentia tua tantum etiam durum bellum ſubtinuiſti, inuictiſſimum hoſtem debellaſti, vrbes & oppida ſua occupaſti, tam multos proſtictus hoſti potentiſſimo dediſti, non adoleſcentibus maturum ætate & callidum hoſtem formidaſti, non eius potentiam horruiſti, non uires non factionem duri hoſtis timuiſti. Quo factum eſt, vt tam multas & præclariſſimas vrbes, tot ornatiſſima oppida, tot prouincias, tot loca ampliſſima ex hoſtilibus bonis regno tuo adiunxeris, hoſtemque tuum ad extremam inopiam & intra miſeriæ terminos penitus redegeris. Alexander macedo vigeſimum attigerat ætatis ſuæ annum, cum Clariũ regem debellauit; diuus Iulius Cæſar pluſquam vigeſimum quintum adegerat annum, nihil tamen ad eam vſque ætatem maxime memorãdum vel maxima laude dignum geſſerat. Caius Cæſar iam grandis natu execrandum parricidium vltus eſt. Tu autem inuictiſſime rex, dum in vtero matris eras, horrenda bella gerebas, & permagnæ hoſtibus formidini eras. lactebas, & hoſtilia mœnia euertebas: puer eras, & grandeuum regem debellabas. Poſtea verò quàm adoleuiſti, ſummum tibi imperium comparaſti. Te itaque inuictiſſime rex, ob ea quæ in hodiernum vſque diem geſſiſti &

Alexan-

Alexandro Regi & diuo Iulio Cæſari, & Caio Cæſari & cæteris hominibus, quos orbis terrarum claros habuit, vel Reges, vel Imperatores non imme ritò prætulerim. Tu enim, sereniſſime rex, liberalitate & largitate Iulium Cæſarem, magnitudine animi magnum Alexandrum, prudentia & facilitate Caium Cæſarem in hodiernum vſq; diem æquaſti: pro mira autem magnitudine geſtorum eos omnes ſuperaſti. Habes inſuper participes conſiliorum tuorum & in regno ipſo coadiutores reuerendiſſimum dominum Cardinalem & Illuſtriſſimum dominum Ducem Gloſeſtuæ patruos tuos; qui neque conſilijs, neque auxilijs aliqua in re tibi defuerint. es etiam adoleſcens in florida ætate, agilis, & fortis corpore, robuſtus membris, bonam habitudinem corporis poſſides, plurimùm ingenio vales, potentiam habes maximam, amicos plurimos qui mortem, qui exilium, qui pericula omnia, ſi opus fuerit, ob nomen tuum ferre non recuſabunt. ob quas ipſas res cùm in extrema adoleſcentia tua durum, & acerbum bellum tanto tempore & geſſeris, & ſubſtinueris, meam venio de te ſententiam, vt affirmare audeam, te cùm ad virilem ætatem perueneris, non Martium ſed Martem ipſum futurum; non clarum regem, ſed omnium qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt regum potentiſsimum, non in arte militari peritum, ſed omnium peritorum peritiſsimum. Quo fit, vt nunc primum accingar, meque expediam, vt celebratiſsima geſta tua literarum

rarum monumentis poſterorum memoriæ mandem. Perge igitur, perge inuictiſſime rex, & tum bello, tum pace, tum indutijs diſce, quod hactenus feciſti hoſtiles iniurias a tuis ſubditis & confœderatis propulſare. Nam, Audentes fortuna iuuat, timidosque repellit: præterea, cùm adoleſcentiæ laudibus Iulium Cæſarē, Alexandrum magnum, Caium Cæſarem, vt oſtendi, iam ſuperaueris: liberalitate verò, facilitate, largitate, magnanimitate, prudentia ipſos omnes æquaueris; eos etiam in ijs ipſis artibus ſuperare contende. His enim artibus & tua, tuorumque conſiliatorum prudentia video, breui apud te ſummum Imperium futurum. Demum quoniam compertum habeam reges & principes ſummos paucitate verborum maxime gauderet, finem dicendi faciam. Vt igitur, ſereniſſime rex, cum poetarum Principe Marone Virgilio, concludam: Hæc tibi erunt artes, dare tutas ciuibus vrbes, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Amen.

ANTONII PANORMITÆ ORATIVNCVLA ad Fridericum Imperatorem III.

ILLVXIT *iam tandem fœlix illa & expectatiſſima dies, Friderice Cæſar, quę bonis omnibus pacem & tranquillitatem, tibi verò laudem, & gloriam ſit ſempiternam allatura. Ecce.n. aduenisti,*

adueni-

aduenisti exoptatiſsime Auguste, tuamque ſacroſanctam Maieſtatem hodierno die corám intueri licet, aut rectius quaſi Dei cuiuſpiã immortalis effigiem venerari. Nam tecum vnà quaſi diuinum ſidus comitantes aduenisse creduntur ſalus, atque libertas Italiæ bonorum, ac conſtantiſſimorum hominum exaltatio, prauorum perfidorumque depreſſio. Exultent igitur gaudie, Ieſuque Optimo Maximo laudes ac gratias habeant quicunque puri ſunt, fideleſque perſtiterunt: iniqui verò ac perpetuò contumaces erubeſcant, formident, profugiant: huius enim digniſſimi Romanorum regis artes ſunt Romanæ, ille quidẽ parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

VERVM *antequàm Alfonſi magnanimi, atque inuicti regis noſtri, mandata explicemus. Ab eo quidem ad eminentiſſima Maieſtatem tuam legati ſumus, pauca admodum quę partim ad laudem, partim ad dignitatem tuam pertinent, enarrare nos pro ſingulari tua humanitatę concedas. Ego verò à clariſſimis, ac illuſtribus collegis iuſſus dicere obtemperabo. Verùm ita obtemperabo, vt rationem tuarum occupationum vel in primis ipſo breuiloquio videar habuiſſe. Quod igitur à pleriſque oratoribus dictum eſt, neſcire ſe vnde principium ſumant, id in præſentia mihi euenire non verbis, quemadmodũ fortaſſè illis, ſed re ipſa nimirũ intelligo non ſolùm enim, qa ſunt tuæ virtutes, & variæ inter ſe connexæ, verùm etiam, quia ita præclaræ*

omnes

omnes, & ita egregiæ ſunt, vt inter ſeipſas de excellentia concertare videãtur, nec facilè ſit deliberatio, quæ nam in dicendo ſit anteponenda. Siue enim animi magnitudinem conſidero, nihil dignum videri poteſt, de quo quàm primum enarraretur. Siue religionem, aut cerimoniarum cultum, illud omnino cenſebis præferendum. At ſi iuſtitiam & æquitatem contempleris, nihil tam videri debet, vt illi anteponatur: Cùm verò liberalitatem, humanitatem, moderationem tecum penſites, quam illarum præponere, aut quam non præponere debeas, ignorabis. Ego tamen vnde aptiſſimum & congruentiſſimum putabo inde initium dicendi faciam, à religione videlicet, & culto diuino Qua in re vel maxime tuã, Friderice, ſapientiam declaraſti; ſiquidem vera hominis ſapientia eſt, pietas, ideſt, Dei cultus. Etenim ante oĩa verũ creatorem, vnicum & ſummum Deum, Chriſtum Ieſum tibi penitus colendum, adorandum, verendum animo propoſi, vt erga eum ipſum Chriſtum, à quo terrarum Imperium aſſumpſiſti, pro tanto munere accepto & gratus exiſteres & hominibus, quibus diuina prouidẽtia preeſſes, vite beatæ viam tui luminis exẽplo mõſtrares; maxime quidẽ decet Reges ac Principes, quique ab omnibus timeantur, eoſipſos vereri, ac metuere Deum immortalem. Quod qui fecerint ſentient præclarũ illud & memorabile Camilli dictum, Omnia proſperè eueniſſe ſequentibus Deos, aduerſa ſpernentibus. his tu

itaque

itaque rationibus adductus in primo ipſo iuuentutis flore, nõ maris, nõ viarũ deſcrimina, nõ barbarorũ,& eorũ, apud quos Chriſti nomen inuiſum eſt, latrocinia, atq; inſidias veritus Sepulchrum Domini ex vltimis vſque Germaniæ partibus adiſti, laborum, & velut gloriæ primitias Deo reddens, atque ſacrificans. Quid nunc ego Pſalmos, & orationes? quid Miſſarum ſacra miſteria? Quid ieiunia, atque indictas Chriſtiano ritu abſtinentias referam, nihil vtique omittis, quod boni, & puri Chriſtiani officium eſſe intelligas, quo eum tibi perpetuo places, ac propitium & fauentem reddas, quo ciues tibi diuinitùs commiſſos ad veram dirigas fœlicitatem, & ſapientiam.

CVMQVE animo magno & excellenti prǽditus ſis in hoc vno, ne Dei ſcilicet voluntatem offendas, miro quodammodo timidus atque anxius prædicaris. Denique cùm natura natus ad virtutem videaris, & bonitatem naturæ, Dei quoque voluntate confirmes. ob illud etiam a peccatis atque flagitijs caues, ne tuos ciues vitiorum imitatores efficias. Satis.n.noſti exẽplo magis, quàm peccato Principis nocere. Inter hæc tã præclara tui animi ornamẽta, glorioſiſſime Cæſar, illud inprimis admirari licet, atq; veneratione complecti omni, quòd cùm tam infinita & innumerabilis multitudo, tum domeſticarum, tum exterarum gentium ſub te degat, nullus tamen adhuc inuentus ſit, qui, non dico à te, qui inter mortales iuſtitiæ & æquitatis glo

ria excellis ; ſed ne a proceribus quidem tuis fuerit iniuriam paſſus, aut de violentia conqueſtus. Illa quidem lex apud te prima & eſt, & obſeruatur, ne cui quis noceat ſuum, cuique permittatur in pace, & ſecuritate poſſidere. Quæ verò Cæſaris ſunt, omnibus propemodum vti, frui fas eſſe: Illudque diui Adriani præclare dictum frequenter vſurpas, ita te rem publicam geſturum, vt ſciat ſenatus, populi rem eſſe non propriam. Iam verò dicendi, & loquendi libertas non minus infimis quàm ſummis eſt viris, aditus ſemper patens, audiendi patientia, & lenitas inaudita. O ſæcula aurea. O Cæſarem verè Auguſtum, verè patrem patriæ. O hominem diuinum. O nos etiam perbeatos, quibus virum talem intueri, eiusque ſuauiſſimis atque humaniſſimis moribus frui datum atq; conceſſum eſt. Beneficentiam verò, ac liberalitatem tuam, Cæſar, admirari poſſumus quàm oratione percurrere. Quæ cùm incredibilis ſit, & tanquam eſt fonte quodam benignitatis perpetuò emanans nunquam tamen alijs eripere viſus es, quod alijs largirere, nunquam alijs nocere, vt in alios liberalis viderere. Vacat enim iniuria liberalitas tua. Quodue tuum eſt, eſt enim grande, & vt terrarum domini patrimonium, id tamen omne in communem hominum vtilitatem erogare ſolitus es, vt verè, quæ tua ſunt, ſint iuxta prouerbium, communia omnia. Et ſanè è toto prorſus Imperio, quod quàm amplum

&

& copioſum ſit, oẽs intelligunt, nihil tibi retentum videmus, præter diſpenſandi poteſtatem.

Intelligis tamen, quod vnicuique conueniat, proque dignitate diſtribuis, tibi ſolum modo hoc reſeruans, atque ſeponens, quod Cæſareæ rationi ac maieſtati neceſſariũ fore arbitraris, nihil omnino cuſtodiens ad voluptatem, nihil ad delitias. Et es quidẽ natura liberalis atque beneficus, non vt pleriſque quadam vanitate ducti multa largientes, vt videantur benefici, cùm non ſint: vir vtique purus, ſimplex, atque ſyncerus nihil ad oſtẽtationem, omnia ad conſcientiam referens. Gaudes, cùm bene, benigneque facis, non cùm feciſſe laudaris. Neque gratias agi tibi, aut rependi ad modũ curas, præterquam à conſcientia benefactorum. Nihil denique tibi arrogans, ſed immortali Deo omnia tribuens, a quo & beneficia, & bona omnia proficiſci ſatis pro ſingulari tua ſapientia cognoſcis. Prætereo hoc loco ſingularia ac propẽ innumerabilia tuæ liberalitatis exempla. Quis enim hac temporis anguſtia recenſere ſatis queat? quot regum filios, quot proceres, quot viuos tum literis, armis illuſtres quotidie ſuſcipias, ſuſceptos exornes, honeſtes, amplifices? Mihi quidem videtur, tuam hanc non curiam modò, ſed achademiã quandam bonarum artium & diſciplinarum appellari poſſe, vbi de re militari, vbi de literatura, vbi de virtute, ac moribus, quoquo te verteris diſputantes acriter ſimul, & erudite cir-

cumſpitias; quo fit, vt omnes, qui aut virtute, aut eruditione ſibijpſi confidunt, huc ad te vndequaque diuertant, ac velut olim in Olimpium montem exercendæ, atque oſtentandæ virtutis gratia conueniant. Tu verò, benigniſſime Cæſar, per humaniter omnes excipis, exerces, ac uis, foues, inſtruis, denique indonatum nemnẽ à te abire ſinis. His præclaris artibus, Cæſar, mortalium gratiã, & beneuolentiam conſecutus. His perardua, & excelſa ſemper animo meditaris: His domum reliqueris quamquam domus tua mundus eſt; non aſperrimos labores, non infinitos ſumptus, non pericula æſtimans per mediam Italiam, vbi non nullos ſcires Imperio rebelles, incedis fiducia animi lætus, ſtrenuus, inuictus: Imò verò tantum & virtutis, & dignitatis tuæ auctoritas valuit, vt non ſolùm ab amicis, ſed etiam ab his ipſis, qui iã pridem Imperio malè pacati, honorificentiſſimè fueris ſuſceptus, nihil aliud, vt mea fert opinio, applauſu & gratulatione confidentibus, quàm te verè dominum & Imperatorem eorum eſſe. At tu hæc omnia animo recondens, Romam ire pergis. Vt quod animo iam dudum magnificè conceperas, tandem adipiſcaris, hoc eſt, Sacram vnctionem, & conſuetas Imperatoribus coronas.

Sed *quoniam in coronarum mentionem incidimus, conſideremus, ſi per te licet, humaniſſime Cæſar, quibus ex cauſis maiores noſtri huiuſcemodi coronas excogitaſſe credantur. Hoc enim viſo*

cogni-

*cognitoque, liquidò apparebit, an tu quoque di-
gnus iudicandus ſis huiuſmodi coronario, vt ita
dixerim, triumpho. Primum verò promulgatum
eſt, palearem illos decreuiſſe coronam, quod aliquan
dò receptum, nunc verò vt pleraque manſuetudi-
nis obiecta obſoleuit. Cæterùm maiores illi rectè ſa-
ne, ſiquidem manſuetudine, & humilitate, non ſu-
perbia, & inhumanitate ad Imperiale faſtigium ſe
aſcenſuros eſſe exiſtimarunt. quod palea denotatũ
iri viſum eſt. Palea quidem res admodum abiecta
atque contempta eſt. Et Imperatorẽ decet ſe homi-
nem eſſe exiſtimare hoc eſt ex humo factum, & in
humum tandem redditurũ. Huic inuento perpul-
chrè conſonare videtur Romanorũ inſtitutum. Qui
triumphanti conſuli vel abiectiſſimæ conditionis
ſeruũ aſſociauere in eodem curru, & coronam ſu-
ſtinentem & æqua fortuna triumphantem. Præ-
terea, vt qui manſuetè & humaniter, atque beni-
gnè tum hominibus agit, is vehementer ab omni-
bus ematur, & in omnium animos tanquam in-
fluere videtur: ex diuerſo, qui inſolenter & crude-
liter ſeſe habet, odium ſibi omnium generat, &
metũ, malũ (vt ait Cicero) diuturnitatis cuſtodẽ. Se
cũdo loco coronã ferreã excogitauere, ea ratione, vt
arbitror, vt fortitudinem animi imperaturus aſ-
ſumeret. Nam comparata ſibi prius, quomodo di
ctum eſt, ciuium, & ſubditorum gratia intrepidum
conſtantem inuictum ſeſe præſtare Imperatorem
oportet contra pericula ac varios fortunæ caſus,*

 præſer-

præſertim pro gloria tuenda, ac ſubditorum ſalute & conſeruatione ſocietatis humanæ diuinitus ſibi commiſſæ. Imperio quidẽ indignus habebitur, qui vim, atque iniurias aut ſibi, aut prouincialibus illatas non magno ac præſenti animo propulſauerit. Tertio loco argenteam coronam aſſignauerunt, vt animaduertatis, qui demum Imperator ſit conſtituendus, argenti nitorẽ atque candorem præ ſe ferre oportere, hoc eſt, ſine labe atque ſpurcitia ſe animum purum & terſum exhibere neceſſe eſſe. Poſtremo autem loco auream ſtatuerunt. Hæc antiquitus, vt ait Gellius, ex lauro erat, poſtea ex aureo cœpta; vt intelligat is, qui demum coronandus eſt, ſe perfectam ac ſplendidiſſimam laudem aſſecutum. Nã qui manſuetudine & humilitate primò mortalium beneuolentiam, deinde beneuolentia Imperium adipiſcitur, quod poſtea animi magnitudine, puritate, atque iuſtitia conſeruet, is omnium iuditio ſplendidiſſimum ac perfectiſſimum vitæ exemplum ad poſteros relicturus eſt. Ita immortalitate ac luce perpetua dignus exiſtimabitur. Num tu igitur his coronis perdignus cenſeberis, Cæſar inuicte, qui manſuetudine, vel animi magnitudine, vel iuſtitia nemini ceſſeris, imò verò q̃ ſummi Imperatoris ornamẽta in te lucẽt oĩa, vt nõ Cæſar modò, ſed Cæſarũ decus iure ac meritò poſſis appellari?

Quod enim à te abeſt Imperatorum, vt ita dixerim, virtutum, aut quid non eſt potius inſigniter? Quæris clementiam? At tua animi placabili-

tas ipſam illã C. Cæſaris, quæ ſingularis exempli, & admirabilis memoriæ extat apud homines, ipſam, inquam, illam prouocare poteſt & vincere. Cupis fidem? At tuis dictis conuentisq; nihil firmius, nihil verius, nihil religioſius inquiri poteſt. non ipſum quidẽ olim apud gentiles, aut Sibyllæ folliũ à Apollinis oraculum. Laudas prudentiam? At quod tua proſpicientia non videt, quod tua ſolertia non agnoſcit, quod tua deniq; induſtria non aſſequitur, quod vlli vſpiam cognitum, aut perſpectum erit. Nõ eſt autem vllo pacto prætermittenda temperantia tua Cæſar. Eſt. n. non modò inter virtutes pulcherrima, ſed virtutũ omniũ ſingulare decus, & ornamẽtum,

Ita, vt ſi hæc vna deſit, cæteræ virtutes imperfectæ exiſtimentur. nam prudentia, & fortitudo, atque harum ſimiles interdum etiam eorum ſit, qui non ſatis probant. Temperãtia verò proborum, & clarorum hominum eſt ſolùm. Illæ ſæpe numerò impetus animi concitat, nec ſinũt obedire rationi: Hæc concitatos ſedat, compeſcitque, & ratione moderatur. Quæ quidem virtus tanta in te vno eſt, quanta in ijs Imperatoribus, de quibus legimus, aut accepimus non fuit.

QVEM *enim tibi continentia comparabimus? Cepiſti vxorem genere nobiliſſimam, moribus excellentiſſimam, forma verò præſtantiſſimam. Cumque ea Senas ad te nuper veniſſet è paterno regno, quoniam dies ſacri & obſeruandi erant, eam non vt vxorem, ſed vt ſororem ſuſcepiſti,*

religionem matrimonio, caſtitatem voluptati anteponens. Alij ab alienis vxoribus vix ſeſe continere poſſunt; Tu à tua, tibi cõceſſa, & ea quidem formoſiſſima te continuiſti. Docuiſti hoc exemplo inferiores, qualiter ſeſe habere & continere circa coniugia debeant: & diuini potius cultus, quàm humani iuris habendam eſſe rationem. Nec illud eſt ſilentio prætereundum, quam ſis vini parciſſimus, quamque in cibo moderatiſſimus. Neque enim ea parua laus eſt, regis præſertim, & Imperatoris. Legimus Alexandrum, ne plures memorem, propter vini intemperantiam non parum gloriam eius obſcuraſſe: quandoquidem per temulentiam Clitum ſibi chariſſimum in conuiuio occiderit. Namque, vt ſobrietas Principem ad charitatis ſtudium excitat, ſic ebrietas ad credulitatem prouocat. Nullumque ſcelus, aut flagitium eſt, ad quod temulentia principem non impellat, aut rapiat. In ſermone verò quàm modeſtus ſis, quàm rarus, quàm grauis, quanque in ijs ſuſcipiendis, qui ad te adeunt, communis & humanus, facilè omni Italiæ proſpectum eſt. Siquidem tanta circa omnes manſuetudine vteris, vt te interdum tuæ dignitatis atque auctoritatis obliuio cepiſſe videatur. Quàm verò adulatores, ſcurras & huiuſmodi leuitatẽ, ſpernas, atq; oderis, ipſi proſpeximus. O dignũ ſummo Imperio principem. hoc enim eſt Imperatorem eſſe: Superbiam, faſtidium, arrogantiam effugere: Erga omnes ſeſe manſuetum,

tium, facilemq; præſtare, abſentationem procul amouere, graue eſſe: Adde quòd nec tibi quoq; deeſt in cõſilijs ſuſcipiendis conſtãtia, virtutũ haud mediocre condimentũ, ſine qua nihil in hoĩe poteſt eſſe laudabile. Hæ te profectò virtutes, Cæſar inuicte, Auguſto illi oĩum principũ fæliciſſimo; hæc te Titio omniũ gratiſſimo, hæ te Antonio Pio oĩum humaniſſimo parẽ effecerũt: Per has maximè virtutes ab omnibus laudaris, extolleris, diligeris, prædicaris. Maximè enim cõmouetur amor multitudinis ipſa fama, & opinione manſuetudinis, atque conſtantię. Quæ ſi in priuato vel mediocri viro laudabiles plurimum atque admirabiles ſunt, quanto magis in eo principe, qui inter principes dignitatis principatum obtinet? Sed iam plura conſultò prætereo, ne modum mea excedat oratio: Simul ne incliti Regis noſtri mandata vlterius differamus. Quæ ſi tuæ quoque prudentiæ viſum fuerit melius ac cautius, ſeorſum, quàm palàm enarrabuntur, Vale, & triumpha. Dixi.

LAVRENTII VALLÆ ORATIO AD Summum Pontificem.

SI *quibus tui põtificatus annis, Beatiſſime Pater, & abs te, & a patriæ abfui nõ abfuiſſem, profectò declaraſſem meam erga te, vt fieri debere intelligo, obſeruantiam quæ incepta iam inde ab ineunte mea iuuentute ad hãc vſque ætatem perſeuer*

ſeuerauit & cum annis ſimul accreuit: declaraſſem, inquam, non aſſequendorum ratione præmiorum abs te, qui vel vti fons quidam es gratiarum cùm poteſtate dignitatis, tùm bonitate naturæ: ſed vt officio meo fungerer, cupiditatiq́ue meæ, atque eximio in te amore obſequerer & indulgerem. Dulce enim eſt etiam citra ſpem ei inſeruire, quem diligas. Ego te, Beatiſſime Pater, cùm aliquandiu, vel propter ſingulares virtutes tuas, vel propter egregium literarum ſtudium veneratus complexusq́ue eſſem, nullum alium quàm te nec magis optaui fore ſummum Pontificem, nec eſſe digniorem exiſtimaui: cui meo & voto & iudicio res ipſa, euentusq́ue reſpondit: Itaque audita aſſumptione tua, nam tunc cùm longè à patria abſens, & tibi abſenti veluti præſenti (amor enim quodammodo præſentes nos facit) & ni ipſi gratulatus ſum, eoq́ue, licèt aliquot pòſt annis, tamen cum primùm potui, ad pedes Sanctitatis tuæ me contuli non receſſurus ab Vmbra, niſi huc me venire cupiditas compuliſſet viſendi fratris quem nouem annos nòn vidiſſem. Solum mihi ex nouem fratribus ſuperſtitem, quem & ipſum intra menſem, quem repereram & quaſi amiſſum recuperaueram, amiſi. Et quamuis aſſiduè ad te redundi cupiditate vrgebar, tamen hactenus redire prohibitus ſum. Interea ſemper modo mediocrem ex tuis tum proſperis lætitiam, tum aduerſis moleſtiam capiens, ſimulq́ue ægro animo ferens non

poſſe

poſſe me pro prauitate virium mearum tibi operam narrare, vel tua gloria celebranda vel aduerſarijs tuis, immo adeò matris Eccleſiæ ac Patris Dei confutandis, magna prorſus in vtranque partem & excellenti ingenio digna materia. Nam quod ad gloriam pertinet, quis vnquam poſt hominum memoriam ſummus Pontifex glorioſior te fuit, qui ad iſtam dignitatem, tum aliquot oraculis prædictus tum omni Eccleſia concordi electus es? Qui duos Cęſares, alterum Latinum, alterum Græcum tibi ſubditos aſpexiſti inter ſe inter ſe illos quidem diſſentientes, ſed in agnoſcenda tua ſantitate conſentientes. qui tuis conſilijs, curis, ſumptibus Græciam omnem, quæ olim parens erat Latinorum ad conſilium contraxiſti, erudiſti, emendaſti, ac prope de duobus ouilibus vnum feciſti. Qui altero conſilio Harmemos gentem hactenus fidei Catholicę non bene hærentem in ipſa Catholicæ fidei veritate collocaſti, qui per legatos tuos bellum pro religione, contra ſuperſtitionem geris. Qui denique tanta feciſti, & facis, vt permagnus perque latus pateat campus ijs, qui geſta tua vel ſcribunt nunc, vel poſtea ſcribent. Sed hæc velut publicæ perſonæ, ac Papalis virtus. Quid illa propria ipſius hominis, ac priuata, quàm multiplex eſt, & quàm magna? Te enim, cum ſint (quantum ego quidem ſentio) in homine duo genera laudum, vnum quidem venerabilem, alterum quidem amabilem reddit, ſicuti horum vtrum præferendum

dum

dum ſit, ſolemus ambigere, ita vtrum in te magis eluceat, neſcio. Venerationi quidem ſunt nobis grauitas, ſeueritas, conſilium, prudentia, magnitudo animi, fortitudo, patientia, ingenium, doctrina, eloquentia, cæteraque huiuſmodi. Amamus autem humanitatē, manſuetudinē, affabilitatem, & modeſtiam, benignitatem, clementiam, largitatem, & quæ ſunt id genus, quemadmodum in eo quoque auctoritatem vultus, proceritatem, amplitudinemque mēbrorum, robur, velocitatē, agilitatem admiramur & decorem venuſtatem, ſuauitatem oris, cęteriquæ corporis tacitè quadam charitate cōplectimur, quæ virtutes cùm inter ſe videantur cōtrariæ. ideoque alius in his, alius in illis excellit, tam quia virtus virtuti aduerſa non eſt, ſed pro loco, pro tpe, pro perſona, alia cedit, alia intereſt, vniverſæ perfectęque cognoſcūtur. Vt nō magis exornatus ſis dotibus corporis, quæ nulli vnquā tot tantæque affuerunt, quā dotibus animi. Ex quibus alteræ te dominum exhibent, atque rectorem: alterę parētem, tutoremque. Illæ reuerentiam metumque conciliant, hæc vero dilectionem. quarū & ſi poſterioribus fauemus, magis ſuperiores tùm ſuam dignitatem obtinent & vtræque mutuo præſidio pro ſunt: quibus ſi acceſſerit poteſtas præſertim ſumma, velut in te ſit, quid niſi in terris ſimulacrū Dei quoddam exiſtimabitur? O te vnum ex omni memoria hominē digniſſimum potentia, dignitate, gloria, virtute, ſermonisque ac corporis Maieſtate. Verùm

Deus ipſe ſicut in ſummũ proſperitatũ gradum extulit, ita per aduerſa te exercere voluit, nõ vt probaret, ſed vt probationẽ redderet. virtus enim mea, inquit ad Paulum, in infirmitate perficitur. Et ſane probabiliorẽ te reddidit hunc in modum atque perficit. Nam quæ tua fuit inter aduerſa, aut tollerantia aut ſapientia, in quarũ altera velut præſentibus fluctibus reſiſtebas, altera futuros prouidebas, prohibebasque: quis tutus ille labor cum inter candẽtes undas, ſciſſis uelis, fracto malo, ſibilante tempeſtate, fulgurante cœlo ac tonante, nauis erat tibi gubernanda, ut uix aliquis quiſpiã ex ijs malis fuerit emenſurus, ex quibus tu emerſiſti, & iam paratis armamentis procellaque ſedata conſpicis portum, in quẽ prope diẽ inuitis fluctibus incolumi naue peruenies? Adhuc .n. tibi aliquantulũ negotij reliquũ eſt. Sed quo laborioſius id fuerit, & ſi non optabile, eo tamen vberior tua gloria erit. In illis autẽ aſperitatibus tẽporum quod ſero loco dixi, quis pius, quis bonorum amator, quis malorum actionũ hoſtis non tuam vicem doluit, ac miſeratus eſt? & ſi tua fortitudo ac ſapientia non miſerationẽ magis quàm admirationẽ merebatur; quis non inimicis tuis ſuccenſuit, atque iratus eſt? qui non te omni ope adiuuandũ, ſubleuandumque, illos inpugnãdo putauit? Quamquã ita tulit caſus infeſtus, hoc eſt, ita inimicus generis humani perturbauit omnia, vt multi qui vellent iuuare poſſent tũ alijs quibuſdã cauſis tũ verò prohibiti maiore poteſtate non nulli etiam

coacti,ſi virtus cogi poteſt,nõ nihil aduerſus te facere. Verumtamẽ omnis boni tui fuerunt, licèt non omnes boni à te ſteterunt,in quorum numero,vt ad me redeã, Beatiſſime Pater,me pro fiteri non dubitem. Nam nec malum me potius, quàm bonum eſſe opinor & ſemper,concupiui. At laudes tuas attingere,aut cauſam iſtã, in qua negotiũ tibi faceſſerit quoad poſſem aduerſus hoſtes inimicosq; defendere. quod facere cùm hactenus non licuerit mihi, velim liceret in poſterum. & quãuis permulti tibi ſcriptores graues, facundique ſuppeditent, tamen omnes velut in publicum commodum pro ſua quiſque facultate nitemur. Attendetur aut ipſa ex emulatione ſingulorum induſtria, res profectò tibi non ſolùm honorifica, ſed etiam vtilis, ac propè neceſſaria, vt cauſa iſta, quæ inter te, ac patriæ hoſtes verſatur, mandetur literis à circumſpecto aliquo eximioque oratore ſiue ad præſentium temporum patrocinium, ſiue ad memoriam futurorum,ne quis vnquam aut contradicere, aut in dubium reuocare audeat vel innocentiam tuam, vel inimicorum calumniã & conſpirationẽ. Multum eſt enim,Beatiſſime pater,in ſcriptore, qui ingenio probet, ſcientia rerũ confirmet,auctoritate perſuadeat ceterosq;, ſi qui diuerſa ſcripſiſſent, ab his, vt imperitos malosq; conuincat. Nam, vt mea fert opinio, qui res geſtas, aut principũ,aut populorum acutè ingenioſèq; conſcripſerunt, vel optimè meriti ſunt de ijs,quorum facta celebrarunt, tũ propter

alia

*alia, tum precipuè quòd illorum virtutes ab inui-
dorum inimicorũ, maleuolorumq; linguis vindica-
runt. An verò parũ facere ad tuendũ pudorẽ po-
puli Rom. exiſtimamus Titum Liuiũ, aliosque hiſto-
ricos, cùm cauſas explicant, cur aut bellũ illatum
ſit, cur de alijs ſupplitium ſumptũ, alij venia do-
nati; alij terrore coerciti, alij beneficio aucti? Ex
quo illi, qui narrant veri probiq;, & ij de quibus
narratur, iuſti, ęqui, boni, magnificiq; iudicantur.
Idem videre licèt de Græcis ſcriptoribus, qui cùm
aliorũ, tum Athenienſiũ res geſtas ſapienter ſanè,
& probè ſcriptitarunt: quòd niſi feciſſent, non de-
feciſſent non modò ex iniquis, qui veritatem iuſti-
tiamq; in contrarium verterent, ſed ẽt ex alijs, qui
famæ non crederent. Conſulendũ eſt itaq;, Santiſſi-
me pater, per te tũ glorię tuæ, tũ rei dignitati. Neq;
verò ero id dico, ſumme pontifex, ꝙ in me ſit hæc
facultas, quæ tantę rei ſatisfacere poſſit, & hæc
quantacumq; ſit præſto tibi ſunt alij viri longè do-
ctiſſimi: ſed vt me talia egrediente illos, ſi qui me
doctiores ſunt, non ipſos eadem aggredi pudeat: Et
ſi qui aggreſſi ſunt eos, vt dicitur, turrentes incer-
tẽ, vt ipſe quoq; quantũ præſtare poſſum experiar,
præſertim tam excitata ad hanc rẽ mente, ac quaſi
inflata, vt ẽt ſi aliorum ſcriptorũ, vt ſic dicã, naues
ſint maiores ac melioribus inſtructę remigibus, tñ
non deſperem illorũ curſum me poſſe æquare vehe-
mentioribus ventis mea vela tendentibus. Velim,
me credas pro tua bonitate, Pater ſanctiſsime, ali-*

quid de rebus tuis ſcribere aggreſſus eſſem, ſi compertũ habuiſſem quã à me de tuis rebus partẽ mandare literis maxime velles. Et eo quidem magis, ꝙ ſunt q ſcripta mea quædã apud te conanť inceſſere Et quæ quidem, Beatiſsime pater, partim data ſunt conſilijs quorundã hominũ, partim præceptis, partim gloriæ cupiditati, partim conſuetudini diſputandi in quibus ita me frui beneuolentia tua liceat, vt nunq̃ neq; tuæ, neque tui ſimiliũ maieſtati atq; auctoritate derogare propoſitũ fuit: vt ſiquid retractatione opus eſt, & quaſi oblutione, en tibi me nudũ offero: tu, quę tua abluẽdi poteſtas eſt, iſta aqua profluẽtiȩ petra, q̃ eſt Chriſtus, ablues. An ignorem me vnã eſſe tuarũ ouium, quas ſoles in lauacro remiſsionis abluere, vnumque eorum, qui in nauigio cui tu præſides, nauigare, An cæteris eò quò cum curſum dirigi iubes, remigantibus ego vnus in contrarium remigarem? Cùm ẽt ſuſpenſum tenere remum ſit reprehendendũ: Ego verò, Pater ſanctiſsime, ſi tibi fortè aut in aduerſum remigaſſe, aut à remigando ceſſaſſe viſus ſum, id aſsignandũ eſt magnitudini tẽpeſtatis, vbi ẽt ſciẽtiſsimi nautæ, ac præſtantiſsimi gubernatores perturbãtur, & inopes conſilij fiunt, nedum nos remiges, quibus aduerſus infeſtas immerſaſq; vndas eſt obluctandum, vbi quò tendas, vbi declines, incertum eſt, & in ipſo conatu inter ſe remi non modò implicantur, ſed etiam ſæpè franguntur. Satis eſt ſic, ꝙ ſi quis in hac confuſione rerum admiſit aliquid, erranti veniam petit in officio,

ſicio deinceps futurum ſe eſſe promittat; & ſuperiorem vel culpam vel negligentiam compenſare in poſterũ induſtria, & obſeruãtia velit, ac neſcio, an magis dominos agnoſcant atque ardentius ament ij, quibus pœna remiſſa eſt, quam quibus opus remiſſione non fuit. Qui ſi huius generis D. P. eſt cauſa mea, cùm eſſem mea ſponte ad tua geſta tuaſque res celebrandas animatus, quo tandem ardore exiſtimas fore me vbi tuã videlicet clementiã fuero expertus? Noli, quæſo, ſanctiſſime P. hac me, quam mihi propoſui, ſpe atque expectatione fruſtrari. Non enim ſatis animo meo fiet, nec aliqua mea in Sanctitatem tuam obſequia conſtiterint. Et nihilominus omnem aliam viuendi rationem niſi ſub te omittere conſtitutum eſt, ſub te Imperatore militare, tua ſemper ſequi ſigna, pro tua dignitate, aut honeſtam oppetere mortem, aut parta redire victoria. Si licet in caſtris tuis vel gregarius miles, tamen miles ægregarius, & ſtrennuus ero, cùm ſciamus aliquando huius hominem, aut primum hoſtiles muros conſcendiſſe, aut reſciſſo vallo ſuis patefeciſſe, aut Ducem hoſtium obtruncaſſe. Sint alij quantumlibet me in bello fortiores, quid in turmis equitum alteriusque peditum omitti in certa audatia ac mortis ſecuritate, & quantũ in vnius hominis manu ſitum eſt, nemini cedo. Nihil modò longius eſt, quàm vt in hoc bello (Adhuc enim bellum durat) ali-

quo enim me opere ſtrenuo probare, per quod intelligas corpus quidem meum abs te aliquandiu abfuiſſe, animum verò ſemper tecum ac tuum fuiſſe. Vale, Neapolis, pridie Idu Martias.

4006.935

FINIS.

Hic liber Mich. Proceri[illegible] regit[illegible]
Parma libri ingressus libere [illegible]
Fabbritij liber est quod tu [illegible]
Libra inter Proceres mi dedit una [illegible]
[illegible]
[illegible]
Tu proceres videas libri fabri[illegible]
hinc tua cognosces carmina quid [illegible]
mihi mille talenta dares nec [illegible]
men [illegible]
Hec obiecisti si carmina mille [illegible]

REGISTRVM.

* *a ABCDEFGHIKLMNOPQRST VXYZ & Aa Bb Cc Dd.*

Omnes ſunt quaterniones, præter *a*, qui ſunt Terniones, & *D d*, Duerniones.



VENETIIS,
Apud Iordanum Zilettum. M. D. LXXIIII.

Maledico cuidam

O qui mordenti semper carpis ore
Scis quid Libanius dixit Aristeneto?
Cum dugentena tibi sexta trigesima libri
Pagina dicet ubi est hic quoque male picta [illegible]

Romae die 7. 1600

Utile quid semper gratum decerpere libris
Atque in principio aut fine locare libet
Nam nil tempus tes totum volvere librum
Principium et finem cernere tempus tes
Sic in fronte oculos [illegible] locam
Et patet ex illis omne quod intus in[est]

[illegible]

Lattare tu de me semp(er) maledicis. ego te
Pro docto semp(er) predico perq(ue) bono.

Sic te vere lege tu de me falsa locutus
Dete dicenti nec mihi credenti fores

(Diversu(m) effectu(m) sortimur utorq(ue) vicissim
Nam tu falsa refers, nec mihi cr(e)d(unt) dicta

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -
1972